

AD GEORGII TURNEBULLI

TETRAGONISMVM PSEVDOGRAPHVM

APODIXIS CATHOLICA,

Sive

Apologia pro Disputatione de Formali Objecto Fidei;

In qua

Variæ, eæq; utilissimæ quæstiones de Analysi fidei, Authoritate Papæ & Conciliorum, Ordine credendi, Primo Credibili, Ratione investigandi veram Ecclesiam, Circulo Pontificiorum, Communibus fidei motivis, Miraculis, Traditionibus, deq; fundamento illius fidei quâ S. Script. authoritas creditur, perspicuè tractantur & explicantur.

K.

AUTHORE ROBERTO BARONIO, ECCLESIASTE ABREDONENSI, S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, & ejusdem in ACADEMIA MARESCHALLANA PROFESSORE.

Ki



ABREDONIÆ,

Excudebat Edwardus Rabanus. 1631.

Ad Georgii Turnebulli

TETRAGONISMUM PSEUDOGRAPHUM

Apodixis Catholica,

Sive

Apologia pro Disputatione de Formali Objecto Fidei;

In qua

Pauca, eaq; utilissimæ quæstiones de Analysi fidei. Authoritate Papæ & Conciliorum, Ordine credendi, Primo Credibili, Ratione investigandi veram Ecclesiam, Circulo Pontificiorum; Communibus fidei motivis, Miraculis, Traditionibus, deq; fundamento illius fidei quâ S. Script. authoritas creditur, perspicuè tractantur & explicantur.



Authore R[illegible]onio, Ecclesiastæ A[illegible] S. S. Theologiæ D[illegible]ensi in Academia [illegible] Marischalliana Professore.

ABREDONIÆ,

Excudebat Edwardus Rabanus, 1651.

Amplissimo & Reveren-dissimo Domino,

D. PATRICIO FORBESIO,

ABREDONENSI EPISCOPO.

Sanctioris Concilii Scoticani Senatori, & Vniversitatis Abredonensis Cancellario.



Anta sunt, & tam illustria (Reverendissime Præsul) tua in Ecclesiam, & Remp. patriam merita, ut nemini mirũ videri debeat, cur Amplitudini Tuæ hãc meam Apodixin Catholicã inscripserim. Vt enim illius familiæ, cujus tu princeps es, vetustatem, splendorem, & nativam illam solertiam, prætercam; ita omnes vitæ tuæ, jam inde ab ineunte adolescentia, rationes instituisti, ut nobilissimo cuiq; in vividæ virtutis exemplum natus videare. Etenim cum veræ nobilitatis ea sit indoles, ut adornamenta illa & oblectamenta, quæ bonarum artium studia affatim suggerunt, suapte contend

contendat, ubi tamen pravæ educationis labe fuerit inquinata, adeo plerumque degenerare eam videas, ut quovis potius, quam eò quo par est, propendeat. Vnde perpaucos ex ijs, qui transmissam a majoribus nobilitatem venditant, invenias, quorum animos corruptissimæ de literarum studijs opiniones non fascinent. Atque hoc, ut in alio omni studiorum genere se exerit, ita maximè in nostro hoc, cui cæteræ omnes disciplinæ, tanquam organicæ & ancillares deserviunt. Quò fit ut, a capessendis munijs Ecclesiasticis, animos habeant aversissimos: quippe quod animarum saluti consulere, abjectius quid opinentur, quam ut eorũ scilicet dignitati & natalibus respondeat. Tu verò (Præsul Amplissime) longè aliam viam, ut olim ingressus es, ita deinceps summa cum perseverantiæ laude institisti. Etenim is semper fuisti, qui eam demum veram & genuinam nobilitatem duxeris, quæ animi sit. Hinc intensissimæ illæ curæ eo usque progressæ ut nihil prius, nihil antiquius habueris quam mentem omnifaria eruditionis supellectile a teneris annis instrue-

re, eoque omnes cogitationes conferre, ut DEI gloriam, quantum in te sit, promoveas. Bone DEVS! Cum in publica Divini verbi per circumjacentem regionem penuria, tu, memor officij pij patrisfamilias, domi tuæ, sicut alter Abraham, catechisten ageres, quantus, quam celebris illuc piorum è vicinia concursus? At verò ubi postea, maturo jam ævo, ad Kethensis Ecclesiæ administrationem publico Ecclesiæ rogatu, aut verius impulsu evocatus fuisti, qua pietate, quanta eloquentia, hominum animos, ut ea ferebant tempora, feroces & intractabiles expugnaris, si quis usquam alius, ego sanè luculentissimus sim testis. Tua enim unius opera proximè, secundum Deum factum est, ut provinciam difficillimam alioqui & molestissimam ego, qui tibi in eam, licet indignus & multùm dissimilis, successi, facilem admodum & jucundam expertus sim. Sed quid ego tester, cum res ipsa tam apertè loquatur, ut nihil apertius. Vsque adeo enim insperato & penè incredibili fructu Evangelij doctrinam in summa illustrium auditorum frequen-

tia,

tia prædicasti, ut non modo ex eo grege, sed & ex paræcijs lōgo locorum interval. lo dissitis complures ab impia & inveterata barbarie, ad pietatem, humanitatem, mansuetudinem fœlicissimè perduxeris. Nec mirum. Siquidem præter eruditionem, modestiam, & ,quod caput rei est, vitæ sanctimoniam, aliæ insuper in te dotes, atque illæ quidem Heroicæ, splendidè elucebant: Subtile & subactum judicium, multo rerum usu collecta prudentia, ingenium peracre, singularis & inconcussa animi præsentia, sermo vehemens, quique ex abdito nescio quomodo subinde feriat, denique, quod imprimis memorabile, tantus in fundendis precibus ardor, ut (quod de Farello dicit Beza) audientes quasi in cælum usque subveheres.

Neque vero tam augustis limitibus tot tantæque virtutes se coarctarunt. Quia enim in minimo fidelem te præstitisti, constituit te Dominus super amplissimam hanc Diœcesin, non sine summo bonorum omnium applausu, quibus illustre quasi signum, ad bene de Ecclesiastica totius hujus regni Repub. sperandum, sub-

 latum

latum videbatur. Nec sanè eorum spem fefellisti. Nam postquam in amplissimum Episcoporum collegium & ordinem cooptatus es, tanta cum dignitate, & authoritate munus a DEO tibi demandatum obijsti, ut tua premere vestigia, nil aliud prorsus sit, quam Ambrosij alicujus, aut Augustini redivivi partes sustinere. Spectemus quæso tot illas a te in Boreali hoc Scotiæ tractu Ecclesias instauratas, quid non hîc laudabile? Imò, quia in re tanta hoc leve est, quid non gloriosum? Si modo ad veram gloriam assequendam quid faciat, oves Christi palabundas ad caulam reducere, reductas salubri pabulo reficere, lupos dies noctesq; insidiantes arcere, pastores indignos & oscitantes loco movere, oculatiores, & attentiores eis sufficere, tenui Ecclesiastarum bene merentium conditioni & rationibus consulere, deniq; tanquam è specula prospicere ne quid detrimenti Ecclesia, aut Diœcesis tibi commissa capiat.

Cum verò laboribus ita continuatis, & quodam quasi orbe in se redeuntibus aliquandiu exercitus fuisses, & viris omn

omnibus cordatis plenè jam satisfecisses, adeo tamen novam hanc & inusitatam diligentiam non remisisti, ut prima tantum laudis tuæ fundamenta jecisse etiamnùm tibi viderere. Ergo ut virtus tibi gentilitia altius adhuc caput suum erigeret, eos tibi sub conspectu Præsules posuisti, quorum merita in Academiam Abredonensem nunquam satis laudata, nunquam satis laudanda autumo. Cum enim felicis memoriæ Episcopi, Elphinstonus, & Dumbarus quorum Cathedra tibi jam cessit, Abredonensem Academiam aperuissent, apertam (quæ fuit singularis eorum liberalitas) ditassent, ditatam multiplici professionum varietate, ad exemplum Parisiensis & Bononiensis Academiæ, ornassent, injuria tamen temporis omnia in pejus ruere & retrò sublapsa referri. *Quam nihil tamen desperandum invalescentibus etiam morbis deploratis, Ampl. T. suprà, imò contrà quam omnes sibi persuaserant, facilè evicit. Cum enim rem difficultatis & laboris plenissimam aggressus esses, cumque alma mater Academia diutino languore confecta vitam*

tam

jam tantùm non precariam ægrè traheret, imò jamjamq; animam ageret, tu, viz. non sine Numine, medicam & salutarem manum primus admovisti. Tum verò reddi-tus procuratorum incuria antea dissipati, si non in integrum restituti, id quod unicè tibi in votis fuit, qua tamen fieri potuit, quaq; res ferebat, adaucti sunt: Ædes quæ passim ruinam minabantur reparatæ: Professores, quorum numerus imminutis stipendijs decreverat, ad sua signa & stationes revocati; Quin &, ut præclara ingenia haberent, unde laudis & honesti respectum majore cum studio alerent, adeoq; diligentiam spe præmiorum illectam diligentius acuerent, pro priscis & receptis passim illustrium Academiarum legibus, honorum gradus in alias, atq; alias classes distincti sunt. Ergo jam tandem Regia Academia, postquam gravioribus quibuscunq; ejus morbis a te tanquam altero Æsculapio medicina facta esset, ex desperata valetudine emersit, quin & recollectis ac redintegratis viribus, luctuq; omni, quo antea contabuit, deposito, summo bonorum omnium solatio revirescit. Atque hæc omnia tibi & Episcopo vigilan-
tissim

tissimo, & Cancellario lectissimo accepta ferenda sunt; cujus tanta in promovendis Academiæ commodis solertia, tanta dexteritas, ut non modo Professores, quos perpetuo hoc authoramento tibi divinxisti, sed & ipsi Academiæ parietes (ut summi Oratoris verbis utar) gratias tibi agere gestiant.

Præterea, ne ullus esset in hoc regno hominum ordo, qui suavissimos tuarum virtutum fructus non perciperet Serenissimi & potentissimi nostri Regis secretioribus consiliis es adhibitus; sæpe etiam a supremo Senatu vocatus es ad celebriores Ordinum conventus: In quibus semper usus es ea libertate in ferendo suffragio, eaque authoritate, gravitate, & suaviloquentia in explicandis & firmandis tuæ sententiæ rationibus ut & Regi, ejusq; Legatis satisfeceris, & populi commodis consulueris, & eorum qui Reip. insidiabantur conatus egregiè dissiparis.

Denique parum tibi visum est præsenti Ecclesiæ prodesse, nisi illustria & nunquam intertura ingenij præstantis, sanctissimiq; diligentiæ monumenta apud posteros

steros relinqueres. Idcirco Apocalypsin *B. Ioannis doctissimis diligentissimeq; elaboratis commentarijs illustrasti. Pastorum Evangelicorum* Vocationem *libello verè aureo ab adversariorum calumnijs & cavillationibus vindicasti. Et difficiles ac spinosas quæstiones, quæ de* Natura & Notis Ecclesiæ *hac tempestate agitari solent, egregio illo opere, quod* Bubulus *meritò inscribitur, more tuo, id est, disertè, solidè, & dilucidè explicasti.*

Hæc habui (Illustrissime Præsul) quæ de Amplit. Tua laudibus lectori exhiberem, non quod meritorum tuorum magnitudini oratio nostra par sit, cujus character exilis adeo ac tenuis in graviore hoc argumento, ut infra rei dignitatem longè subsidat: neque ut assentationis lenocinio benevolentiam (quæ mihi semper apud te, licet immerenti, prolixè fuit exposita) colligerem; sed ut, pro eo ac debui, præcellentissimas animi tui dotes hic recognoscerem, easque alijs Ecclesiæ pastoribus, tanquam expressam viri quadrati, & consummatissimi Præsulis effigiem, ad
imit


imitandum proponerem. Huc & illud accedit quod in disceptatione hac Theologica, in qua de analysi fidei Christianæ, adeoque immobili & fixa certitudinis nostræ basi agitur, magni, imò maximi apud me momenti sit Amplitudinis Tuæ Patrocinium. Vt enim venerabilis illa tua gravitas, his innixa fulcris, radices jampridem egit altissimas, ita authoritas in maximis cùm Ecclesiæ, tum Reip. negotiis conspicua oculos animosque his, qui causæ nostræ minus favent, fulgore suo usquequaque perstringet. Vnde spes non mediocris mihi injicitur fore ut & veritati, ad quam unicè collimo, & veritatis assertori, quem, ut alias semper, ita hîc vel imprimis esse me profiteor, certissimum adversus calumniatorum dicteria præsidium ab Amplitudine Tua expectandum sit. Quin & a posteris veritatis studiosis, si quando eorum manibus hæc nostra diatribe se offerat, eo majorem initurum me gratiam auguror, quod tuis auspiciis cum Iesuita juratissimo veritatis hoste, manus conseruerim. Quod reliquum est DEVM Opt. Max. animitus precor, ut

te Præsulem illustrissimum Ecclesiæ, Reipublicæ, & Academiæ, quæ cum prius lateritia esset, (notum illud Augusti dictum) nunc demùm marmorea tuo beneficio facta est, quam diutissimè incolumem & ad optima quæque conservet. Detque clementissimus ille Pater, ut, cum senectutem hanc tuam, tanquam extremum ætatis actum, prosperè, beatéque exegeris, tandem aliquando ex longa & laboriosa ærumnosa hujus vitæ navigatione, in cælestem illum securitatis & tranquillitatis æternæ portum fœlicissimè devenias.

Reverendissimæ Amplitudini tuæ devotissimus,

ROBERTUS BARONIUS,
ECCLESIASTES ABREDONENSIS.





Nobilissimo & Ornatissimo Iuveni,

FRANCISCO HAYO,

Magnanimi & Inclyti Herois, FRANCISCI ERROLIÆ Comitis, Domini de SLAINS, Magni in Regno Scotiæ Equitum Magistri, & Nobilissimæ ac Antiquissimæ HAYORUM Familiæ Principis, Filio,

SOLLICITATORI SCRIPTIONIS.



Esquiannus jam elapsus est (Nobilißime Heros) ex quo in Boreali hac plaga apparuit Georgij Turneballi, Rhemensis Iesuitæ & Professoris libellus, quem adversus Disputationem nostram de Analysi fidei & Pontificiorum Circulo in vulgus tandem extrusit, quemque idcirco in sua ad Archiepiscopum Rhemensem προσφωνήσει Tetragonismum sacrum, *&* in prima operis sui fronte Imaginarij Circuli Quadraturam Catholicam *joculari titulo inscripsit. Hunc librum tu primùm nactus, per pium quendam & reverendum Symmystem ad me mittendum curasti, seriòque hortatus es ut,*

...ut, detecta ejus vanitate, veritati patrocinarer, & intolerabilem superciliosi Iesuitæ fastum comprimerem. At ego ut in arenam hanc descenderem vix ac ne vix quidem a me impetrare potui: Non quod causæ diffiderem nostræ, quæ, vel nobis tacentibus, de Adversarijs omnibus facilè ipsa per se ipsam triumphabit; sed quod occulto quodam Naturæ genio polemicum hoc scribendi cacoethes a multis jam annis aversatus sim; ac proinde provinciam hanc semper, quoad ejus fieri potuit, studiosissimè defugi. Mihi enim, DEVM testem appello, pacatis ingenijs, quibusque optatissima illa Catholicæ Ecclesiæ pax cordi est, nihil acceptius, nihil amabilius esse potest. Accedebat quòd parum, aut potius nihil otij mihi tunc fuerit a laboribus, quam scholis, qua pro concione quotidie pene subeundis, adeo ut non dies solum a professionis nostræ legibus mihi appensi sint & numerati ad has curas, sed & horæ. Quin & congredi cum Iesuita, qui, ut otio abundat, ita ad omnem procacis linguæ petulantiam non factus, sed natus est, nihil aliud mihi visum fuit, quam bonas horas, quarum nobis ratio reddenda est, malè collocare. Quia tamen scio Amyclas tacendo perisse, ne silentium alioqui justum veritati præjudicio esset, verebar. Nam non modo complures infirmos eo graviter offensum iri, sed & Adversarios gloriandi, & de veritate, quam hic propugno, triumphandi, occasionem inde capturos videbam. Quin & tu (Clarissime Iuvenis) in eadem mecum sententia fuisti: & consultationem hanc, quantumvis molestam, non posse

 à me


a me, honore & conscientia salva, recusari, identidem asseverasti. Cæterùm non hortatu duntaxat tuo sed & virtutum tuarum admiratione adductus sum ut huic veritatis Apologiæ manum admoverem. Quem enim non excitent tot illa animi bona, quæ divina benignitas plena manu in te contulit. Siquidē is es, quem ob præclaram, & generosissima Hayorum familia dignam virtutis indolem, meritò omnes suspiciunt, ac venerantur. Huic comes accedit singularis & infracta animi sedati, & ad optima quæque compositi constantia: quæ nullis blandientis fortunæ illecebris, vel transversum unguem, a veritatis semita & studio hactenus abduci potuit. Quapropter nemo est qui promovendis Ecclesiæ nostra commodis studeat, quin idem etiam apud DEUM precibus suis enixè contendat, ut eximias illas animi tui desuper illustrati dotes, non tueatur modò, sed & assurgentibus ex piorum omnium sententia incrementis quotidie adaugeat. Vale, generosissime Heros, & qualis es animi frontisque serenitate, has nostras lucubrationes, quales quales, amplectere.

Honori tuo

addictissimus,

ROBERTUS BARONIUS,

ECCLESIASTES ABREDONENSIS.





EPISTOLA AD GEORGIUM TURNEBULLUM,

Qua præmonitioni ipsius ad Auctorem, iisque quæ primo Capite Libri sui adversus Disputationem de Formali Objecto Fidei &c. effutivit, breviter & perspicuè respondetur.

ROBERTUS BARONIUS GEORGIO TURNEBULLO meliorem mentem, & modestiorem linguam. P.



QVam verum sit illud Regis Israëlitici dictum, *Ne glorietur accinctus, sicut discinctus*; id vel ex tua Replicatione, Iesuita Turnebulle, luculentissimè patet. Prodis enim in scenam velut alter Thraso, aut Pyrgopolinices, & *superba vanitatis loquens*, non solum disputationi nostræ, tãquam juvenilium nugarum farragini, petulantibus jurgiis illudis; sed etiam fidenter recipis te explicaturum, & ab omnibus difficultatibus, imprimis verò à *Circulo*, vindicaturum Romanæ fidei Analysin, quam Greg. de Valentia *rerum obscurissimarum labyrinthum* rectè indigitavit. At verò ubi tuba cecinit, & ad arma conclamatum est, ut viz. *res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet*, Thersitis instar latebras ac diverticula circumspicis, ne in aperto ab hoste deprehensus, debitas arrogantiæ & temeritati pænas luas. Nam ex argumẽtis nostris multa ne extremis quidem digitis attingis; alia attingis quidem, sed, quasi

1. Reg 20. 11

2. Pet 2. 18.

Tom. 3. D. 1 Q. 1. P. 1. §. 10.

Aug. Cont. Max. lib. 3. C. 14.

quasi ferrum candens manib⁹ apprehendiſſes,confeſtim ea rejicis,[hoc eſt,media et proſyllogiſmos, in quibus eorum vis & efficacia ſita eſt, non ſine fraude prætermittis ac diſſimulas]nec aliter obſtupeſcis, quam *preſsit qui calcibus anguem*; aliis deniq;plenius occurrere videris,ſed *Sepiarum* more effuſo ambiguæ&ænigmaticæ orationis atramento,non lectori modo,ſed & tibi,ni fallor,tenebras offundis. Miſeret,profecto miſeret me tui qui dum pro commilitonibus tuis prævaricationis cauſam dicis, turpiſſimam deteſtãdi iſtius criminis maculam tibi ipſi inuris, dumq; alios à *Circulo* liberare conaris inſignem *Circulatorem* te præbes. Quin & eò magis miſerandus mihi videris,quod, ut ipſe refers,jam ſenex ſis:adeo enim inveteratus ille tuus morbus eſt, ut nec Æſculapii, nec Apollinis ipſius manibus (ut aiunt) facilè depelli poſſit. Diſce, quæſo, quid ſit candidè & ſincerè agere,& quanquam ſenex ſis,memineris tamen nullam ætatem ad diſcendum ſeram eſſe. *Canities* enim *non eſt corona gloriæ, niſi in via juſtitiæ inveniatur*, &, ut ait Menander,

Prov. 16.31

οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν, αἱ λευκαὶ φρονεῖν.

Sed liceat,quæſo,nævos illos, quos tu lynceis oculis in nobis animadvertis, alterum ignorantiæ, alterum calumniæ, in veritatis ſpeculo intueri

Parcius iſta viris ſunt objicienda,memento
Novimus & qui te, &c.

Scientiam neminem habere inimicum, præter ignarum aſſereremus, modo id vel modeſtia noſtra, vel decori ratio pateretur. Verum Comicus nobis neſcio quid in aurem inſuſurrat

Si dignus ego hac contumelia
Sum maximè, indignus tu,qui faceres tamen

Tu, inquam, qui toties in hac Controversia tergiversaris, toties argumentorum meorum ponderi succumbis, & non modo frivola, sed & desperationis plena effugia pro solidis et germanis responsionibus lectori obtrudis. Vter vero nostrum calumniis delectetur magis, ejus æstimatio, ejus judicium valeat, qui cardiognostes intima pectoris arcana rimatur: Nec illorũ sententiam detrectamus qui tua cum nostris Aprosopolepti componēt. Dixi quidem parte prima Disputationis, Sect. 3. vestros Theologos in hoc argumento, quod totius fidei atq; adeo salutis nostræ basis est, insigniter prævaricari, totique orbi Christiano

Facetis fabricis, & doctis dolis Plaut. Mil. Act. 1

Glaucomam ob oculos objicere.

Nec dixi modo, sed ne ulla calumniæ aut imposturæ subesset suspicio assēverationē meam solidis et perspicuis rationibus firmavi. His in operis tui vestibulo meras easq; tenues opponis conjecturas ab eorum, quos criminis istius reos peregi, multitudine, eruditione, & sanctitate ductas. At inania hæc sunt avibus abigendis, nō viris terrendis comparata crepitacula. Nihil nos, in re tam manifesta, movet eorum multitudo: Novimus enim *latam esse portam & spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem, multosq; esse qui intrant per eam.* Nihil eorundem eruditio aut acumē: nam potest quis *mysteria omnia omnemq; scientiā novisse* & tamen *charitatem non habere.* Nihil deniq; externa illa sanctitatis species qua Pharisæi, Esseni, Novatiani, Manichæi, Donatistæ, Pelagiani, &c. simplicioribus olim callidè imposuerunt: potest enim quis *in cibos pauperum omnes facultates suas distribuere corpusque* Math. 7. 13. 1Cor. 13. 2 Ibid. v. 3

 suum

suum ut comburatur tradere & tamẽ *charitatẽ nõ habere*. Majoris mométi id esse videtur, quod ex mea accusatione colligis, CHRISTVM permisisse toti terræ salem ita infatuari, *ut nemo post ortum Scholasticæ Theologiæ ante Lutheri tempora sincerè fuerit locutus de fundamento & objecto fidei*. Sed fumos vendis, Turnebulle. Nam post Theologiæ Scholasticæ ortum, non solum Orientales Episcopi, Papæ, & Romanæ Ecclesiæ judiciariam infallibilitatem constanter negarunt, sed etiam multi Romanæ obedientiæ Theologi, et juris Canonici Interpretes lógè aliter de fundamento & objecto fidei senserunt ac scripserunt, quam vestra societas hodie dogmatizat: id quod ex Tract. 4.*, 5.†, & 7.‡, manifestè percipiet prudens Lector.

*Cap 6.
†Cap. 19.20 21.
‡Cap. 12 & 13.

Quapropter si quando cum Pontificiis Theologis durius agere videar, memineris mihi tum cum illis, quorũ disputationes Scholasticæ in hæc nostra tempora inciderunt, et quidẽ pręcipuè cum Iesuitis, i. Ecclesiæ incendiariis, & perversissimis sanioris omnis doctrinæ corruptoribus, rem esse. Quanquã liquidò hîc mihi jurare liceat, ab omni vel istã, vel quacunq; aliam Adversariorum Societatẽ, calumniandi studio alienissimũ sẽper mihi fuisse genium, & ingenium. Morem hunc partiariis relinquo qui huic, vel illi sectæ se addixerunt. Candorẽ ego amo & veritatem, votisq; omnib⁹ expeto, ut relicto insano partium & calumniandi studio in posterũ idem non speremus modo, sed & spiremus: utq; CHRISTVS Ecclesiæ suæ, quam non modo Controversiæ Scholasticæ, sed & odia ac dissidia internecina indies lancinant, pristinam illam & incorruptam sanitatem tandem aliquando restituat.



Index præcipuarum quæstionum, quæ in hoc Libro agitantur & explicantur.

An ca

An dogm

Scrip

An etiam

In D. BARONII Apodeixin Catholicam,

Ad Georgii Turnebulli Tetragonismum Pseudographum.

BARONII *laus ante fuit mens enthea, pectus*
Labe vacans, puris æmula lingua favis
Nunc lauda calamum, sacri certamina circi
Dum movet, & limæ nobilioris opus.
Aureus huic nitor est, vis fulminis instar, acum
Diva quod invideat vertice nata Iovis.
Nil nitor hic fuci, nil dia potentia fastûs,
Viperei nil hîc fellis acumen habet.

Hic sacra Baronius, *movet hîc* Turnbullius *arma,*
Penè sub Icariis natus uterque rotis.

Ant

Ambo Sacerdotes divinæ Palladis, ambo
Artibus & calami dexteritate pares.
Hoc discrimen habes: magno molimine causam
Hic agit Ausonii præsulis, ille DEI.

Ne ruat in præceps Tarpëia bellua rupis
Undique, Turnbulli, *fulcra superba paras.*
Caede Caledonii se gens Turnbullia *tauri*
Extulit, & strato de bove nomen habet:
Pone supercilium; qui tecum dimicat hostis
Per tua Romuleam transigit exta lupam.

ARTHURUS IOHNSTONUS,
M. D.

IN EANDEM.

ROmana occlusus caveâ sine compede mastix
Exilit in circum, voce minante polum.
Attoniti tremuere lupi, stupuere leones,
Frendentesque feræ perculit astra timor.
Sed novus Alcides Baronius *Herculis ausu*
Constrinxit monstrum, prostituitque solo.
Quis dubitat natos etiam plus posse Deorum?
Et nostrum Alcidem dixeris esse Iovis.


GULIELMUS IOHNSTONUS,
M. D.



Admonitio ad Lectorem.

DVO sunt, Christiane Lector, quæ te paucis monitum velim. Vnum est, partes aliquot Replicationis Turnebullianæ (viz. Cap. 4. & 5, item paragraphos quosdam Cap. 9. & 16) a me ideo hîc omissas esse, quòd Adversarius in iis a Disputationis meæ materia, seu proprio subjecto, divertat in controversias de Regula fidei & S. Scripturæ perfectione, quas, ne liber hic in nimiam excresceret molem, alibi tractare volui. Alterum est capita Replicationis Turnebullianæ non esse a me eo ordine hîc proposita, quo in ipsius libro exstant. Vt enim scires, quid singulis Sectionibus & Quæstionibus Disputationis nostræ ab Adversario responsum sit, in omnibus ferè Tractatibus, primò partem aliquam prædictæ Disputationis in medium affero: Deinde ea Replicationis Turnebullianæ capita, quæ isti parti opposita sunt, subji-

tio: Postremò tibi Duplicationem meam exhibeo, in qua Adversarii fraudes detego, argumenta solvo, & effugia, ne posthac in ea se recipiat, praecludo.



ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 36. *lin.* 13. *lege* tui. *Pag.* 37. *lin.* 4. scirpo. *Pag.* 49. *l.* 27. revelantis. *Pag.* 57. *l.* 8. Scripturæ. *pag.* 62. *l.* 22. erudiuntur. *pag.* 64. *l.* 24. Cap. 5. *pag.* 66. *l.* 22. Punct. 5. *pag.* 80. *lin.* 22. *et* 23. (cujus definitionem me pronum venerari jubes, Cap. 2. §. 6.) *pag.* 87. *lin.* 9. (Intellige formaliter & principaliter.) *pag.* 87. *l.* 17. *lege* coincidit. *pag.* 106. *l. ult.* objecti fidei. *pag.* 118. *l.* 18. *lege* Cap. 1. *pag.* 129. *l.* 3. *lege* Gretsero; *et eadem pag. lin.* 9. Becano. *Pag.* 135. *l.* 13. respondent. *pag.* 161. *l.* 1. quæsivi. *pag.* 199. *l.* 8. *lege* præcedenti sectioni. *pag.* 230. *l.* 10. *lege* Cap. 7. *pag.* 241. *l.* 15. Respondebit aliquis. *pag.* 242. *l.* 24. *lege* Lib. 3. *Pag.* 245. *l.* 11. istos. *pag.* 254. *l.* 19. terrarum. *pag.* 275. *lin.* 27. *lege* Cap. 112. *pag.* 283. *l.* 23. Eandē etiam sententiam. *pag.* 305. *l.* 13. detestabilibus. *pag.* 331. *lin.* 22. Romæ.

Pag.

pag. 349. *l.* 22. facta. *pag.* 412. *l.* 3. *et* 4. no[n] esse, ex vestra sententia, assensum fidei Ca-tholicæ. *Pag.* 437. *lin.* 14. quibus illa. *pag.* 439. *l. ult. delenda; et pag.* 431. *l.* 12. *lege* nam quædam. *pag.* 470. *lin.* 2. dicenda. *pag.* 491. *l.* 21. *lege* prologo in Tobiam. *pag.* 506. *l.* 5. *lege* magnas. *pag.* 526. *l.* 8. *lege* Cap. 13. *pag.* 537. *l. ult. lege* fundatum in vi. *pag.* 580. *l.* 19. *lege* a me *pag.* 615. *l.* 12. *lege* Pag. 349. *pag.* 651. *l. penult. lege* quoad. *pag.* 660. *l.* 13. *lege* falso. *pag.* 684. *l.* 5. *dele* Adversarij. *pag.* 718. *l.* 26. *in* similitudine. *pag.* 719. *l.* 3. specierum. *pag.* 770. *l.* 5. *lege* infusam. *pag.* 772. *l.* 5. exclu-dis. *pag.* 807. *l.* 24. ansam. *pag.* 808. *l.* 22. *lege* non enim possumus.





AD GEORGII TVRNEBVLLI
[T]ETRAGONISMVM
[P]SEUDOGRAPHUM APO-
DIXIS CATHOLICA,
Sive
[A]POLOGIA PRO DISPVTATIONE
DE FORMALI FIDEI OBJECTO.

Tractatus primus.

[I]n quo titulus seu inscriptio disputationis à jejuna & imperita adversarii cavillatione vindicatur.

Disputationis inscriptio.

[D]ISPUTATIO THEOLOGICA, [D]e formali Fidei objecto, hoc est, de [S]acræ Scripturæ Divina, & Canonica [a]uthoritate.

CENSVRA TVRNEBVLLI.



MISSIS convitiis, quibus contra bonos mores offenduntur animi lectorum, mentes non erudiuntur, ut circulum doctrinæ, quem nobis objicis postea faciliùs contemplemur, expendenda prius erunt omnia principia, ex [q]uibus tibi videris eum colligere sumpto initio ab ea [qu]æstione, quam tu solvere conaris partim in primo cap. 2 §. 1.

 totius

pag. 349. *l.* 22. facta. *pag.* 412. *l.* 3. *et* 4. non esse, ex vestra sententia, assensum fidei Catholicæ. *Pag.* 437. *lin.* 14. quibus illa, *pag.* 439. *l. ult. delenda; et pag.* 431. *l.* 12. *lege* nam quædam. *pag.* 470. *lin.* 2. dicenda. *pag.* 491. *l.* 21. *lege* prologo in Tobiam. *pag.* 506. *l.* 5. *lege* magnas. *pag.* 526. *l.* 8. *lege* Cap. 13. *pag.* 537. *l. ult. lege* fundatum in vi. *pag.* 580. *l.* 19. *lege* a me *pag.* 615. *l.* 12. *lege* Pag. 349. *pag.* 651. *l. penult. lege* quoad. *pag.* 660. *l.* 13. *lege* falso. *pag.* 684. *l.* 5. *dele* Adversarij. *pag.* 718. *l.* 26. similitudine. *pag.* 719. *l.* 3. specierum. *pag.* 770. *l.* 5. *lege* infusam. *pag.* 772. *l.* 5. excludis. *pag.* 807. *l.* 24. ansam. *pag.* 808. *l.* 22. *lege* non enim possumus.





Ad Georgii Turnebulli
Tetragonismum Pseudographum Apodixis Catholica,

Sive

Apologia pro Disputatione De Formali Fidei Objecto.

Tractatus primus.

In quo titulus seu inscriptio disputationis à jejuna & imperita adversarii cavillatione vindicatur.

Disputationis inscriptio.

DISPUTATIO THEOLOGICA, De formali Fidei objecto, hoc est, de Sacræ Scripturæ Divina, & Canonica authoritate.

Censura Turnebulli.



Missis convitiis, quibus contra bonos mores offenduntur animi lectorum, mentes non erudiuntur, ut circulum doctrinæ, quem nobis objicis postea faciliùs contemplemur, expendenda prius erunt omnia principia, ex quibus tibi videris eum colligere sumpto initio ab ea quæstione, quam tu solvere conaris partim in primo totius cap. 2 §. 1.

totius tuæ disputationis vestibulo, partim in pri
partis Sect. prima, secunda, & tertia. *Quid n*
sit formale objectum Fidei? Quam ad quæstion
quanti referat hìc ante omnia sive benè, sive malè
spondere perspicuum est, quia sicut primum scie
principium in omni re controversa est legitima rei
finitio, ita primum errandi principium est neglec
vel perversio germanæ definitionis; nec in ullo re
genere magis, quàm in isto verum est quod no
philosophus lib. 1. de cœlo, *Parvum in principio*
rorem in fine fieri maximum.

2. Ita ergo postquam primum limen tuæ disp
tationis inscripsisti *De formali objecto Fidei,* mox tu
inscriptionem ita interpretaris, *hoc est de sacræ scri*
turæ divina, & canonica auctoritate. Quæ sanè inte
pretatio, quâ quæsituros, Quid nominis videris pr
venisse, ad scholasticam nostrorum amussim exp
rideretur à nostris tyronibus tibi mox objecturis o
ninò similem, sed planè ridiculam philosophi scribe
tis quæstiones, & inscribentis *de homine;* sed suam i
scriptionem mox ita interpretantis, *hoc est de anim*
li rationali habitante in Iaponia, vel apud Orcad
Sicut enim essentiali conceptui hominis acciden
rium est hìc, vel ibi habitare, ita formali, & specifi
Fidei objecto accidentarium est materiæ scriptæ, v
non scriptę applicari. Vbi, quęso te, habitabat,
ita loquar, formale objectum illius fidei, quâ just
fuit Abel, justique fuerunt quotquot ante inventas l
teras Deo placuerunt? Tua inscriptio postulabat e
sentiam rei subtiliùs distingui ab accidentario ejus ha
bitaculo, & rem scripturis signatam ab adventiti
Charactere, si volebas fallaciam accidentis in circul

su

quo adversus nos describendo evitare, dignámve Scholastico pulvere disputationem Academicis proponere. Debebas etiam advertere utrumque Dei Testamentum tamen à primis, propriísque utriusque fidelibus fuisse creditum, quàm vel vetus à Moyse, cæterísque Prophetis, vel novum ab Evangelistis scriberetur. Quo tamen tempore nemo dixerit suum Fidei objectum formale defuisse. Debebas denique notare quando nominatur formale objectum, nihil vel minus, vel amplius significari, quàm quando nominatur objectum specificum, sed formale & specificum esse duo ejusdem ut objecti, ita & significationis epitheta, quibus exprimitur unica ratio, materiam divina fide credendam formaliter ità determinans, & approprians virtuti humanæ hominis, ut ejus tum habitum, tum actum extrinsecè specificet. Est enim ipsa forma objectivè specifica tam actus, quàm habitus. Sicut ergo ridendus esset, qui quærenti objectum specificum & essentialem rationem objectivè specificam Fidei, responderet per adventitium Characterem scripturæ, ita tua disputatio eidem risui exponitur, quando quærenti formale objectum respondet per accidens tam naturæ rei, de qua quæritur adventitium, quàm ab eadem separabile.

Detexi, nisi fallor, principium, ex quo per fallaciam accidentis solent tuæ sectæ homines concludere, nihil divina fide credendum esse, nisi quod scripto Dei verbo continetur. Vtrum tu eadem fallaciâ captus ad eundem scopum collimes? postea videbimus.

AUTHORIS DUPLICATIO.

Caput I.

An in disputationis titulo seu inscripti[one], formale objectum fidei, & sac[rae] Scripturæ divina authoritas, pro e[o]dem recte accipiantur.

1. 

Nscriptionem Mi[nimae] Disputationis quæ habet, *de formali objecto fi[dei] hoc est, de sacræ Scripturæ [di]vina & canonica authori[ta]te*, verbose reprehendis c[a]-
2. cui libri: quia videlicet hæc exegesis seu [ex]plicatio tituli, includit specialem formalis ob[je]cti fidei limitationem, qua doctrinæ in sac[ro] codice scriptæ applicatur, cum tamen ex se [in]differens sit, ut materiæ vel scriptæ vel n[on] scriptæ applicetur. Et hanc tuam ration[em] confirmas: quia fuit assensus fidei divinæ a[n]tequam esset scriptura: v. g. fides qua just[us] fuit Abel justique fuerunt quotquot ante i[n]ventas literas Deo placuerunt, non niteba[n]t Scripturæ authoritate, & proinde hæc duo *fo[r]male*

male objectum fidei, & *S. Scripturæ divina authoritas*, non æquipollent nec æquè late patent.

At nodum in stirpo quæris gloriose miles: 2.
Primò enim cum disputatio à me instituta sit, de fidei objecto formali non quidem nude & simpliciter spectato, sed cum limitatione, & respectu ad fidem eam quæ jam à Christianis post conscriptum & consignatum canonem exigitur; quaque ea omnia & sola quæ in Scriptura credenda proponuntur, credere tenemur, tanquam ad salutem necessaria; non immeritò, in explicatione tituli disputationi meæ præfixi, istam limitationem expressi, & formale objectum fidei, materiæ in sacro codice scriptæ applicavi. Fateor igitur formale objectum fidei generaliter & absolutè considerātum absque ulla limitatione ad præsentem Ecclesiæ statum, esse divinam revelationem in tota sua amplitudine acceptam, seu divinam authoritatem cujuslibet doctrinæ à Deo revelatæ, sive ea scripta sit, sive non scripta. At formale objectum fidei illius, qua creduntur ea, quæ in Scriptura credenda proponuntur, est ipsius Scripturæ divina & canonica authoritas. Si enim quis quærat, cur credam ea quæ in Scriptura credenda proponuntur? Ego aliter respondere non possum, (ut expresse monui parte prima disput. meæ, sect. 3. §. 1.)

 quam

quam quia Deus ea omnia revelavit, seu qui sacra Scriptura Dei ipsius Verbum est: unde Durandus, lib. 3. sent. distinct. 24. quæst. 1. §. 8. *Credere* (inquit) *Scripturam esse à Deo inspiratam est ratio credendi illa quæ in Scriptura traduntur.* Hoc Durandi testimonium in medium attuli loco citato, videlicet sect. 3. §. 1. At tu, qui in tota hac disputatione Iesuiticum candorem adhibes, hoc & fere omnia alia Pontificiorum Theologorum testimonia, à me citata, data opera transilis, idque ne cogaris fateri (id quod manifestissimum est,) ea quæ à me de formali fidei objecto tradita sunt, etsi vestram sententiam de Scripturæ authoritate evertant, niti tamen communibus & receptis Scholæ vestræ placitis.

3. Secundo recentiores Pontificii dum formale fidei objectum explicant aut describunt, speciales hujusmodi limitationes frequenter adhibent. Staplet. enim lib. 8. princip. doctrin. cap. 8. & 21. item in relect. controv. 4. q. 1. art. 1. & q. 3. art. 2. necnon in defensione authoritatis Ecclesiasticæ, lib. 1. c. 14. §. 12. dicit totam formalem rationem fidei nostræ esse *Deum revelantem per Ecclesiam*; hoc est, Ecclesiæ testimonium, quatenus ea est DEI ipsius testimonium. Hæc

explicatio

plicatio formalis objecti fidei, non est æquè neralis & tam latè patens atque ipsum forle objectum fidei, sed specialis est & ad rtam conditionem formalis objecti limita: neque enim credentum fides, semper funta est in Ecclesiæ testimonio; v. g. nullo cclesiæ testimonio nitebatur fides, qua Adaus justus fuit; item fides qua Patriarchæ, rophetæ, & Apostoli credebant DEO immediatè revelanti. Similiter Ecclesiæ testimoo nunc non nititur primo fides hęreticorum, i Ecclesiæ authoritatem spernunt, hi enim bent fidem verè divinam articulorum in uibus non errant, quamvis Ecclesiam ut infallibilem fidei regulam non sequantur, ut ost Durandum nō infeliciter probavit Estius, n 3. sent. dist. 23. §. 13. et in Commentariis n 4. cap. 1. epist. Iohan. 2°. Laici illiterai, qui non possunt certo & infallibiliter scire uid ab Ecclésia definitum sit, ut infra patebit. . Pastores in concilio definientes controveriam nunquam antea ab Ecclesia definitam: hi nim definiunt ex certa fide, hoc est fide vere ivina credunt id verum esse quod definiunt, & tamen eorum fides non nititur ullo priori ecreto aut definitione Ecclesiæ.

Tertio, Antiquiores scholastici, formale objectum fidei mecum restringunt ad sacram 4.
Scripturam, tanquam ad instrumentum per

quod DEVS credenda plenè & sufficient[illegible] revelat: ut patet ex Thoma Aquinate; q[illegible] 2ª, 1ᵃ, q. 5. art. 3. sic de formali objecto fid[illegible] disserit; *Formale objectum fidei, est veri[illegible] tas prima, secundum quod manifestatur i[illegible] Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, qu[illegible] procedit ex veritate prima: unde qui[illegible] cunque non inhæret, sicut divinæ & infal[illegible] libili regulæ, doctrinæ Ecclesiæ quæ proce[illegible] dit ex veritate prima in Scripturis Sacri[illegible] manifestata, ille non habet habitum fidei.* Hic habes, Turnebulle, apud ipsum Angeli[illegible] cum Doctorem, illam limitationem vel appli[illegible] cationem formalis objecti fidei, quam eg[illegible] in disputationis meæ titulo seu inscription[illegible] expressi: dicit enim formale objectum fide[illegible] *esse veritatem primam secundum quod ma- nifestatur in Scripturis sacris.* Et proind[illegible] ita restringit & limitat formale objectum fide[illegible] ut extendi non possit ad fidem qua justus fui[illegible] Abel.

5. At (inquies) proponit aliam limitationem; dicit enim formale objectum fidei esse verita- tem primam *secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris, & doctrina Ecclesiæ.* Resp. Quid hoc ad rem? proponit quidem aliam limitationem, attamen etiam hanc pro- ponit,

[illegible]nit, & proinde non ita deliravit, ut tecum æstimaret hanc limitationem esse ridiculam & absurdam. Instabis & dices; Thomam, addendo illam alteram limitationem, apertè declarare se in ea esse sententia, quòd DEVS per Scripturam non revelet plenè & sufficienter ea quæ sunt creditu necessaria ad salutem. Resp. Verba Thomæ manifestissimè docent illum in ea sententia non fuisse: Doctrina enim Ecclesiæ quam addit sacris Scripturis, non est ex ejus sententia diversa à doctrina Scripturæ, sed tota quanta quanta est, ex Scripturis deprompta est seu, ut ipsius verbis utar; *procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata*, hoc est, *procedit ex veritate prima, quatenus ea in Scripturis sacris proponit & explicat seipsam & alia credenda*. Hic enim est sensus verborum Thomæ, ut patet ex Commentario Cajetani in hunc locum.

Hoc etiam manifestius patebit, si hæc ver- 6.
ba Thomæ conferamus, cum iis quæ ab eodem Doctore alibi dicta sunt: nam 1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. dicit fidem nostram inniti soli revelationi scriptæ. *Sed tamen* (inquit) *sacra Doctrina hujusmodi authoritatibus utitur quasi extraneis argumentis & probabilibus; auctoritatibus autem canonicæ*

Scripturæ vtitur propriè ex necessitat
argumentando: auctoritatibus autem ali
rum Doctorum Ecclesiæ quasi arguendo
propriis, sed probabilibus. Innititur en
fides nostra revelationi Apostolis & Pr
phetis factæ, qui Canonicos libros scrip
runt: non autem revelationi si qua fu
aliis Doctoribus facta. Hic de sola rev
latione Scriptoribus canonicis facta doc
quod sit formale fidei objectum, ut disertè f
tetur Staplet. lib. 8. de princip. doctrin. ca
8. sub finem: *Vnde sequitur* (inquit) *non so*
lum ipsam Veritatem primam esse objectu
fidei formale, vt Sanctus Thomas docu
2a, 2æ, quæst. 1. art. 1. neque etia
fidem nostram inniti revelationi solu
Apostolis & Prophetis factæ qui canon
cos Libros scripserunt, sicut de illa sola h
docet sanctus Thomas, part. 1. q. 1. art. 8.
ad 2. sed præterea, &c.

7. Item, parte tertia, q. 1. art. 3. idem Ange
cus Doctor sic disserit: *Ea enim quæ ex so*
Dei voluntate proveniunt supra omne deb
tum creaturæ, nobis innotescere non possun
nisi quatenus in Scriptura sacra traduntu
per quam divina voluntas nobis innotesci

Hi

Hic apertè asserit ea omnia, quæ non lumine naturæ, sed lumine fidei nobis innotescunt in sacra Scriptura plenè & sufficienter esse revelata, imò nullum hujusmodi dogma fide divina credi posse, nisi in sacra Scriptura tradatur.

I nunc, Turnebulle, & contra vestros 8.
Thomæ interpretes, subtiliter disserito de fide Abelis, & eorum omnium, qui ante literas inventas DEO placuerunt, ut videlicet probes formale objectum fidei ineptè & ridiculè describi, cum materiæ in sacro codice scriptæ applicatur. Illi mecum respondebunt, hanc applicationē, etsi respectu fidei simpliciter & absolutè consideratæ non sit de ratione formalis objecti, esse tamen modum quendam, seu conditionem fidei illius, quæ nunc à nobis exigitur post consignatum Scripturæ canonem. Hæc responsio tibi displicere non debet, quia deprompta est ex scriptore Pontificio magni nominis: Cajetanum intelligo, qui 2ª, 2æ, q. 5. art. 3. sic explicat id quod à Thoma dictum est de formali objecto fidei, quod videlicet, sit veritas prima ut manifestata in SCRIPTURIS, & doctrina ECCLESIÆ, *Nam* (inquit) *ponit veritatem primam in Scripturis, & doctrina Ecclesiæ rationem formalem fidei. Veritatem primam quidem ut ipsam rationem credendi: manifestationem*

autem

autem Scripturæ & Ecclesiæ, vt conditi-nem qua veritas prima proponit & expl-cat se ipsam & alia credenda. Hujusmo-autem conditiones licet respectu fidei sim-pliciter non sint de integritate formæ-objecti fidei, vt patet de fide primi hom-nis, si in æternum fuisset solus, & de fi-Angelorum in sua via, sunt tamen de-integritate objecti formalis fidei nostræ.

CAPVT II.

An in Sacræ Scripturæ authoritate omnes, etiam Laici & illiterati fidem suam resolvant.

1. 

Ontra id quod superiori capi-te dictum, est de Scriptura divina & canonica authorita-te, quod videlicet post con-signatum, Scripturæ canonica sit formalis ratio propter quam omnes credunt, & in qua omnes fidem suam resolvere debent, duo ar-gumenta eaque in speciem non levia adferri solent. Prius est ex Irenæo, qui libro

c[...]

cap. 4. testatur, multas gentes Barbarorum in CHRISTVM credidisse, quamvis nullas apud se scripturas haberēt: *Cui* (inquit) *ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in CHRISTVM credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes*.

Posterius peti solet à fide laicorum ἀγραμμάτων seu indoctorum, qui nec Scripturam legere, nec de partium ejus consensu, aut de styli qualitate judicium ferre possunt: immò qui non nisi ex aliorum relatione aut testificatione sciunt doctrinam, quæ illis credenda proponitur, esse in hac vel illa Scripturæ parte traditam. Hi enim non possunt dici fidem suam in Sacræ Scripturæ authoritatem resolvere: quia videlicet certam, explicitam, & distinctam notitiam de Scripturis, deque doctrina in Scripturis tradita, *qua talis est*, aut de vernaculæ versionis quæ publicè in Ecclesia legitur consonantia cum originali editione habere non possunt. Hoc ipsum argumentum à te, mi Turnebulle, allatum est cap. 5. §. 2. ubi sic disseris; *Secunda pars minoris de universali aptitudine non minus patet, quia Scriptura immediatè spectata est idonea* 2.

nea tantum regula literatis: nec usui esse potest illiteratis, nisi media viva voce legentis.

3. Vt horum argumentorum solutio clarior & manifestior sit observationes aliquot de analysi fidei in medium afferam. Prima sit hæc, Theologi orthodoxi, cum dicunt Christianos omnes nunc post constitutum & consignatum Scripturæ canonem, debere fidem suam resolvere in sacræ Scripturæ divinam & canonicam authoritatem, non volunt hunc esse unicum atque solum modum resolvendi fidem, ita viz. ut nullus alius modus sit possibilis, aut ad æternam salutem utilis, sed tantum, hunc modum esse convenientissimum, utilissimum, & certissimum; immo etiam esse necessarium in iis Ecclesiis quibus sacræ Scripturæ innotuerunt. Ratio manifesta est, quia Sacra Scriptura nobis tradita est ut sit suprema et principalis fidei nostræ regula, seu ut loquitur Irenæus, lib. 3. cap. 1. ut sit *columna & fundamentum fidei nostræ*. Et proinde in iis Ecclesiis quibus Scripturæ innotuerunt omnes debent aliquo modo fidem suam resolvere in sacræ Scripturæ divinam & canonicam authoritatem.

4. Secunda observ. Quamvis Christiani omnes nunc debeant fidem suam resolvere in divinam

vinam Scripturæ authoritatem, tamen non omnes eodem modo id facere poſſunt. Nam Paſtores & doctiores Laici (qui Scripturam legere, explicare, diverſa ejus loca inter ſe conferre, deq; ſtyli majeſtate, & partium cōſenſu judicium ferre poſſunt) explicite & diſtinctè fidem ſuam reſolvunt in divinam authoritatem Scripturæ, tanquam inſtrumenti cujuſdam authentici & infallibilis, quo doctrina ad ſalutem neceſſaria continetur: idque quia explicitè & diſtinctè ſciunt & credunt, doctrinam quæ iis credenda proponitur, eſſe divinitus revelatam in Scriptura aut per Scripturam, tanquam per inſtrumentum authenticum & infallibile. At Laici illiterati fidem ſuam non niſi implicitè, confuſè, et virtualiter, reſolvunt in divinam authoritatem Scripturæ formaliter acceptæ: quia videlicet illi ut ſupra dictum eſt, certam explicitam et diſtinctam notitiam de Scripturis, deque doctrina in Scripturis tradita qua talis eſt, aut de vernaculæ verſionis quæ publicè in Eccleſia legitur conſonantia cum originali editione habere non poſſunt: immo non niſi ex aliorum relatione aut teſtificatione ſciunt doctrinam quæ iis credenda proponitur eſſe in ſacro codice literis conſignatam.

Tertia obſerv. Quamvis Laici illiterati fidem ſuam explicitè et diſtinctè non reſolvant 5.
in divin

in divinam authoritatem *Scripturæ formali-ter acceptæ*, tamen explicitè et distinctè fidem suam resolvunt in divinam authoritatem *Scripturæ materialiter acceptæ*, id est, doctrinæ Legis et Evangelii, quæ sacris literis continetur; idque quia quamvis eam doctrinam propter authoritatem Ecclesiæ, seu testificationem doctorum ac sanctorum virorum primò amplectuntur, fide videlicet humana seu acquisita, postea tamen Spiritu DEI intus operante, illisque mentis oculos aperiente ut intueri possunt mirabilia ex Lege DOMINI, PSAL. 119. vers. 18. ipsi percipiunt doctrinam eam quam Ecclesia iis ex Scriptura credendam proponit, non esse humanam, sed divinitus revelatam, juxta illud, *Oves meæ vocem meam audiunt*, IOHAN. 10. VERS. 27. Et illud, *Sermonem quem audistis ex nobis, excepistis non vt sermonem hominum, sed (sicut est verè) vt DEI Sermonem qui etiam agit in vobis qui creditis*. 1ª ad THESS. CAP. 2. VERS. 13. Credunt igitur Laici doctrinam, quæ iis credenda proponitur esse in sacro codice literis consignatam, sed fide tantum humana seu acquisita hoc credunt. At fide divina eaque explicita distincta & certa credunt doctrinam eam non esse humanam, seu humani cerebri figmentum

[fid]em esse divinitus revelatam. Vnde patet hoc [es]se discrimen inter modum quo indocti, & [m]odum quo docti fidem suam resolvunt: [q]uod quamvis et hi et illi fidem suam ex[pl]icitè et distinctè resolvant in divinam au[th]oritatem doctrinæ Legis et Evangelii, ta[me]n soli docti seu literati explicitè et distin[ct]è fidem suam resolvunt in divinam autho[ri]tatem instrumenti, quo ea doctrina scripta [co]ntinetur, id est, Scripturæ formaliter ac[ce]ptæ.

Quarta observ. His non obstantib⁹ eadem 6.
[est] formalis ratio fidei doctorum et indocto[ru]m, nam sicut assentiuntur eidem doctrinæ, [vi]delicet, doctrinæ Legis et Evangelii, quæ in [sa]cris literis scripta est, ita etiam propter ean[de]m formalem, seu objectivam rationem ei [as]sentiuntur, videlicet, quia illa doctrina di[vi]nitus revelata est. Tota igitur diversitas [in]ter horum assensus est accidentalis, eáque [pe]tita est à diverso modo applicandi obje[ct]um fomale fidei, viz. DEI revelantis au[th]oritatem, suo objecto materiali, id est do[ctri]næ Legis et Evangelii, quæ in sacro co[di]ce scripta est. Nam Pastores et doctiores [La]ici fidem suam explicitè et distinctè re[sol]vunt in DEI revelantes authoritatem, [qua]tenus ea applicatur et doctrinæ quam [D]EVS revelavit, et etiam instrumento per

 quod

quod eam revelavit: credunt enim DEU illam doctrinam in Scriptura, aut per Scripturam tanquam per instrumentum authenticum et infallibile revelasse. At Laici illiterati fidem suam resolvunt explicitè et distinctè in DEI revelantis authoritatem, quatenus ea soli doctrinæ applicatur: solummodo enim explicitè et distinctè credunt DEU illam doctrinam revelasse; an vero in Scriptura sacra eam revelaverit, non certò explicitè et distinctè cognoscunt. Nam ut di non nisi ex aliorum relatione aut testificatione hoc sciunt.

7. Hujus observationis veritatem agnoverunt multi scriptores Pontificii, nam mecum fatentur diversitatem seu differentiam assensuum fidei, quæ à diverso modo applicand DEI revelantis authoritatem rebus credendis petita est, esse extrinsecam et accidentalem. Suarez, disp. 3. de Fide, sect. 10. §. *Aliæ verò* (inquit) *partes, ejusdem minoris scilicet de modo, & de medio revelationis etiam claræ sunt ex dictis: quia illæ circumstantiæ tantum in hoc consistunt quod revelatio fiat vel mediatè à DEO vel per aliquem ministrum suum, vel per prædicationem Apostolorum aut Prophetarum, vel per alium modum traditi*

sue aut propositionis à DEO factæ: hæc autē omnia accidentaria sunt quia non spectant ad objectum formale, sed ad approximationē seu applicationē illius objecti, &c.

Staplet. libro 8. principiorum doctrinalium, cap. 8. *His* (inquit) *ita positis iterum advertendum est DEVM vt veritatem primam revelantem esse fidei nostræ objectum formale, sive revelantem simpliciter & immediatè, sive revelantem vt sic & per certum aliquod medium: & perinde vtrumque valere. Neque enim vel in DEO hoc discrimen ponit, vel in nobis quoad certitudinem docendi aut revelandi, sed tantum quoad modum discendi.* Et cap. 21. ejusdem libri, de voce Ecclesiæ, quam in toto complexo formalis objecti fidei ponendam esse putat, ut videlicet formale objectum fidei sit DEVS per Ecclesiam revelans, sic disserit; *Nec tamen sic posita* (supple Ecclesiæ vox) *variat aut mutat rationem objecti formalis, quod est DEVS revelans; quasi alia esset fidei ratio in Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, quam in nobis. Quæ enim per accidens contingunt objecto ali-* 8.

cujus habitus illa non variant illius obje-ēti formalem rationem, Hæc Stapleto-nus.

9\. Similiter Estius, in 3. sentent. distinct. 2 §. 13. *Ad rationem* (inquit) *ex adver-propositam respondetur fidei impertinen-esse, per quod medium primæ veritati cre-datur; id est, quo modo DEVS utatur conferendū homini donū fidei, quāvis enim nunc ordinarium medium sit Ecclesiæ te-stificatio & doctrina*, (idem de Scriptu-dicatur) *constat tamen aliis viis seu medi-fidem collatam fuisse aliquando & adhu-conferri*, &c.

10\. Quinta observ. Nihil necesse esset de i doctis & illiteratis hic agere nisi adversari-rum infelix & præpostera subtilitas hanc di-quisitionem nobis extorqueret: non eni hic quæritur quomodo quilibet privatus a indoctus Laicus, sed quomodo illi qui certi & accuratius de rebus fidei judicare vale fidem suam in DEI revelantis authoritate resolvere debeant? Certum enim est & om-nes fatentur, aut saltem fateri debent, nullu esse doctrinę Christianę instrumentū authe-ticū & infallibile, in quod Laici omnes expl-citè & distinctę fidem suam resolvere po-

sun

fuerit, ut partim patet ex supra dictis partim ex Cap. sequenti patebit: & proinde necesse esse eos fidem suam explicite resolvere in divinam doctrinæ ipsius authoritatem, Spiritu Sancto per internam illuminationem, & motionem supplente id quod illis ab externis adminiculis deest. At non minus certum & in confesso apud omnes est, esse aliquod doctrinæ Christianæ instrumentum authenticum, & infallibile, in cujus divinam & canonicam authoritatem, Pastores Ecclesiæ, & doctiores Laici, (quorum est aliis in amplectenda seu recipienda veritate, & fugiendis hæresibus viam præire) fidem suam principaliter resolvere debent.

Hoc instrumentum nos dicimus esse Scrip- II.
turam Sacram formaliter acceptam: illi vero dicunt id esse definitionem seu decretum Ecclesiæ Catholicæ, ubi per Ecclesiam *Catholicam* intelligunt solam *Romanam*, & per *Romanam* solum *Romanum Pontificem*. Hoc aperte profitetur Valentia, Tom. 3. Disp. 1. q. 1. p. 1. §. 6. *Nomine Ecclesiæ* (inquit) *intelligimus ejus caput id est Pontificem Romanum:* & Grets. defens. cap. 10. lib. 3. De verbo, col. 1450. *Quando* (inquit) *dicimus Ecclesiam esse omnium controversiarum Iudicem, per Ecclesiam intelli-*

intelligimus Pontificem Romanum.

12. Sexta Observ. Circa ultimam fidei analysin triplex est inter nos, & Pontificios dissensio: 1. Nos in divinam authoritatem solius doctrinæ scriptæ in sacro codice, illi vero etiam in traditionum non scriptarum authoritatem fidem suam ultimò resolvunt: 2. Nos dicimus instrumentum authenticum & principale, quo doctrina credenda proponitur aut continetur, & in cujus divinam authoritatem fides resolvi debet, esse S. Scripturam: Pontificii vero Papam Romanum, ex Cathedra pronunciantem: Vnde hi dicunt totam completam formalem rationem fidei (ut loquitur Stapler. in Relect. Controv. 4. quæst. 3. art. 2. conclusione 5.) esse DEVM revelantem per Ecclesiam: nos vero dicimus totum complexum, formalis rationis seu ultimæ resolutionis fidei esse DEVM revelantem per Scripturam: 3. Nos candidè, & ingenuè profitemur propositiones seu principia quibus formale objectum fidei exprimitur (quales sunt hæ, *Deus hoc vel illud revelavit, Tota doctrina S. Literis cõprehensa est divinitus revelata, S. Scriptura est DEI verbum*) esse prima fidei Christianæ principia, & non resolvi in alia ulteriora principia, sed credi propter se ita, viz. ut

ut fides nostra in iis sistat & acquiescat: Pontificii vero quamvis verbo tenus id ipsum nobiscum profiteantur, tamen revera fidem suam in quoddam ulterius principium resolvunt, viz. in hoc principium, *Ecclesia dicit DEUM hoc revelasse*, aut in hoc, *Ecclesia testatur Scripturam esse DEI verbū*: imò in nullo credibili sistit aut acquiescit eorū fides sed hoc credunt propter illud, & illud vicissim propter hoc, ut patebit ex tractatu de Circulo Pontificiorū. Prima dissensio ad controversiam de perfectione scripturæ: 2ª. ad controversiam de regula fidei: 3ª. proprie & peculiariter ad hanc controversiam de formali objecto fidei pertinet; idque quia Pontificii dicendo, principia exprimentia formale objectum fidei, resolvi in alia ulteriora principia, ipsum formale objectum fidei evertunt, & ex objecto formali, materiale objectum faciunt: id enim est materiale fidei objectum quod creditur propter aliud, hoc est quod ita creditur, ut fides nostra in eo credendo resolvatur in aliud ulterius principium.

His positis, ad priorem objectionem quæ ex Irenæo petita est, Resp. 1. nihil ex Irenæi verbis concludi posse contra nos, qui ultrò fatemur, eam fidei analysin quæ in Sacræ Scripturæ authoritatem fit, non esse simpli- 13.

citer, & absolute necessariam in omnibus Ecclesiis, sed in iis duntaxat quibus S. Scripturæ innotuerunt. Potuit DEVS olim, immo etiam hodie potest, sine Scriptura Ecclesiam suam colligere & tueri: sed quia hic modus resolvendi fidem in authoritatem DEI, per Scripturam revelantis ea quæ credenda sunt, est utilissimus, certissimus, & ab ipso DEO præscriptus, certe Ecclesiæ illæ quibus Scripturæ innotuerunt graviter peccaverint, si spreta Scripturæ authoritate in Ecclesiæ, Papæ, aut Conciliorum authoritatem fidem suam ultimò & principaliter resolvant. Secundò Resp. Aliam esse rationem istius sæculi (quo gentes barbarorum, de quibus loquitur Irenæus, libro 3. cap. 4. sine Scripturis in fide erudiebantur) et sequentium sæculorum: nam tunc vigebat donum miraculorum quod aliqua ex parte Scripturæ defectum compensabat: quin et extraordinaria tunc fuit Spiritus Sancti assistentia.

14. Ad posterius argumentum breviter respondeo, Laicos illiteratos aliquo modo, hoc est virtualiter et implicitè, in Scripturæ divinam et canonicam authoritatem fidem suam resolvere: idque primò, quia doctrinam à Pastoribus Ecclesiæ ex Scripturis propositam, ut divinam seu divinitus revelatam

excip

excipiunt et amplectuntur; immò fide explicita et distincta credunt eam esse talem. Secundò, quia fide humana, eáque moraliter certa, sciunt et credunt doctrinam illam esse revelatam in Scriptura, aut per Scripturam: immò ob id eam primò recipiunt et amplectuntur, quia audiunt tot viros eruditione et pietate insignes, perspicuis Scriptura testimoniis eam confirmantes: et proinde hi etiam fidem suam resolvunt in divinam authoritatem doctrinæ Christianæ cum respectu aliquo ad instrumentum authenticum et infallibile quo ea doctrina continetur, id est, ad Scripturam formaliter acceptam. Concludo igitur omnium Christianorum fidem esse aliquo modo fundatam in sacræ Scaipturæ divina et canonica authoritate, et in eandem aliquo modo resolvi: unde Cameracensis in recommendatione sacræ Scripturæ, *Habet* (inquit) *domus ista, Catholica scilicet Ecclesia non solum septem columnas, sed & singulas partes suas super Sacræ Scripturæ veritatem fundatas.* Et infra: *Sed audite insuper* (inquit) *qualiter super Sacræ Scripturæ fundamentū tota hæc domus ædificatur, & instruitur omnis Ecclesiæ cœtus, omnis status, omnis gradus, omnis sexus.*

Cap.

Caput III.

Argumenta superiori capite allata & soluta, efficaciter in ipsos adversarios retorquentur, & ostenditur illiteratos, non posse certius aut distinctius scire, quid ab Ecclesia definitũ, quam quid in sacro codice scriptum sit.

1\. Rius Argumentum facilè retorquetur: nam gentes illæ barbarorum, de quibus loquitur Irenæus libro 3. capite 4. sicut fidem suam non resolvebant in divinam authoritatem Scripturæ formaliter acceptæ, ita etiam fidem suam non resolvebant in definitiones aut decreta Ecclesiæ Romanæ: idque primò, quia illo sæculo hoc est sæculo secundo nulla extabat Ecclesiæ Romanæ definitio, præter unam contra Quartodecimanos de celebratione Paschatis, ut patet ex Bellarm. lib. 3. de Verbo, cap. 6. §. *Secundo sæculo*. Secundò, non est probabile gentes tanta loci intercapedine dissitas et remotas à Romana Ecclesia, certam et distinctam notitiam de fide et doctrina Romanæ

manæ Ecclesiæ habuisse. Tertiò Irenæus loco citato non dicit eos Fidei suæ certitudinem habuisse ex definitionibus aut decretis Ecclesiæ, sed ex interna scriptione Sancti Spiritus, et ex vetere traditione.

Quod ad posterius argumentum attinet, 2.
frustra obganniunt adversarii eam credendi rationem, quam laici apud nos sequuntur, esse dubiam, periculosam, et incertam. Nam ipsi nullum alium credendi modum tutiorem hactenus, excogitarunt, imò neque excogitare unquam poterunt. Sicut enim laici illiterati non possunt distinctè et explicitè fidem suam resolvere in authoritatem doctrinæ scriptæ *quatenus scripta est*, quia videlicet non possunt eam legere, aut de externa phrasi qua illa doctrina proponitur judicare: ita etiam neque in perpetuam universalis Ecclesiæ traditionem, neque in Conciliorum aut Pontificum Romanorum judicialem decisionem, possunt distinctè et explicitè fidem suam resolvere: et sicut certò non sciunt quid in sacro codice scriptum sit, quid non; ita etiam certò scire non possunt quæ fuerit constans et perpetua totius Ecclesiæ doctrina ab ipsis Apostolis per quindecim sequentia sæcula ad nostra tempora derivata: aut quid in fidei quæstionibus à Conciliis aut Pontificibus Romanis determinatum sit.

Vt

Vt perpetua Ecclesiæ traditio, aut præsenti Ecclesiæ conspiratio in doctrina cum antiqua et primitiva Ecclesia cognoscatur, ingens et ferè impossibilis labor insumendus in Patrum scriptis, in historiis Ecclesiasticis, in Scholasticorum ac modernorum Scriptorum voluminibus evolvendis et legendis. Singula hæc et universa Laicos percurrere oportet, ut intelligant partim quid antiqui Patres docuerint, et num inter se conveniant, partim quid scholastici proposuerint, et num in omnibus Fidei capitibus conspirent, partim denique quid moderni Doctores Pontificii scripserint, et num ab antiqua Patrum doctrina deflexerint. Hoc negotium plenum vigiliarum et sudoris, Laici illiterati (qui istorum Doctorum volumina legere nequeunt) nunquam suscipient; Laici verò doctiores nunquam conficient.

3. Similiter quod ad Conciliorum et Pontificum judiciales determinationes in fidei causis, illæ ex Conciliorum decretis, et Pontificum Decretalibus Epistolis eruendæ sunt: Decisiones, verbi gratia, Patrum Tridentinorum in controversiis quæ hoc sæculo agitantur, ex decretis Concilii Tridentini petendæ sunt. At Laici illiterati istius Conciliabuli canones legere non possunt, et proinde certò scire non possunt quid in illis definitum

sit, et

sit, et quid non sit. Illi non audiunt Pontifi-cem ex Cathedra definientem, sed audiunt Pastores aliquot Pontificios audacter asseren-tes doctrinam de Meritis operum, de Prima-tu Pontificis, de Purgatorio, de Missæ sacri-ficio, de Transsubstantiatione, de Sanctorum invocatione, Imaginum adoratione, &c. esse à DEO per Prophetas et Apostolos reve-latam, in Ecclesia Catholica semper recep-tam, in legitimis œcumenicis Conciliis, et nominatim in Concilio Tridentino definitam fuisse, et nunc ab omnibus per universum orbem Catholicis firmiter credi: hoc, in-quam, audiunt, sed an verè ita se res habeat ex particularium aliquot Pastorum asseverat-ione certò scire non possunt. Paucorum ali-quot Pastorum et Episcoporum authoritas non est infallibilis; imò nec authoritas mul-torum, aut omnium seorsim existentium, hoc est, extra Concilium sententiam suam profe-rentium.

Hoc patet ex aperta Adversariorum confes- 4.
sione: Bellarm. enim libro 2. de Conciliis, cap. 2. dicit, *Spiritum Sanctum non doce-re Episcopos seorsim existentes omnem veritatem*, item, *Singulos Episcopos seor-sum errare posse*. Suarez, disp. 5. de fide sect. 1. §. 1. *Unde* (inquit) *hac ratione docent*

docent Theologi non sufficere plures Theologos etiam sanctos & sapientissimos ad confirmandam doctrinam, vt certam & infallibilem, quia sunt homines qui possunt vel decipere vel decipi. Gregorius de Valentia, tomo 3. disput. 1. quæst. 1. puncto 5. *Synodus* (inquit) *Episcopalis & plures etiam Theologi errare possunt.*

5. Rectè igitur concedit Gregorius de Valentia, tomo 3. disput. 1. quæst. 1. puncto 1. §. 6. col. 33. fidem illiteratorum implicitè & confusè resolvi in authoritatem Ecclesiæ proponentis dogmata fidei: verba ejus hæc sunt; *Porrò non est necesse, vt hæc Ecclesiæ propositio, quatenus ex Ecclesiæ sententia fit, & vt est infallibilis, explicitè cognoscatur ab omni, eo qui credit: sed satis est vt cognoscatur saltem implicitè, & in confuso; sicut cognoscitur à rudioribus, & ab iis, qui non immediatè ipsi eruduntur de fide ab Ecclesiæ Pastoribus, seu Ministris; sed credunt commoti authoritate & testificatione suorum majorum, qui immediatè vel mediatè ab Ecclesiæ Pastoribus seu Ministris instructi*

li sunt. Idem etiam asserit ibidem puncto 7. §. 1. quæst. 1. sub finem: *Illud tamen* (inquit) *hoc loco est addendum; non esse necesse vt omnes & singuli fideles cognoscant judicium ejus authoritatis, quæ est magistra & judex fidei: satis enim est vt illud vel explicitè cognoscant, (sicut cognoscunt ii quorum munus est alios erudire) vel implicitè, vt cognoscunt rudiores qui scilicet credunt commoti authoritate aliorum. Nam & hi quoque licet actu quidem non cognoscant judicium authoritatis magistræ fidei, tamen facilè possunt illud explicitè cognoscere, cum id necesse fuerit, exorta controversia de fide*.

Rectè hic dicit Valentianus, rudiores non semper explicitè & distinctè cognoscere sententiam Ecclesiæ de rebus fidei. Sed quod addit, eos facilè cognoscere posse sententiam Ecclesiæ, id est Papæ cum id necesse fuerit exorta controversia de Fide, id nullo modo probabile est. Nam non solum difficile, sed etiam impossibile est multis rudibus eam explicitè cognoscere: idq; primo quia nequeunt omnes rudiores ab extremis Europæ, Asiæ, Africæ, Americæ, & Magellanicæ angulis ulti- 6.

ultimisque Oceani Insulis, ad Papam Roma-num accedere. Secundò, ex iis qui Romam ve-nirent, centesimus quisque non posset audi-re Pontificem de omnibus iis viva voce pro-nunciantem, de quibus controversiæ maximi momenti exortæ sunt, & quotidie nascun-tur. 3. Plurimæ hominum myriades Pa-pam controversias definientem audientes, non intelligerent quid ab eo diceretur, prop-ter linguæ peregrinitatem: non enim *Ro-manus Apostolatus*, (phrasis est Anglo-Rhemensium, in EPHES. 4. VERS. 11.) *Apostolicâ facultate omnium linguarum* sibi annexam habet. 4. Eorum qui linguam qua Papa utitur, sibi habent familiarem mag-na pars non capit sensum aut mentem Papæ. Hinc tot de constitutionum Papalium sensu digladiationes. 5. Ex iis etiam qui Papæ loquentis mentem assequuntur, quotu-quisque est qui infallibiliter discernere valeat utrum ea verba ex Tripode enunciet, an ex privato suo sensu? 6. Vnde scient eum qui loquitur esse verum ac legitimum Papam? vide TRACT. 2. Cap. 3. ubi ostendo infalli-bilem certitudinem haberi non posse de hoc vel illo Pontifice quod revera Pontifex sit & Ecclesiæ Caput. 7. Vnde scient infalli-tatem judicii esse annexam Cathedræ Papali? vide TRACTATVM 7. hujus Operis, qu-

-, de *Primo Credibili*, ubi probatur infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis fidei controversiis ex Scripturis demonstrandam esse -c aliundè firmam & plenam certitudinem -ei de ea haberi posse.

Ex iis quæ jam dicta sunt duo colligo -nsectaria : primò, argumentum illud à 7.
-icorum imperitia petitum, ridiculè & in-ptè admodum ab Adversariis nostris adfer- contra nostram de regula & resolutione fi-i sententiam ; idque quia contra ipsorum -iam de regula & resolutione fidei doctri-m pariter militat. Secundò, aut dicen-m esse fidem Laicorum nullo certo funda-ento niti, (quod sanè impium dictu est) aut -tendum esse fidem Laicorũ interna luce do-rinæ quæ illis credenda proponitur tan-uam solidissimo fundamento, & principali -sentiendi ratione niti. Nam, ut jam ob-rvavi ; illi non nisi ex asseveratione pauco-m aliquot Pastorum (quorum authoritas -fallibilis non est) scire possunt aut quid -rophetæ & Apostoli scripserint, aut quid -imitiva Ecclesia crediderit, aut quid Con-lia & Pontifices definiverint in causis fi-i ; aut denique quid Ecclesia Catholica -nc per universum Orbem profiteatur. Er- nihil horum potest esse Laicis idonea, aut -fficiens causa certitudinis fidei ; & proinde

dicendum non eſt eos firmiter & certò cre-
re, quia ſciunt ea quæ illis credenda pro-
nuntur eſſe in ſacro codice ſcripta, aut ab E-
cleſia definita, (hæc enim certò ſcire n
poſſunt, ut jam obſervavi) ſed quia per Sp
ritus Sancti illuminationem evidenter pe
piunt eam doctrinam quæ illis credenda pr
ponitur eſſe divinitus revelatam.

8. Quamvis Pontificii Doctores nobiſcu
fateantur Laicos illiteratos à privatis ſuis P
ſtoribus in hoc negotio decipi poſſe, ne
men Laici hinc arripiant occaſionem prob
di, aut examinādi doctrinā Paſtorum ſuoru
dicunt errores Laicorum qui cum Paſtorib
ſuis errant, aut cæca fide errores Paſtorū ſu
rum amplectuntur, non ſolum non eſſe i
pernicioſos, ſed etiam eſſe illis vel maxi
ſalutares & ad æternam ſalutem utiles. D
cunt enim eorum errores in tali caſu *eſſe*
actus Chriſtianæ obedientiæ, & æternæ vi
tæ meritorios. Ita docent Gregorius de Va
lent. Tom. 3. Diſp. 1. Quæſt. 2. Part. 5. co
311. Tolet. de inſtructione Sacerdotis, Li
4. Cap. 3. §. 7. et Gabriel Biel, Lib. 3. Sen
Diſt. 25. Quæſt. unica, Art. 1. Notab. 2. ſu
finem. Hæc doctrina nimis abſurda eſt, &
apertis Scripturæ teſtimoniis contraria. Na
Apoſtol. IOANN. 1. EPIST. CAP. 4. VERS.

jub

jubet *omnes etiam Laicos Spiritus probare, an videlicet à DEO sint.* At Adversarii Laicos, non probare Spiritus, sed errare cum suis Pastoribus jubent. CHRISTUS, Matth. 15. Vers. 14. loquens de populi Iudaici Doctoribus, Phariseis videlicet dicit, *Si cæcus cæcum ducat, uterque in foveam cadet*; quo proverbio innuit tam seductos, quam seductores in extremum exitium ruere. At isti seductores solos in exitium ruere, seductos verò cæca sua obedientia salutem æternam mereri & consequi impiè ac blasphemè affirmant.

Caput IV.

Ad confirmationem eorum quæ supra dicta sunt, propositiones aliquot notatu dignissimæ, de fide Laicorum ex Suarezio afferuntur & explicantur.



Ropositio Prima: *Proponens fidem* (id est, doctrinam fide divina credendam) *vel est proximus, vel remotus. Proximum voco ipsum Prædicatorem* 1.

vel Doctorem, qui Fidem docet & suadet. Remotum appello, Scripturam, Concilium, aut aliquid simile in quo solet fundari verbum Doctoris vt suam doctrinam, veram fidem esse persuadeat. Suarez, Disput. 5. de fide in principio.

2. Propositio secunda: *Inter remotum proponentem & proximum quoad nos hæc cernitur differẽtia: quod proximus proponẽs non habet de se authoritatem, vt doctrinam suam certam esse ostendat, sed oportet vt aliundè eam confirmet. In proponente autem remoto vt in suo ordine sit sufficiens, debet supponi hæc authoritas, & ideo illud vocatur Regula fidei.* Suarez ibid. Hic dicit non esse infallibilem authoritatem in proximis proponentibus, hoc est, in privatis Pastoribus, aut Doctoribus, sed in remotis, hoc est, in Scriptura, Traditione, Conciliis, & Pontificè Romano ex Cathedra definiente.

3. Propositio tertia: *Quoties proximus proponens sufficienter facit credibilem veritatem propositam, ita vt inde oriatur obligatio illam credendi tanquam dictam à DEO, necessarium est vt proponens cred*

credatur esse infallibilis authoritatis, seu veritatis actualis in eo quod dicit. Suarez, prædicta Disput. 5. de Fide, Sect. 1. §. 4. quasi diceret: quamvis proponens proximus non sit habitualiter, permanenter, & ex se infallibilis, tamen cum ita proponit fidei dogmata, ut auditores obliget ad credendum illa dogmata, necesse est ejus propositionem, seu prædicationem qua proponit illa dogmata esse infallibiliter veram, & proinde necesse est eum esse infallibilis authoritatis, & veritatis actualis *in eo quod sic dicit.*

Propositio quarta: *Proponens proximus cum authoritatem hanc infallibilem non habeat permanenter, habitualiter, & absolutè, proculdubio eam accipit à doctrina quam tradit, & à signis vel regulis quibus illam confirmat.* Ibidem §. 5. sub finem. Exempli gratia, Pastor aliquis publicè docens, unam esse essentiam in Deitate, & tres personas, quamvis habitualiter, permanenter, & absolutè, non sit infallibis, tamen pro tunc, et quatenus hoc docet, est infallibilis, et hanc infallibilitatem accipit à doctrina quam tradit, et à signis vel regulis quibus eam confirmat. 4.

Propositio quinta: *Necesse est igitur* 5.

vt doctrinam suam confirmet aliqua regula infallibili, quia non potest aliter obligare auditores suos ad credendam illam veritatem vt infallibilem. Ibidem.

6. Propositio sexta: Quia Laici qui per se Scripturam, Traditiones, et Concil. Canones consulere nequeunt, dubitare possunt an doctrina proposita verè et realiter nitatur authoritate illius regulæ qua proponens proximus doctrinam suam confirmat, *ideo etiam necesse est, vt regulam illam applicet cum morali evidentia, ac certitudine, ita vt de illa nō possit rationabiliter dubitari: & ita imprimis necesse est, vt quod proponitur non sit contrarium antiquæ Fidei; deinde vt publicè & in conspectu Ecclesiæ proponatur, sine vlla cōtradictione ex parte Ecclesiæ, & cum sufficiente attestatione Pastorum ejus*, &c., Ibidem. Et Disput. 4. de Fide, Sect, 5. §. 8. Nota hic, (Candide Lector) Laicos Pontificios non habere certitudinem, nisi moralem, (quæ videlicet probabilibus argumentis nititur) de doctrina illis proposita, quod sit à Pontificè aut Concilio definita. Quis negaverit Laicos apud nos parem aut majorem certitudinem habere de doctrina illis proposita, quod videlicet

licet Sacra Scriptura contineatur.

Propositio septima: *Addo denique si* 7.
ntingat exteriorem prædicationem fidei
& propositionem, (quæ videlicet fit à prox-
imo proponente) *non esse sufficientem ad*
formandum judicium, ita firmum & evi-
dens, de credibilitate fidei----- tunc per
divinam inspirationem, & vocationem in-
ternam posse compleri hujusmodi credibili-
tatem. Suarez, Disput. 4. de Fide, Sect. 5.
§. 9. et infra §. 10. *Nam licet simplices*
homines per se non sint capaces hujus
evidentiæ immediatè ut sic dicam, &
speculativè deducta ex suis principiis &
motivis, sunt tamen ejus capaces mediantè
fide humana, de miraculis, & aliis testibus
& testimoniis hujus fidei, & juvari pos-
sunt interna DEI illuminatione ut dixi.
Ecce tandem Suarez in nostram it pedibus
sententiam, hoc est, nobiscum fatetur id
quod Laicis illiteratis ad firmam et plenam
fidei certitudinem ab externis adminiculis
deest, (quia scilicet de regulis, motivis, et
argumentis, quibus doctrina à Pastoribus
proposita confirmatur, convenienter, et ac-
curatè judicare non possunt) sufficienter

compleri et suppleri per internam inspira-
tionem aut illuminationem Spiritus Sancti,
qui efficit ut homines quantumvis rudes et
simplices percipiant cœlestem istius doctri-
næ lucem et majestatem mirabilemque ejus
efficaciam. Atque hinc est quod hujusmo-
di Laici postquam doctrinam Legis et Evan-
gelii fide divina seu infusa crediderunt, ei
tam constanter adhæreant, *ut quamvis
omnes qui eos docuerunt*, (verba sunt
Melchioris Cani, Libro 2. Cap. 8. Pap. 47.)
*immò adeo Angeli cœlorum iis astrue-
rent oppositum ejus quod fide tenent, non
ex eo fides eorum labefactaretur*: juxta
PAVLI *Apostoli præscriptum*, GA-
LAT. I. VERS. 8. Licet nos aut An-
gelus de Cœlo Evangelizet vobis aliud
Evangelium, &c.



TRAC.

TRACTATVS SECVNDVS.

De definitione formalis objecti fidei, ab Authore proposita, parte prima disputationis, sectione prima.

PARS PRIMA DISP.

In qua Pontificiorum doctrina de formali objecto fidei examinatur, eorumq́ fraudes & imposturæ deteguntur.

SECTIO I.

Quid sit objectum fidei materiale, & quid formale.



ARTINVS BECANVS, *Societatis Iesu Theologus, in Summa Theologiæ, part. 2. Tom. Poster. Tract. 1. cap. 1. Quæst. 2. §. 4. Satis eleganter & perspicue, definit objectum fidei, tum materiale, tum formale. Materiale fidei objectum* (*inquit*) est id quod creditur propter aliud, *nempe* propter I.

 primam

primam veritatem revelantem, *seu quod eodem redit*, propter primæ veritatis revelationem. *Formale* est id quod non creditur propter aliud, sed est ratio credendi aliud. Potest quidem credi non tamen propter aliud sed propter se. *Hæc* Becanus.

2. §. 2. *Materiale & Formale objectum fidei, non minus perspicuè & clare, sic definiri possunt. Materiale objectum fidei* Est id quod credimus, *& per quod respondemus, ad quæstionem,* Quid credis? *Formale objectum fidei,* Est id propter quod credimus, *& per quod respondemus ad quæstionem,* Cur credis? *Exempli gratia ea omnia, quæ in verbo DEI, credenda proponuntur, ut creatio mundi, DEI providentia, redemptio generis humani, sunt materialia fidei objecta: sunt enim id quod credimus: per ea respondetur ad quæstionem* Quid credis? *&* non propter se, sed propter aliud creduntur, *videlicet propter au*thoritatem verbi *in quo credenda proponuntur: formalis enim ratio propter quam ea credimus est quia à* DEO revelata sunt: *seu quia verbum in quo credenda proponuntur, non hominum sed DEI revelantis verbum est.*

3. §. 3. *At verbi DEI authoritas, est formale objectum fidei: nam non creditur* propter aliud, *sed est ratio* credendi omnia alia: *Item hæc, est id,* propter quod credimus, *& per quod respond*

detur ad quæstionem Cur credis? Nam si
ras: cur credam ea quæ in scriptura credenda
ponuntur? Respondebo, quia DEVS ea reve-
it seu quia Scriptura DEI verbum est. Si rur-
quæras propter quid credam DEVM ista re-
lasse seu scripturam DEI verbum esse? Re-
ndebo hoc principium DEVS dixit, seu hoc
DEI verbum est, non credi propter aliud, sed
propter se: Ita loquitur Becanus quæst. jam ci-
ta, §. 9. Credo (inquit) DEVM hoc
velasse, non propter aliud, sed immediate
propter se: & infra dicit, assensum fidei, non
solvi ulterius, sed sistere in ipsa revelatione
divina (hoc est in verbi DEI authoritate)
quæ creditur propter seipsam. Sic etiam Va-
lent. tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punc. 1. §. 10.
colum. 37. Et eadem Quæstione, punc. 4. §. 1.
colum. 61, dicit nos credere & cognoscere di-
vinam revelationem per seipsam sine alia re-
velatione.





Replicatio Turnebulli, qua

Definitio formalis objecti fidei suprà proposita oppugnatur.



Cap.2 §.3. Lterum interim, & alterius so-phismatis principium, quo pa-ter vel ipse falsus es, vel falle-re alios voluisti, à te traditur. Sect. 1. §. 2. ubi affirmas sicut ma-teriale objectum fidei definit-per quod respondemus quęstioni *Quid credis?* Ita & formale per quod respond-mus quæstioni, *Cur credis?* Equidem non inficio materiale objectum ita describi posse sine pericu-sicut descripsisti. Contendo tamen formale obj-ectum non posse tantam æquivocationem in sua de-nitione pati, ex quanta responderi potest quæstioni Cur Credis? Quis enim nescit quod notavit Phi-losophus 2. lib. poster. Analyt. responderi pos-quæstioni propter quid per omnia causarum gene-ra, ut quærenti. Cur credis? Respondere possum non tantùm per objectivam rationem credendi re-velatione applicatam, per DEI nempe auctori-tatem, sed etiam per alia plura credendi principia ut per piam affectionem credendi quia volo, p-efficaciam gratiæ dantis tum velle, tum perficere

op-

us fidei, quia DEVS inspiravit, per prævium dicium prudentiæ de tota rerum revelatarum credibilitate. Quia prudens discretio in regulis credendi fundata sic dictavit. Demum tu ipse 2. p. disp. q. 8. §. 4. tandem advertisti ambiguum e illud (propter) & aliquando denotare cam effectivam assensus, aliquando autem objectivm. Cur ergo tanta sermonis homonymia obscure voluisti rem ex se manifestam in prima ejus definitione assignanda? Nonne quia captiosi argumen, quod sect. 3. §. 4. postea texis, statuendum à te oc loco erat principium pariter captiosum? Frua mi homo jacis rete ante oculos pennatorum, od suo postea loco in aërea filamenta, & nubes exetur.

Huic tuo principio tantopere captioso, consenneum est aliud à te positum 2. p. tuæ disp. q. 4. 4. i prænotato discrimine inter præpositiones (per) (propter) affirmas quidem scripturam credi r præsentis Ecclesiæ testificationem, primitivæ clesiæ traditionem, & internam Spiritus Sancti perationem: Negas tamen eandem scripturam edi propter aliquid horum, quia præpositio (per) bi significat usum omnis medii, sine quo fides ornariè non producitur. At præpositio (propter) n tibi significat aliud quàm principale Fidei funmentum, & objectivam rationem credendi. contra subtilitatem hanc grammaticam conteno ego non per te, nec propter te, sed præ te sare omnes Philosophos, qui cum Aristotele 2. ster. Anal. c. 1. & sequentibus docent quatuor neribus contineri omnes, quæ moveri possunt ullo subjecto, quæstiones. *An sit? Quid sit? quale*

Quale sit? Cur vel propter quid? Et ad hanc p
stremam responderi posse per omnia media idon
demonstrationi, sive caussam hæc denotent effe
vam, sive finalem, sive quamvis aliam, unde d
monstrationis propter quid assignant iidem Phi
sophi exempla in omni genere caussarum. Q
ergo jure vocabulum tam commune ausus es
appropriare tuo velut agro? Præsertim ubi a
versus violentiam talis appropriationis stant c
tum & amplius scripturæ testimonia, in quibus pr
positio (propter) alias ab objectiva caussas d
notat.

5. Tertium in objecto Fidei definiendo, vitium
te admittitur, sect. 3. §. 1. quando tam ex nostr
rum, quàm tuorum sententiis colligis, *Formale o
jectum Fidei saltem respectu eorum, quæ in Scri
tura continentur, esse hoc complexum. Totam Scri
turam esse DEI verbum.* Quorsum cœlum te
ræ commisces? Cur non advertis, quod jam an
tibi ostendi ejusdem rationis & speciei essentia
Fidem esse nunc post DEI verbum scriptum, q
fuit in utroque Testamento, antequam alterutru
scriberetur, nomineque formalis objecti debere in
telligi specificum objectum?



AUTH

AUTHORIS DUPLICATIO,

In qua Adversarii objectiuncula contra definitionem formalis objecti fidei perspicuè diluitur.



Ormale objectum fidei sic descripsi, parte 1. disp. sect. 1. §. 2. *est id propter quod credimus, & per quod respondemus ad quaestionem, Cur credis?* Hanc descriptionem petulanter, & acerbe carpis, capite 2. §. 3. & hanc tuae censurae rationem adfers; quia ad quaestionem, *Cur credis?* non tantum respondere possumus per causam objectivam assensus, id est, per objectum formale, sed etiam per causam effectivam assensus, id est, per efficaeem S. Spiritus operationem, & per directivam seu exemplarem causam credendi, id est, per regulam fidei, nec non per alia credendi principia. Hoc autem probas quia Philosophi omnes cum Aristot. libro 2. poster. Analyt. docent ad quaestionem *propter quid* 1.

quid, responderi posse per omnia media idonea demonstrationi seu per omnia causarum genera. Vnde concludis nimis generalem, & ambiguam esse definitionem formalis objecti fidei à me assignatam: meque de industria hujusmodi definitionem assignasse pro singulari tua sagacitate conjicis, ut videlicet in sententia vestra confutanda captiosis, & ambiguis loquendi modis lectoribus fucum faciam.

2. Ad puerilem hanc, & ineptam tuam objectiunculam, qua me captum, & constrictum stolide somnias, multis modis respondere possum. Primo enim multi ex vestris Theologis generalioribus, & magis ambiguis vocibus utuntur in describendo formali fidei objecto ut verbi gratia Thomas secunda secundæ, quæst. 1. art. 1. Cajetanus ibidem; Durandus in 3. senten. distinct. 24. quæst. 1. §. 16. Suarez, disput. 2. de fide in initio. Becanus, Tract. de Fide, Cap. 1. Quæst. 2. §. 1; imò ipse Leo Pontifex (cujus definitionē me pronum venerari jubes) Cap. 2. §. 6. satis generaliter & ambiguè loquitur cum formale fidei objectū sic exprimit, *Divina est authoritas cui credimus*, id est, divina authoritas est formale fidei objectum; ratio est, quia esse id cui credimus multo latiùs patet, quam

uam formale objectum fidei.

Secundo Respondeo, hunc esse sensum eæ definitionis; formale objectum fidei 2.
t id per quod fideles ordinariè & communiter respondent ad quæstionē, *Cur credis?* uodq; præcipuè satisfacit iis qui hanc quæionē proponunt. Hoc soli formali objecto fii cōpetit: nam ordinariè & communiter ad uæstionē, *Cur hoc vel illud credis?* per formale fidei objectū, & nō per alia credēdi principia respondemus: itē solū formale objectū ræcipuè satisfacit iis qui hanc quæstionem roponunt. Hoc patet ex analogia fidei humanæ; cum enim quæro ex aliquo, *Cur hoc vel illud credat?* statim respondet non er causam effectivam, sed per formale objectum sui assensus, dicitque se id credere uia hic testis fide dignus id affirmavit.

Tertiò ipsi Theologi Pontificii formali 3.
bjecto fidei hoc tanquam ei peculiare ascriunt quod per id ad quæstionem, *Cur credis?* respondendum sit. Nam Gregorius e Valentia, Tom. 3. Disput. 1. Quæst. 1. Puncto 1. §. 10. dicit ad quæstionem, *Cur firmiter & infallibiliter hoc vel illud credis?* espondendum esse, non per Ecclesiæ testimonium, (quod ex te, mi Turnebulle, st principale credendi principium) sed

quid, reſponderi poſſe per omnia media idonea demonſtrationi ſeu per omnia cauſarum genera. Vnde concludis nimis generalem, & ambiguam eſſe definitionem formalis objecti fidei à me aſſignatam: meque de induſtria hujuſmodi definitionem aſſignaſſe pro ſingulari tua ſagacitate conjicis, ut videlicet in ſententia veſtra confutanda captioſis, & ambiguis loquendi modis lectoribus fucum faciam.

2. Ad puerilem hanc, & ineptam tuam objectiunculam, qua me captum, & conſtrictum ſtolide ſomnias, multis modis reſpondere poſſum. Primo enim multi ex veſtris Theologis generalioribus, & magis ambiguis vocibus utuntur in deſcribendo formali fidei objecto ut verbi gratia Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. art. 1. Cajetanus ibidem; Durandus in 3. ſenten. diſtinct. 24. quæſt. 1. §. 16. Suarez, diſput. 2. de fide in initio. Becanus, Tract. de Fide, Cap. 1. Quæſt. 2. §. 1: imò ipſe Leo Pontifex (cujus definitionē me pronum venerari jubes) Cap. 2. §. 6. ſatis generaliter & ambiguè loquitur cum formale fidei objectū ſic exprimit, *Divina eſt authoritas cui credimus*, id eſt, divina authoritas eſt formale fidei objectum; ratio eſt, quia eſſe id cui credimus multo latiùs patet, quam

quam formale objectum fidei.

Secundo Respondeo, hunc esse sensum meæ definitionis; formale objectum fidei 2.
est id per quod fideles ordinariè & communiter respondent ad quæstionē, *Cur credis?* quodq; præcipuè satisfacit iis qui hanc quæstionē proponunt. Hoc soli formali objecto fidei cōpetit: nam ordinariè & communiter ad quæstionē, *Cur hoc vel illud credis?* per formale fidei objectū, & nō per alia credēdi principia respondemus: itē solū formale objectū præcipuè satisfacit iis qui hanc quæstionem proponunt. Hoc patet ex analogia fidei humanæ; cum enim quæro ex aliquo, *Cur hoc vel illud credat?* statim respondet non per causam effectivam, sed per formale objectum sui assensus, dicitque se id credere quia hic testis fide dignus id affirmavit.

Tertiò ipsi Theologi Pontificii formali 3.
objecto fidei hoc tanquam ei peculiare ascribunt quod per id ad quæstionem, *Cur credis?* respondendum sit. Nam Gregorius de Valentia, Tom. 3. Disput. 1. Quæst. 1. Puncto 1. §. 10. dicit ad quæstionem, *Cur firmiter & infallibiliter hoc vel illud credis?* respondendum esse, non per Ecclesiæ testimonium, (quod ex te, mi Turnebulle, est principale credendi principium) sed

per formale objectum fidei, seu quia DEVS *id revelavit*. Similiter Becanus, in opusculo de circulo Calvinistico, à §. 23. ad 30. docet quomodo respondendum sit ad quæstionem, *Quare firmiter & infallibiliter hoc vel illud credis?* & tamen non aliam responsionem affert, quam eam quæ à formali objecto fidei petita est, seu quia DEVS *id revelavit*.

4. Quartò imaginaris (ut patet ex Cap. 3. tui libri, §. 4.) me tam generalem & ambiguam definitionem formalis objecti fidei attulisse, ut formale objectum fidei, & regulam fidei confunderē, quia scilicet per utrumque responderi potest ad quæstionem, *Cur credis?* sed fallis & falleris, nam ad quæstionem, *Cur credis?* non tam propriè & appositè respondetur per regulam fidei, quam per formale objectum fidei. Hoc patet ex Valentiano & Becano, locis citatis, qui ad quæstionem, *Cur firmiter & infallibiliter hoc vel illud credis?* non aliter respondendum esse docent, quam per formale objectum fidei, seu quia DEVS *id revelavit*. At per vestram fidei regulam, id est, per Ecclesiæ authoritatem, non putant respondendum esse ad hanc quæstionem, sed ad aliam

quand

quandam qua quæritur, *non de causa fidei secundum se, sed de causa acceptationis fidei.* Verbi gratia, si quæram quid te impulit & permovit ut in animum induceres credere articulos tam obscuros & humanum captum excedentes. Ad hanc quæstionem sic respondendum esse dicunt: *Inductus sum vt hæc crederem authoritate Ecclesiæ, consensu tot populorum, miraculis & similibus.* Vt igitur nunc omnem scrupulum tibi eximam, utque omnes sciant te impudenter calumniari, cum fingis me in hac definitione captiosum statuere principium & fundamentum, ex quo postea captiosè & sophisticè ut ais argumentor, palam profiteor me per formale fidei objectum non intelligere quodlibet principium, aut causam credendi, sed causam objectivam principalem assensus fidei, in quam scilicet assensus fidei formaliter, et ultimò resolvitur. Profiteor item et declaro me formale objectum fidei distinguere, semperque distinxisse à fidei regula, unde in meis prælectionib⁹ anni 1628. (quæ nunc in multorum manibus sunt) post disputationem de objecto formali fidei, subjeci disputationem de regula fidei. Neque hac mea declaratione tibi dabitur vel levissima occasio evitandi efficacissima argumen-

ta, quibus absurdam et inexplicabilem ve-
stræ fidei analysin confuto. Iudicet Lector, cum ventum fuerit ad confutationem puerilium subterfugiorum quibus tu subinde uteris, judicet, inquam, an hæc mea declaratio tibi vel unius argumenti solutionem suppeditet aut faciliorem reddat.

Quæret aliquis quomodo distinguatur
5. formale objectum fidei, à regula fidei? Resp. distinctionē formalis objecti fidei, à regula fidei variis modis explicari posse: primò enim regula fidei, est quasi *causa exemplaris* fidei, quam videlicet fides in omnibus sequi, & cui se conformare debet: vel ut planius dicam est principium secundum quod credere debemus: at formale objectum est *causa objectiva fidei*, seu est principium propter quod formaliter & principaliter credimus. Secundò regula fidei limitat & determinat eam latitudinem, & extensionem quam fides habet in ordine ad materialia sua objecta, hoc est, docet quot & quæ credenda sunt. At formale objectum fidei specificat, terminat, & fundat assensum fidei. Tertiò effectus regulæ est notitia quæ præcedit actum fidei: nam intellectum instruit & informat proponendo ei ea quæ credenda sunt. At effectus formalis objecti est ipse proprius actus fidei,

videlicet, assensus mentis nostræ; nam obje- ctivè movet intellectum ad assentiendum dogmatibus illis, quæ ei credenda proponuntur. Denique regula fidei nihil aliud est, quam systema, collectio, aut comprehensio omnium credendorum: at formale objectum fidei, est id propter quod & ipsam regulam fidei et omnia quæ in ea credenda proponuntur fide divina credimus. Vnde fides nostra non resolvitur in ipsam regulam, sed in formale fidei objectum, hoc est, DEI revelantis authoritatem isti regulæ applicatam. Si enim quæras, quare Scripturam Sacram ut regulam meæ fidei recipiam? Respondebo, quia DEI verbum est, et quia nobis à DEO tradita est ad fidem nostram regulandam et dirigendam. Si verò quæras, quare hoc vel illud dogma in Scriptura propositum credam? Respondebo, quia illud à DEO qui est prima veritas, in ea regula aut per eam regulam revelatum est.

Quintò quod ad argumenti tui confirmationem attinet qua ex testimonio Aristotelis, (asserentis ad quæstionem *propter quid*, responderi posse per omnia causarum genera) probas, ad quæstionem, *Cur credis?* seu propter, *Quid credis?* responderi posse non tantum per formale fidei obje- 6.

 ctum,

ctum, seu per objectivam causam credendi; sed etiam per reliquas credendi causas. Respondeo, ineptam et ridiculam esse consequentiam: quamvis enim ad quæstionem, qua de affectione, seu proprietate demonstrabili, quæritur propter quid ea insit suo subjecto responderi potest per omnia causarum genera: tamen cum quæstio movetur de assensu quem intellectus noster præbet huic vel illi veritati, et cum quæritur propter quid, vel cur ei assentiamur, tunc respondere solemus non per quamlibet causam quæ ad istum assensum producendum concurrit, sed per solam causam objectivam, seu per id quod objectivè nos ad assentiendum movet. Et sanè sic fieri debet; quia illi qui hanc quæstionem proponunt, ordinariè et communiter non quærunt, aut de effectiva, aut de subjectiva, aut de finali nostri assensus causa; sed de sola objectiva causa, seu de ratione propter quam assensum præbemus: et proinde per eam causam convenientissimè respondemus, verbi gratia, qui quærit cur præbeam assensum huic conclusioni demonstrabili, *homo est risibilis*, is quærit quodnam sit medium, aut argumentum demonstrativum propter quod isti conclusioni assentior. Sicut igitur omne medium demonstrationis, seu id omne propter quod formaliter, et principaliter assent

assentimur conclusioni demonstrationis, (sive causam denotet effectivam, sive finalem, sive quamvis aliam) semper est formale objectum assensus, quem præbemus conclusioni. Ita etiam id omne propter quod formaliter et principaliter fide divina assentimur alicui veritati credibili, est formale objectum fidei divinæ. Et proinde esse id propter quod credimus intellige formaliter et principaliter est quid peculiare formali objecto fidei. Vnde Stapletonus, Lib. 8. principiorum doctrinalium, Cap. 21. et in Relect. Controv. 4. Quæst. 3. Artic. 2. sic definit formale objectum fidei: *Objectum formale fidei, illud est, per quod, & propter quod, formaliter & principaliter credimus.*

Hæc definitio Stapletoni planè concidit cum mea, quamvis enim illa verba, *formaliter & principaliter*, non sunt expressa in mea definitione; habentur tamen in ejus explicatione, Sect. 1. §. 2. ubi formale objectum fidei voco *formalem rationē, propter quam credimus:* item, Sect. 2. §. 1. ubi illud voco, *formalē & principalem causam, cur credimus ea quæ credimus.* Imò similes periphrases formalis objecti habes ferè per totam meam Disputationem: 7.



Tractatus Tertius.

De revelatione divina quatenus est formale fidei objectum.

Sectio II.

Omnes ferè, tam Evangelicos, quàm Pontificios, in eo, (saltem verbo tenus) consentire, quod objectum fidei formale, non sit Ecclesiæ testimonium, sed divina revelatio.

1. 

ON solum Evangelici, sed etiam Pontificii, docent objectum formale fidei, seu principale fundamentum, nostri assensus, quem præbemus Articulis fidei, non esse Ecclesiæ testimonium, sed DEI ipsius revelationem. Formalis enim, & principalis causa, cur credimus ea quæ credimus, est quia DEVS ea revelavit, vel quia verbum

verbum illud, in quo ea credenda proponuntur, verè DEI ipsius verbum est.

§. 2. *Hanc fuisse sententiam omnium ferè antiquorum Scholasticorum testatur* Valent. Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 4. Colum. 21. *Ita (inquit) docent* Thomas, *hoc Articulo primo.* Alexander Alensis, 3. P. Quæst. 78. Membro 4. Albertus Magnus, in 3. Sentent. Distinct. 23. Art. 7. & 12. Bonavent. Distinct. 24. Art. 1. Quæst. 2. & 12. Altisiodor. Lib. 3. summæ Tractat. 3. Cap. 1. Quæst. 3. Richardus, in 3. Sent. Distinct. 23. Art. 4. Quæst. 3. Durandus, in 3. Sentent. Distinct. 23. Quæst. 7. Num. 12. & Distinct. 24. Quæst. 1. Num. 16. & Quæst. 2. Num. 4. Gabriel, Distinct. 23. Quæst. 2. Art. 1. Marsilius, in 3. Quæst. 14. Cajetan. hic Art. 1. &c. 2.

§. 3. *Quod ad recentiores Pontificios attinet, illi etiam omnes, hoc ipsum profitentur.* Bellarm. Libro 3. de Verbo, Cap. 10. Resp. ad Argument. 13. Melchior Canus, Lib. 2. de locis, Cap. 8. Pag. 46. Gretser. Append. 2. ad 1. Lib. Bell. de verbo DEI, Colum. 395. & Append. 2. ad Lib. 3. de Verbo, Colum. 1514. Staplet. Lib. 3. de Authorit. Script. Cap. 12. §. 11. Malderus, in secundam secundæ Divi Thomæ, Quæst. 1. Art. 1. §. 8. 3.

Object. 3. Gregorius de Valentia, Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 4. 6. & 10. Vasquez, in primam partem Thomæ, quæst. 1. Art. 2. Disp. 5. Cap. 3. Becanus, in summa, Part. 2. Tom. poster. Tract. 1. Cap. 1. quæst. 2. §. 9. & Cap. 8. ejusdem Tract. quæst. 8. §. 8. *Hi Doctores aliique ferè omnes moderni Pontificii docent: Primò Ecclesiæ testimonium non esse principale fundamentum ullius assensus fidei, seu non esse, principalem rationem, propter quam credimus ea quæ credimus: & nominatim, dicunt eam non esse principalem, & formalem rationem, propter quam credimus Verbi DEI authoritatem. Secundò Ecclesiæ testificationem, esse tantum conditionem ad credendum requisitam. Tertiò, Fidem eam quæ Ecclesiæ testimonio nititur, non esse Divinam, aut Theologicam, sed alterius inferioris ordinis. Quartò, solam revelationem Divinam, seu Verbi DEI authoritatem esse formale objectum fidei, seu principale ejus fundamentum. Quintò, eam non credi propter aliud, ideoque non propter Ecclesiæ testimonium, sed tantum propter se.*



Replic

Replicatio Turnebulli,

qua

Probare conatur Revelationem divinam simpliciter & per se, non pertinere ad formalitatem objecti fidei.



VR non meministi, si didiceris, vel si nondum didiceris, cur antequam scriberes, non didicisti, Fidem de qua disputamus, esse virtutem Theologicam, ordinéque generationis, Theologicarum virtutum primam? Cap. 2 à §. 5. ad finem.

Cui proinde solus DEUS ut revelans, vel increata DEI testantis perfectio est objectiva, & specifica ratio assentiendi rebus per eam credibilibus. Scriptura verò etiam, quâ DEI Verbum est, nec est DEUS, nec increata DEI perfectio.

Quis puer nescit sicut humanæ Fidei formale objectum est hominis testantis auctoritas, ita divinæ Fidei formale objectum esse DEI testantis auctoritatem? Quis mediocriter Dialectica imbutus, non advertit hoc inter locum intrinsecum ubi à caussa vel effectu; & extrinsecum ubi à testantis auctoritate quis arguit, hoc esse discrimen, quòd hinc gignatur

Fides,

Fides, illinc scientia, vel alterius à Fide rationis opinio?

6\. 6. Nolo ad hoc confirmandum, quod ex analogia humanæ Fidei jam illustratum, alia nullâ probatione indiget, tecum texere longum catalogum nostrorum ita de Theologica Fide concedentium, ubi guttatim ex recentiorum rivulis frustra inquiris, quod uno haustu habere poteras in antiquo fonte. Audi magnum Romanæ Fidei Leonem, & divinæ tam sapientiæ, quàm eloquentiæ Pontificem, Serm. 7. de Nativitate: *Divina* (inquit) *est auctoritas, cui credimus*, ecce formale objectum: *Divina est doctrina, quam sequimur*, ecce materiale objectum Fidei Theologicæ.

7\. 7. Nota hìc primò, pronúsque venerare Pontificiam utriúsque objecti definitionem, unde proprias habes, & definitivas utriúsque objecti differentias, quarum prior est increata, & æterna DEI perfectio, ex duobus ejus attributis omni scientia, & veracitate veluti consurgens, unde formaliter habet DEVS, ut nec falli possit, nec fallere, unóque nomine vocatur à S. Thoma, cæterísque Scholasticis, tum Auctoritas divina, tum Prima veritas in dicendo. Posterior est omnis ab eo revelata doctrina, & assertio quæcunque tanto ex principio credibilis, sive quâ dicimus eum dixisse aliquid, sive qua, quod ab ipso dictum est, simpliciter repetimus. In omni enim ejusmodi assertione, nisi credentis intellectus nitatur increata DEI perfectione tanquam proxima & objectiva ratione assentiendi, non operatur ex Fide Theologica. Nam objecta specificè discriminantia virtutes Theologicas, sunt totidem

totidem DEI perfectiones paris inter se necessitatis, & æternitatis.

8. Vbi præterea nota distinctionem illam complexorum credibilium in Schola quandoque audiri solitam, quorum alia dicuntur credi, quia DEVS ea dixit, ut CHRISTVM resurrexisse, alia sine alio medio propter se, ut est DEVM hoc, vel illud dixisse, non debere sic intelligi quasi ullum sit testimonium, in quo non distinguatur æterna testantis auctoritas ab effectu verboque temporali tanquam formalis, id est, specifica ratio à materia. 8.

Sed sensus distinctionis est, Ex propositionibus divina Fide credibilibus alias esse, quibus DEI auctoritas tanquam objectiva ratio credendi non applicatur, nisi medio quasi vinculo temporalis revelationis, ut DEVM esse trinum credimus, quia DEVS revelavit; alias verò esse, quibus eadem DEI auctoritas seipsa immediatè sine alio vinculo applicatur, ut est, DEVM hoc vel illud revelasse. Cùm enim temporalis revelatio sit ratio applicans divinam auctoritatem aliis credibilibus, seipsâ unitur divinæ auctoritati sine alio vinculo eam applicante. Sicut enim in aliis unionibus contingit, ita in ista ut sit ratio ita nectens inter se extrema, ut ad eam utrique extremo nectendam non sit opus alia ratione formali, cùm sit ex natura sua ipsum formale utriúsque vinculum.

9. Tertiò, debes advertere, si quando à nostrorum aliquibus, & gravibus viris analysim Fidei petentibus ab hoc complexo, *Quia DEVS dixit*, Verbum DEI dicatur esse formale objectum Fidei, posse hoc sine errore uno è duobus modis intelligi, vel sensu proprio, vel metonymico: Proprio si 9.

principal

principaliter ſignificetur internum & æternum in divina mente dicere omnium in tempore poſtea credibilium, quod ab increata DEI auctoritate non diſtinguitur, connotato tamen externo ſigno temporalis revelationis.

Metonymico verò ſi intentionaliter, ut ita dicam, accipiatur temporale ſignum externæ revelationis pro infallibili auctoritate, & æterna præconceptione revelantis per tale ſignum repræſentata. Qualis etiam æquivocatio aliquando cernitur in nomine auctoritatis, quòd aliquando externum teſtimonium, aliquando internam teſtantis perfectionem ſignificat: illud metonymicè, hanc propriè. Ratio hujus æquivoci, & promiſcui uſus apud non curantes ſubtiliorem Scholæ uſum eſt, quia cùm idem ſit motus animæ in ſignum, ſeu imaginem intentionaliter acceptam, & rem ſignificatam, ut notavit Philoſophus, Lib. de Mem. & Reminiſc. nil vetat eandem rationem ſpecificam in objecto hujus virtutis poſſe promiſcuè ſignificari ſive priori modo, ſive poſteriori exprimatur. Vbi tamen ad accuratiorem Scholæ amuſſim proprietas ſingulorum terminorum expenditur, fateri oportet, quicquid in objecto Fidei ſpectatur, creatum & temporale, ſive ſit res revelata, ſive ipſa revelatio, comparari cum increata DEI auctoritate primâve veritate, tanquam materiam inde tanquam à formali ratione determinandam in ratione veritatis credibilis Fide divina, ut probatum eſt. Huc ſpectat quod

10. 10. Quartò debes notare ſicut in explicanda miſſione divinarum perſonarum, uno nomine miſſionis paſſivæ duo ſolent à Theologis ſignificari,

unum

unum æternum, alterum temporale, nimirum æterna processio, & temporalis effectus, per quem persona procedens novo modo communicatur creaturæ; ita in explicando Fidei objecto, uno nomine divinæ revelationis duo posse significari, tùm æternum conceptum divinæ mentis per modum loquutionis intellectualis, tum temporale signum, quo conceptus ille nobis repræsentatur. Ex quibus duobus solum prius tanquam perfectio increata est per se formale motivum credendi, alterum verò non nisi repræsentativè movet, & fundat assensum; quatenus nimirum est ratio nobis applicans, & præsentans conceptum illum æternum DEI. Qua in applicatione licet mediet tanquam vinculum inter principalem materiam, quæ revelatur, & DEVM revelantem, simpliciter tamen & per se spectat ad materiam, quæ creditur, ut probatum est. Aliunde verò spectatum intentionaliter seu repræsentativè debet considerari ut signum non tantùm divini conceptus, qui principaliter movet, & fundat assensum credentis, sed etiam rerum à DEO conceptarum, & à nobis credendarum. Siquidem ipsa ratio signi, quo DEI revelatio continetur, utramque significationem ut formam, & materiam ejusdem compositi simul unit, nobisque repræsentat ut simul unitas.

11. Per hanc quartam annotationem possunt reali concordia inter se conciliari contrarii in speciem modi loquendi Catholicorum Doctorum de formali objecto Fidei, dum alii cum S. Thoma, secunda, secundæ, quæst. 1. artic. 1. dicunt illud nihil aliud esse, quàm primam veritatem, quo nomine constat intelligi increatam perfectionem DEI. 11.

Alii

Alii verò recentiores aiunt illud conflari partim ex hac increata perfectione DEI, partim ex temporali ſigno, quo externam revelationem DEUS exequitur tanquam eſſentialiter neceſſario ad fundandam Fidem. Sed reipsâ non diſſentiunt. Nam primi ſpectarunt duntaxat quod in ſe ſemper idem abſolutè, ultimo & per ſe fundat Fidem, tanquam unica principalis ratio eam ſpecificans. Alii verò inſuper ſpectarunt eſſentialem neceſſitatem alicujus inſtrumenti, & ſigni apti ad divinum DEI loquentis conceptum noſtris ſenſibus intimandum. Sine tali enim ſigno non poteſt haberi auditus, nec ex auditu Fides.

Quia tamen hoc ſignum non niſi relativè & repræſentativè movet ad credendum, nec ſemper eſt idem, ſed varium pro DEI arbitrio, idcirco non eſt ratio principalis, & ſpecificans Fidem, ſed quoddam tantùm principalis rationis inſtrumentum. Simile quid cernitur in objectis aliarum virtutum. Nam ratio principalis, & ex parte objecti ſpecifica obſervantiæ (verbi gratia) debitę Regi, eſt unica Regis Excellentia, & Majeſtas; Legatus verò, qui nunc unus, nunc alius eſſe poteſt in Regis perſona repręſentanda, non eſt propriè loquendo objectum ſpecificum talis obſervantiæ, ſed miniſteriale tantùm inſtrumentum repræſentationis ejuſdem objecti deſerviens. Si quid prætereà hìc ſupereſt controverſię inter Catholicos, exiſtimo ſpectare ad meros modos loquendi, ex quibus mihi placet maximè quem tradidit S. Thomas, loco citato; & ut meliùs intelligas,

12. 12. Debes poſtremò notare, quod paulò ante jam inſinuavi, unum idemque ſignum temporale,

quo

quo DEVS nobis loquitur, diversa consideratione dici posse aliquid utriusque objecti tam formalis, quàm materialis.

Primò, quia est ratio alterum alteri applicans, & utrumque simul credenti repræsentans. Nam comparatur primæ veritati, sicut in Physicis actualis informatio comparatur ad formam, quæ per talem nexum unitur suæ materiæ, uti suam de hac re sententiam explicat doctissimus Suarez, Disput. 3. de Fide, Sect. 2. Comparatur autem ad res credendas sicut in Physicis conditio sistens materiam suæ formæ. Nam eas ita sistit in esse objectivo credentis, ut in eodem esse objectivo formaliter uniat primæ veritati, tanquam formali rationi assentiendi.

Deinde quia est vinculum medium inter veritatem revelantis, & res principaliter revelatas, proindeque ad ambo extrema, inter quæ mediat, dicit aliquam habitudinem, sed non omninò eandem utrobique. Nam quatenus ad res revelatas comparatur, tanquam ratio quædam instrumentalis suo modo determinans in esse credibili, eatenus concipitur ut aliquid objecti formalis. Nam à forma objecto materiale suam accipit determinationem. Quatenus verò ad primam, & increatam veritatem comparatur, ut aliquid per eam credibile, eatenus induit rationem cujusdam objecti materialis, quod immediatè à revelantis auctoritate suam habet credibilitatem. Complexa enim credibilia, ex quibus materia Fidei Theologicæ integratur, sunt in dupliti differentia: quædam simplicia, medioque temporali signo revelata, ut DEVS est Trinus, Mortui resurgent. Alia magis composita, ut DEVS dixit se esse Trinum, vel resurrecturos mortuos.

Vtriusque generis propositiones formaliter credibiles facit eadem DEI auctoritas, tanquam ratio utrasque credendi. Nam omnis propositio credibilis est materia Fidei, ut per se patet.



AUTHORIS DUPLICATIO.

CAPUT I.

Objectum formale fidei non esse Deum consideratum solummodo ut verax est.

1. Ræcedenti tractatu, de natura & definitione formalis objecti fidei, disserui & ad quæstionem, *Quid est formale objectum fidei?* respondi. Superest nunc alia quæstio explicanda, qua, videlicet, quæritur *quodnam sit formale fidei objectum?* seu cui rei illa definitio formalis objecti fidei propriissimè conveniat? Quia autem obscurè admodum & ambiguè de hac quæstione disseris, lucem & conspectum hominum fugiens ne arguantur opera tua, IOAN. 3. 20. ego

ego duabus aut tribus Propositionibus nostram sententiam de formali fidei objecto complectar, & in earum exegesi, tuæ disputationis vitia, absurda, & repugnantia apertè ac perspicuè notabo & confutabo.

Prima Propositio: Devs *ut verax est, seu suprema & infallibilis* Dei *authoritas, nude & per se considerata* (seclusa videlicet ipsius testificatione, aut locutione) *non est tota formalis ratio propter quam credimus fidei dogmata.* Hanc propositionem oppono absurdæ & imperitæ tuæ assertioni, qua simpliciter & sine adjectione affirmas increatam & æternam Dei perfectionem, hoc est, supremam & infallibilem Dei authoritatem esse formale objectum fidei, Cap. 2. §. 7. & 11. & rursus Cap. 14. §. 5. Probatur hæc mea propositio: primò, quia ad formale objectum fidei pertinet manifestare nobis veritatem propositionis cui assentimur, nosque de ea infallibiliter certos reddere, nam alioqui non posset esse formalis aut objectiva ratio nos ad assentiendum inducens & movens. At Dei veracitas nudè & in se spectata non manifestat nobis veritatem propositionis cui assentimur, nec de ea nos infallibiliter certificat; si enim sciam Devm esse veracem, et non sciam eum 2.

 hoc

hoc vel illud dixisse, ejus veracitas me ad assentiendum movere non potest.

3. Secundò tu ipse Cap. 2. §. 10. dicis æternum conceptum divinæ mentis (quo videlicet DEUS ab æterno intus in mente sua concepit, & per modum locutionis intellectualis dixit ea vera esse quæ jam in Scriptura revelata sunt, ut CHRISTUM esse Redemptorem mundi) esse per se formale motivum credendi. Ergo sola DEI auctoritas non est totum formale motivum credendi. Respondebis DEI auctoritatem seu veracitatem non differre ab æterno ejus conceptu: & sanè non vereris hoc asserere, Cap. prædicto, §. 9. Sed nimis apertè, hoc asserendo inscitiam tuam prodis. Vel enim intelligis ea non differre realiter, & hoc sensu asserere potes justitiam aut potentiam DEI non differre ab ejus veracitate seu infallibilitate: item tueri poteris eos qui dicunt justitiam aut potentiam DEI esse formale objectum fidei non assignare objectum formale à DEI veracitate distinctum, seu diversum. Vel intelligis ea non esse distincta DEI attributa quoad nostrum concipiendi modum: et sic absurdissimè erras. Quis enim non novit hæc duo principia multum inter se differre, *DEUS verax est*, &, *DEUS hoc vel illud intus in mente sua*

concepit

concepit aut dixit. Veracitas enim DEI seu suprema et infallibilis ejus auctoritas, ei necessariò competit, et est absolutè impossibile eam ei non competere. At conceptus ille quo DEVS ab æterno concepit CHRISTVM esse mundi Redemptorem, vel aliquid aliud hujusmodi mysterium, potuit (ratione termini, sive ex parte rei conceptæ et decretæ) ei non competere: pendet enim à libero DEI decreto, quo decrevit mittere CHRISTVM in carnem ad redimendum genus humanum.

Capvt II.

Objectū formale fidei non esse DEUM consideratum solummodo ut intus in mente sua aliquid dicit aut concipit.



Ecunda propositio: *DEVS vt intus in mente sua aliquid dicens, id est, cognoscens aut concipiens non est totum formale objectum fidei.* Probatur 1.

hæc propositio, quia ut aliquid credatur ob DEI auctoritatem non satis est ut DEVS intus in mente sua illud concipiat, sed etiam requiritur ut exteriori aliqua revelatione id nobis patefaciat ac manifestet, ut supra dictum est, et infra magis demonstrabitur.

2. De interno DEI conceptu duo dicis, quæ probare nec possum, nec debeo.

Prius est, internum DEI conceptum esse per se formale motivum credendi. Posterius est internum illum conceptum posse rectè dici revelationem divinam. Vtrumque hoc habetur in Cap. tuo 2. §. 10. Prius istud probare non possum. Quomodo enim potest internus ille DEI conceptus esse per se formale motivum credendi, cum per se et in se spectatum, à nobis percipi non possit? Quomodo potest id me ad credendum per se movere aut inducere, quod per se, et sine externa revelatione eam manifestante omnino à me cognosci non potest?

3. Posterius à Suarezio confutatur duabus rationibus, Disput. 3. de fide, Sect. 2. §. 5. *Immerito* (inquit) *dicunt aliqui ipsam scientiam DEI internam seu increatam esse revelationem: nam scientia DEI non innotescit nobis per se ipsam, sed per aliquid aliud*, viz. *per locutionem: illa ergo locu-*

ctio (supple externa et temporalis) *est revelatio. Locutio autem DEI actio transiens est*, etc. Et infra aliam rationem addens: *Confirmatur* (inquit) *quia alias possemus credere omnia quæ scit DEVS, quia omnia essent revelata*, etc.

Ex duabus his rationibus Suarezii, formari potest hic syllogismus: Revelatio divina est 4. id per quod veritates fidei hominibus manifestantur: at non per internum conceptum mentis divinæ, sed per locutionem externam et temporalem illæ veritates hominibus manifestantur, ergo sola externa locutio verè et propriè est revelatio divina.

Capvt III.

Formale objectum fidei esse DEUM quatenus externa aliqua locutione veritates fidei revelat.



Ertia propositio: *Tota formalis ratio propter quam credimus, est suprema & infallibilis DEI veritas suo testimonio applicata.* 1. Seu DEVS per externam

et temporalem locutionem dogmata fidei revelans et testificans. Hæc credendi ratio aut causa objectiva exprimitur hoc principio: *Prima veritas hoc dixit seu revelavit*: vel ut alii loquuntur, *DEVS qui infallibilis est hoc dixit: hoc DEI Verbum est*. Hoc principium resolvi potest in duo alia principia, quæ si seorsum accipiantur, non totum formale motivum fidei, sed ejus partem tantum exprimunt: videlicet, *DEVS verax est*, & *DEVS hoc dixit*. Ab his duobus principiis intrinsecè et essentialiter pendet fides divina, ut docet Suarez, Disp. 2. de fide, Sect. 4. §. 5. et Disp. 3. de fide, Sect. 12. §. 4. Interim notet hic, Lector: hanc propositionem, *DEVS dixit*, ut plurimum ita concipi à nobis, ut totum formale fidei objectum in se contineat; nam cum propositionem hanc proferimus, DEVM concipimus, non simpliciter ut DEVS est, sed ut verax est, atque adeo pro eodem hæc habemus, *Prima veritas hoc dixit*, & *DEVS hoc dixit*.

2. Hæc assertio opposita est sententiæ tuæ de formali objecto fidei: sæpius enim asseris formale objectum fidei nihil aliud esse quam primam veritatem, seu increatam DEI perfectionem: revelationem verò seu testificationem

tionem *DEI* agnoscis quidem esse essentialiter necessariam ad assensum fidei, asseris tamen eam simpliciter, et per se spectare non ad formale, sed ad materiale fidei objectum Cap. 2. §. 7. 9. 11. et 12. Apertissimè verò hoc dicis §. 10. istius Capitis, ubi sic loqueris, de temporali signo, quo *DEVS* veritates fidei nobis revelat: *Simpliciter tamen & per se spectat ad materiam quæ creditur, vt probatum est.* Idem asseris, Cap. 7. §. 3. ubi etiam hanc controversiam de revelatione divina, qua videlicet quæritur, an ad formale fidei objectum pertineat, dicis esse *nominalem*: et Cap. 2. §. 11. dicis *eam spectare ad meros modos loquendi*.

Cui igitur bono, Turnebulle, te tuosque lectores supervacuo litigio de nominali controversia fatigasti, capitibus 2. 7. et 10. clamans verbum *DEI* non esse formale fidei objectum. Nimirum in nominali hac controversia realem dolum commoliris, et viam tibi aperire conaris ad perpetuum tuum effugium, quo argumenta mea non solvis, sed eludis, Cap. 3. 8. et 14. Quamvis enim alicubi agnoscis, ut jam dictum est, externam revelationem esse conditionem necessariam ad credendum, tamen illis in locis, dum ad ea respondes quæ à me contra vestræ fidei ridi- 3.

culam analysin allata sunt, dumque asseris formalem et objectivam rationem propter quam creditis *DEVM* hoc vel illud revelasse, aut hoc esse *DEI* verbum, non esse Ecclesiæ testimonium, sed esse *DEI* revelantis authoritatem, nequaquam doces ubi aut quomodo *DEVS* revelet, se hoc revelare, aut hoc esse suum verbum; quasi nimirum sola *DEI* authoritas, absque ulla exteriori revelatione possit esse nobis plena et sufficiens credendi ratio. Sic Cap. 2. §. 7. 9. et 12. dicis hoc principium, *DEVS hoc revelavit*, credi propter primam veritatem, hoc est, increatam *DEI* authoritatē: de revelatione verò, aut testificatione, qua hujus principii veritatē *DEVS* nobis manifestat, altum silentium apud te est. Quasi scilicet ad hanc quæstionem, *Cur credis DEVM hoc vel illud revelasse?* apposité responderi possit; *Quia DEVS verax est, & infallibilis:* sed de his infra fusius disseram.

4. Ne igitur puerile et ridendum hoc effugium in posterum tibi ad votum famuletur, et inserviat, utque omnes sciant quam inextricabilibus vinculis te constrictum, et irretitum detineam, nunc probabo externam revelationem non solum esse conditionem necessariam ad credendum, sed etiam per se pertinere ad formalitatem objecti.

CAPVT

Caput IV.

Probatur revelationem divinam per se pertinere ad formalitatem objecti fidei.



Rima ratio peti potest ex S. Scriptura, quæ innumeris in locis externam *DEI* locutionem, seu revelationem, ut argumentum et fundamentum fidei divinæ nobis proponit, ut Exod. 20. 1. *Tum elocutus est DOMINUS hæc verba, dicendo.* Sam. 2. Cap. 12. 7. *Sic ait IEHOVA DEUS Israelis.* 1. Reg. Cap. 13. 2. *Altare, Altare, sic ait IEHOVA.* Isai. Cap. 1. 2. *Audite Cœli, & auribus percipe terra, nam IEHOVA loquitur.* & vers. 10. *Audite Verbum IEHOVÆ.* Ier. Cap. 1. vers. 2. *Ad quem fuit Verbum IEHOVÆ,* &c. 1.

Secunda ratio sit hæc: tota causa aut ratio propter quam credimus ea quæ credimus, 2.

mus, non est quia *DEVS* verax est. Nam ad quæstionem qua quæritur, *Cur credis hoc vel illud verum esse, ut CHRISTVM esse Redemptorē mundi, mortuos esse resurrecturos*, &c. ineptè is responderet, nec interrogāti satisfaceret, qui diceret se ea credere, *quia DEVS verax est*: nā ex eo quod *DEVS* verax est, non necessario sequitur illa credibilia esse vera nisi aliquid aliud addatur. Ergo, aliquid aliud addendū est ad cōplendū formale objectum fidei. At nihil aliud addi potest præter testificationem, aut revelationem *DEI*, ex qua simul cum veracitate *DEI* constituitur hoc principium, integrum formale objectum fidei exprimens; *DEVS*, *qui verax est*, *hac dixit*, *seu revelavit*; videlicet, CHRISTVM esse Redemptorem mundi, et mortuos esse resurrecturos.

3. Tertiò, Fides pendet ex duobus principiis, quæ necessario præcognosci debent, ut aliquid credatur ob alicujus authoritatem, ut rectè observat Suarez, disp. 2. de fide. sect. 4. §. 5. et disp. 3. sect. 12. §. 1. Vnum est *ipsum hoc dicere*, aliud est *ipsū esse fide dignum*; quamvis enim testis sit fide dignissimus, nisi tamen ipse aliquid dicat, aut testimonium proferat, non possumus ob ejus authoritatem aliquid credere. Tota igitur formalis

-nalis ratio fidei, propter quam credimus, non est, quia *DEVS* verax, aut infallibilis est; sed quia *DEVS*, qui verax, et prima veritas est, hoc dixit: imò ut rectè etiam monet Suarez, disp. 3. de fide, sect. 12. §. 4. et 6. Fides nostra ejusque certitudo, non minus dependet ab hoc principio, *DEVS hoc dixit*, quam ab illo altero, *DEVS est verax*.

Quartò: à solo formali objecto fidei intrinsecè et essentialiter pendet certitudo assensus fidei, nam tota certitudo assensus petitur à medio, propter quod assentimur. At non à sola *DEI* veracitate, sed etiam ab ejus testificatione, aut revelatione pendet certitudo assensus fidei. Si quis enim certò credat *DEVM esse veracem*, et tamen dubitet *num DEVS id revelaverit, quod ei credendum proponitur*, non potest certò & infallibiliter id credere; ergo etiam revelatio *DEI* pertinet ad formale objectum fidei. 4.

Quintò: intellectus tendit in veritatem objecti, ut loquitur Suarez, disp. 3. de fide, sect. 1. §. 7. hoc est intellectus non assentitur nisi ei quod verum illi apparet; ergo, ut idem illic ait, *id quod ostendit veritatem in objecto, est formale objectum cognitionis aut* 5.

nis aut assensus. At non sola *DEI* authoritas seu veracitas, sed etiam eius revelatio aut testimonium ostendit nobis veritatem eorum quæ nobis credenda proponuntur. Ergo non sola veracitas DEI, sed etiam eius revelatio, pertinet ad formalitatem obiecti fidei: minor patet, quia *ad credendam hanc vel illam propositionem parum nobis confert, quod DEVS in se verax sit, nisi cognoscatur ipsam primam veritatem suo testimonio talem propositionem confirmasse, & quasi informasse*: verba Suarezii sunt, disput. prædicta, sect. 12. §. 6.

6. Sextò, ipse fateris Cap. 2. §. 12. revelationem, seu testificationem *DEI*, ita se habere ad primam veritatem, sicut in Physicis actualis informatio comparatur ad formam quæ per illam informationem unitur suæ materiæ. Vnde sic argumentor cum Suarezio, disp. 2. de fide, sect. 2. §. 4. *DEVS ipse seu veritas ejus est quasi forma informans materiam fidei* (id est, rem creditam) *in esse credibilis; testificatio autem est quasi vnio seu informatio talis formæ. DEVS enim absolutè consideratus non informat hanc materiam in esse credibilis, & prima ac fortasse vnica conjunctio,*

quam

quam in ratione objecti habet ad illam materiam, est testimonium ejus: ergo, sicut formæ informatio, seu vnio ad materiam non est nuda conditio, sed causalitas formalis, ita etiam in præsenti testificatio, aut revelatio DEI, non est nuda conditio, ad credendum requisita, sed est causalitas primæ veritatis, quatenus ea est objectum formale fidei.

Septimò, doctissimi scriptores Pontificii, 7.
qui hoc nostro sæculo scripserunt, mecum sentiunt, videlicet, BELLARM. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. respond. ad argument. 13. et 15. Lib. 3. de Iustificatione, Cap. 8. rat. 1ª, et Lib. 6. de libero arbitrio, Cap. 3. §. *At Catholici*. GRETSERVS, in defensione, Cap. 10. Lib. 3. de Verbo, Col. 1437. ESTIVS, in 3. sent. dist. 23. §. 4. VALENTIA, tomo 3. disp. 1. quæst. 1. p. 1. §. 5. col. 23. et 24. STSAPLET. princip. doctrin. Lib. 8. Cap. 8. §. *Quod vt intelligatur:* et rursus, Cap. 21. §. *Objectum formale*. BECANVS, in summa Theol. parte 2. tomo posteriori, tract. 1. Cap. 1. q. 1. §. 6. et quæstione 2. §. 5. et 6. MALDERVS, in secundam secundæ divi Thomæ, q. 1. art. 1. sect. 3. VASQVEZ, in primam partem divi Thomæ, disp. 5. cap. 6. PET

3. PETRVS TRIGOSVS, in summa Theologica BONAVENTVRÆ, quæst. 1. art. 2. dubio 2. et 3. et Suarez, disp. 3. de fide, sect. 2. qui ex professo sententiam tuam oppugnat 3. aut 4. argumentis, meamque propugnat.

8. Hæc etiam sententia fuit antiquorum Scholasticorum, ut docet Suarez, loco jam citato: imò Thomas Aquinas, quem ut tuæ sententiæ authorem & patronum citas, hoc ipsum apertè asserit, ut de eo docent Suarez, ubi supra, Valent. tomo 3. disp. 1. q. 1. P. 1. §. 4. Col. 22. et ante eos, Cajetanus, in cōmentariis, in secundam secundæ, quæst. 1. art. 1. responsione ad dubium secundum: ubi hoc probat ex eo quod Thomas loco à te citato, videlicet, secunda secundæ, quæst. 1. art. 1. dicat fidem nihil credere nisi quod à DEO revelatum est. Hoc etiam manifestius patet, ex verbis Thomæ, prima parte, quæst. 1. art. 2. ad secundum, art. 3. in corpore articuli, & art. 8. ad secundum.



CAP

Caput V.

Solvuntur Objectiones Adversarii.

REvelationem divinam, non esse fidei formale objectum, aut aliquid formalis objecti, probare conaris aliquot argumentis: primum habetur Cap. 2. §. 5. et 7. et rursus Cap. 10. §. 1. et est hujusmodi: Objectum formale virtutis Theologicæ, debet esse quid increatum, videlicet, DEVS vel quod eodem redit perfectio aliqua divinæ naturæ, ut ejus veracitas, aut infallibilitas: at revelatio divina, seu verbum DEI, nec est DEVS, nec increata aliqua DEI perfectio: ergo, non per se pertinet ad formalitatem objecti. Resp. Non necessario requiritur in objecto virtutis Theologicæ, (sive illud materiale, sive formale sit) ut nihil includat præter ipsum DEVM, aut increatam aliquam DEI perfectionem, sed tantum ut principalis ejus pars sit ipse DEVS, aut aliqua ejus perfectio. Exempli gratia: Objectum spei, non tantum est ipse DEVS qui summum nostrum bonum est; sed etiam I.

ejus visio, aut fruitio, (quæ quid creatum est) quatenus ea adeptio est summi boni, adeoque quatenus efficit unum ultimũ finẽ, cum summo bono ut loquitur Valent. tomo 3. disp. 2. q. 1. p. 1. Hoc est quatenus ex ea & ipso summo bono integratur aut completur unus ultimus finis. Sic objectum formale fidei, non tantum est DEVS, aut DEI veracitas; sed etiam DEI testificatio, aut revelatio, quatenus per eam illa DEI veracitas applicatur rebus credendis, adeoque quatenus ex ea & veracitate DEI integratur aut completur unum formale objectum fidei, videlicet, *prima veritas revelans*.

2. Secunda objectio: Quis puer (inquis) nescit sicut humanæ fidei formale objectum est hominis testantis authoritas, ita divinæ fidei formale objectum, esse DEI testantis authoritatem: Respondeo, pueriliter falleris Turnebulle: nam testantis authoritas non est totum formale objectum fidei humanæ. Hoc disce ex Suarezio, qui loco à me supra citato, videlicet, disp. 2. de Fide, sect. 4. §. 5. dicit fidem humanam pendere ex duobus illis principiis, *iste hoc dixit*, & *iste est fide dignus*. Non solum igitur authoritas, sed etiam testificatio hominis testantis pertinet ad formale objectum fidei humanæ.

Tertia

Tertia objectio ex §. 12. capitis secundi, colligi potest: Ibi enim sic argumentaris; Omnis propositio credibilis fide divina, est materia fidei, seu materiale objectum fidei. At hoc principium, *DEVS hoc dixit*, *seu revelavit*, est propositio credibilis fide divina, ut per se patet. Ergo, &c. Item, quicquid creditur propter authoritatem DEI, illud est materiale fidei objectum. At hæc propositio, *DEVS dixit*, creditur propter authoritatem DEI: idque quia nisi intellectus noster in assentiendo nitatur increata DEI perfectione, hoc est, ejus authoritate, seu veracitate, non operatur ex fide Theologica. Ergo, hæc propositio, *DEVS dixit, aut revelavit*, est materiale objectum fidei. 3.

Sed apage, Turnebulle, cum ridendo tuo pseudographemate. Thrasonicè quidem loqueris, sed omnino Brisonicè argumentaris. Si hęc tua ratiuncula aliquid roboris haberet, facilè esset concludere ne ipsam quidem DEI veracitatem pertinere ad formale fidei objectum, idque primò; quia omnis propositio fide divina, credibilis ex re est materia fidei, seu materiale fidei objectnm. At hæc propositio, *DEVS est verax*, est talis. Ergo, &c. Secundò, Si id quod creditur propter veracitatem DEI, pertinet ad materiale fidei obje- 4.

ctum, pari etiam ratione id quod creditur propter revelationem DEI, pertinebit ad materiale fidei objectum. At DEVM esse veracem creditur propter revelationem aut testimonium *DEI*: fides enim, ut docet Divus Thomas secunda secundæ quæst. 1. art. 1. *non assentit alicui nisi quod à DEO revelatum est.* Hoc etiam apertè colligitur ex dicto Apostoli, ROM. 10. *Fides est ex auditu.* Ergo, *DEVM* esse veracem, est materiale fidei objectum. Sicut igitur, *DEVM hoc vel illud dixisse*, creditur propter veracitatem *DEI* revelantis se aliquid revelare, hoc est, ostendentis illam revelationem esse verè divinam: ita etiam, *DEVM esse veracem*, fide divina credimus, quia DEUS in Verbo suo revelavit se esse talem. Non enim sufficit naturalis & evidens notitia quam habemus de veritate hujus principii, *DEVS verax est*, non sufficit inquam, ad credendum fide infusa ea quæ *DEVS* revelat, & proinde oportet ut ipsa *DEI* veracitas credatur fide infusa propter *DEI* revelationem, seu testimonium, ut efficaciter demonstrat Suarez, disput. 3. de Fide, sect. 6. à §. 4. Vide etiam ejusdem Authoris disput. secundam, de Fide, sect. 4. §. 14. ubi dicit, hæc duo principia ita se mutuo includere, vel à se invi-

cem

cem pendere, ut non videantur inter se habere ordinem prioris vel posterioris in *esse credibilis*, id est, ut neutrum eorum videatur præcognoscendum aut credendum ante alterum. Et hoc confirmat, quia neque fide divina credere possumus, *DEVM aliquid revelasse*, nisi fides nostra nitatur *DEI* veracitate, neque hoc ipsum, videlicet, *DEVM esse veracem*, credi potest fide divina, nisi quatenus à *DEO* dictum vel revelatum est.

Ex his percipiet Lector tuum argumentum facillimè in te retorqueri, tibiq. non minùs quam mihi incumbere necessitatem solvendi hoc argumentum: sed quia plenam & perspicuam respōsionē non exspecto à te qui semper ineptè & obscurè respondes; ego tibi viam præibo, & Cap. sequenti ad illud perspicuè respondebo. 5.

Dices fortassis, argumentum hoc ineptè in te retorqueri, quia formale objectum fidei, ex tua sententia, non est hoc complexum, *DEVS verax est*, sed hoc incomplexum, *DEI veracitas*. Respondeo primò: Etiam veracitas *DEI*, est quid complexum. Ipsa quidem veracitas per se, est quid incomplexum: at cum *DEO* attribuitur resultat complexum, constans ex *DEO*, & ejus vera- 6.

citate. Hoc autem facilè probatur, quia quicquid fide divina creditur est cōplexum, ut docent Thomas, secunda secundæ, quæst. 1. art. 2. Cajetanus, ibidem: Suarez, disput. 2. de fide, sect. 3. §. 1. Valentia, tomo 3. disput. 1. quæst. 1. puncto 2. & alii. At veracitas DEI fide divina creditur propter ipsius revelationem: nam ut rectè demonstrat Suarez, disput. 3. de Fide, sect. 6. §. 5. *Veracitas DEI non est formale objectum fidei, ut cognoscitur lumine naturæ, sed ut est supernaturaliter cognita, & credita fide infusa.* Quid autem aliud est credere veracitatem DEI, nisi credere DEUM esse veracem? Secundò, Formale objectum fidei, non est veracitas DEI, nudè & per se considerata, sed suo testimonio applicata, ut dictum est, articulo primo, hujus Tractatus. At hæc applicatio fieri non potest, nisi in hac propositione, *Prima Veritas hoc dixit*, quæ manifestè est fide divina credibilis.

7. Quarta objectio: Objectum formale fidei, est unum & idem respectu omnium credendorum, at externum DEI testimonium, non est unum & idem, sed varium & multiplex, variæ enim & diversæ sunt locutiones DEI externæ à se invicem: ergo, non est ratio principalis, & specificans fidem. Hoc argument

gumentum proponere videris Cap. prædicto, §. 11. Respondeo, primò: Si revelatio divina, tam varia & multiplex est, (ut tu ais) unde est quod Theologi probant unitatem Theologiæ ex unitate divinæ revelationis? demonstant enim Theologiam esse unam scientiam, quia omnia quæ in ea tractantur, considerantur quatenus sunt divinitus revelata, adeoque quatenus conveniunt in una formali ratione revelationis divinæ. Ita docent Thomas, parte 1. quæst. 1. artic. 3. in corpore articuli: Vasquez, in illum locum, disput. 7. cap. 3. Trigosus, in Summa Theologica Bonaventuræ, quæst. 1. art. 2, dubio 2. & 3. et Valentia, tomo 1. disput. 1. quæst. 1. puncto 3. §. 3. col. 28. Secundò respondeo; Revelatio divina, si ea materialiter consideretur quatenus est talis oratio, aut propositio talem rem significans, proculdubio est varia & multiplex. At si formaliter consideretur quatenus est divina, hoc est, quatenus à *DEO* dicta est, vel ut alii loquuntur, quatenus à *DEO* dicente denominatur, tunc non est varia & multiplex, sed simplex, & una. Omnes enim externæ propositiones, quæ in Sacra Scriptura continentur, in hoc uno conveniunt, *quod à DEO dictæ sunt*. Exempli gratia, hæc propositio, *Verbum caro factum est*, si ea materialiter, & in se spectetur,

tur quatenus est talis propositio, constans his literis & syllabis, & talem rem significans, adeoque quatenus ab aliis propositionibus, aut testimoniis Sacræ Scripturæ diversa est, non est formale objectum fidei meæ. At si consideretur quatenus à *DEO* authore & inspiratore denominatur, hoc est, si sic proponatur illud testimonium, *DEVS dixit Verbum esse & factum carnem*, tunc est formale objectum fidei meæ. Hoc patet ex verbis Apostoli, 1. THESS. CAP. 2. VERS. 13. *Propterea* (inquit) *gratias agimus, DEO indesinenter quod verbum quod audistis ex nobis exceperitis, non vt verbum hominum, sed (sicut verè est) vt verbum DEI, qui etiam operatur in vobis qui creditis.* Hic, illud, *vt verbum DEI*, formale objectum fidei nobis manifestat & docet, quo sensu verbum DEI sit fidei nostræ fundamentum, videlicet cum consideratur ut verbum DEI est.



CAP.

Capvt VI.

An omnis propositio fide divina credibilis sit materiale objectum fidei? & quo sensu verum sit formale objectum fidei, non credi propter aliud?



Ertia tua objectio, Turnebulle, quam dixi in te facillimè retorqueri posse, hujus quæstionis explicationem postulat. Objiciebas enim hoc principium, *DEVS dixit*, (idem de illo altero principio, *DEVS verax est*, dici potest) esse materiale fidei objectum, quia est propositio fide divina credibilis. 1.

Ad hoc nonnulli respondent principium illud esse & materiale objectum fidei, & etiam formale diverso respectu: esse materiale objectum fidei quando ei assensum fidei præbemus, seu quando est id quod credimus; esse verò formale objectum fidei, quando propter illud assentimur aliis propositionibus credibilibus: seu quatenus est id quo credimus; hoc est, quatenus est ratio credendi. Hæc videtur fuisse Suarezii sententia, disput. 2. de Fide, sect. 4. §. 4. in

fine, et §. 13. ubi dicit, *ipsum formale objectum fidei, posse complexè cognosci, atque ita esse unum ex materialibus cognitis.* Ei etiam astipulatur Malderus, in secundam secundæ Divi Thomæ, quæst. 1. art. 1. sect. 1. *Illud* (inquit) *hic observandum vnum & idem posse vtriusque rationem subire, vt sit objectum, vt quod, & vt quo. Sicuti lumen ita est id quo videmus, vt etiam ipsum videri queat.* Et ibidem, sect. 3. dicit, revelationem obscuram primæ veritatis, esse objectum fidei formale, cum consideratur non ut terminans assensum fidei, sed ut immediatè ad ipsum movens, et inducens, etc. His adde Staplet. qui lib. 8. principiorum doctrinalium, et in Relect. Controv. 4. quæst. 3. artic. 2. dicit, *id quod credimus, quatenus tale est:* id est, quatenùs est id quod credimus, esse materiale fidei objectum.

2. Hæc responsio, ut probabilis defendi potest: sed est alius respondendi modus, qui mihi magis arridet, ideoque eum assertionibus aliquot explicabo. Prima assertio: Materiale objectum fidei, non est id omne quod quovis modo creditur; sed id quod creditur propter aliud: hoc est, quod ita creditur, ut fides nostra in eo credendo resolvatur in aliud

ulter

ulterius principium. Hoc manifestè patet ex descriptione illa formalis objecti, quam ex Becano attuli, parte 1. disput. meæ, sect. 1. Is enim asserit formale objectum fidei credi à nobis; sed addit, *illud credi non propter aliud, sed propter se*. Vt igitur materiale objectum fidei, sufficienter distinguatur à formali, dicendum est illud esse materiale objectum fidei, quod propter aliud creditur.

Secunda assertio: Duo illa principia ex quibus integratur et completur formale objectum fidei, videlicet, *DEVS verax est*, seu, est prima Veritas, &, *DEVS dixit*; in hoc differunt, quod quamvis ambo concurrant ad certificandum intellectum credentium, de veritate rerum creditarum, et ad patefaciendam earum veritatem, ut dictum est, Cap. 1. Argumento 1. et Cap. 4. argum. 4. et 5. tamen *certitudo fidei nostræ*, præcipuè pendet à priori, hoc est, ab illo principio, *DEVS verax est*: &, *ostensio seu patefactio veritatis*, præcipuè pendet ab illo altero principio, videlicet, *DEVS hoc revelavit, vel dixit*. 3.

Tertia assertio: Si duo illa principia seorsim accipiantur, utrumque potest dici in aliud ulterius principium resolvi; nam, & *DEVM esse veracem*, credo, quia reve- 4.

lavit

fine, et §. 13. ubi dicit, *ipsum formale objectum fidei, posse complexè cognosci, atque ita esse unum ex materialibus cognitis.* Ei etiam astipulatur Malderus, in secundam, secundæ Divi Thomæ, quæst. 1. art. 1. sect. 1. *Illud* (inquit) *hic observandum vnum & idem posse vtriusque rationem subire, vt sit objectum, vt quod, & vt quo. Sicuti lumen ita est id quo videmus, vt etiam ipsum videri queat.* Et ibidem, sect. 3. dicit, revelationem obscuram primæ veritatis, esse objectum fidei formale, cum consideratur non ut terminans assensum fidei, sed ut immediatè ad ipsum movens, et inducens, etc. His adde Staplet. qui lib. 8. principiorum doctrinalium, et in Relect. Controv. 4. quæst. 3. artic. 2. dicit, *id quod credimus, quatenus tale est:* id est, quatenus est id quod credimus, esse materiale fidei objectum.

Hæc responsio, ut probabilis defendi po-
2. test: sed est alius respondendi modus, qui mihi magis arridet, ideoque eum assertionibus aliquot explicabo. Prima assertio: Materiale objectum fidei, non est id omne quod quovis modo creditur; sed id quod creditur propter aliud: hoc est, quod ita creditur, ut fides nostra in eo credendo resolvatur in aliud

ulter

ulterius principium. Hoc manifestè patet ex descriptione illa formalis objecti, quam ex Becano attuli, parte 1. disput. meæ, sect. 1. Is enim asserit formale objectum fidei credi à nobis; sed addit, *illud credi non propter aliud, sed propter se*. Vt igitur materiale objectum fidei, sufficienter distinguatur à formali, dicendum est illud esse materiale objectum fidei, quod propter aliud creditur.

Secunda assertio: Duo illa principia ex quibus integratur et completur formale objectum fidei, videlicet, *DEVS verax est*, seu, est prima Veritas, &, *DEVS dixit*; in hoc differunt, quod quamvis ambo concurrant ad certificandum intellectum credentium, de veritate rerum creditarum, et ad patefaciendam earum veritatem, ut dictum est, Cap. 1. Argumento 1. et Cap. 4. argum. 4. et 5. tamen *certitudo fidei nostræ*, præcipuè pendet à priori, hoc est, ab illo principio, *DEVS verax est*: &, *ostensio seu patefactio veritatis*, præcipuè pendet ab illo altero principio, videlicet, *DEVS hoc revelavit, vel dixit*. 3.

Tertia assertio: Si duo illa principia seorsim accipiantur, utrumque potest dici in aliud ulterius principium resolvi; nam, & *DEVM esse veracem*, credo, quia reve- 4.

lavit

lavit se esse talem, et DEO revelanti, seu dicenti aliquid credo, quia *verax est:* immò etiam fides qua credo DEVM hoc vel illud dixisse, nititur DEI veracitate, ut monet Suarez loco citato: quamvis veracitas DEI, non sit tota et integra ratio, propter quam credo DEVM aliquid dixisse, ut infra patebit.

5. Quarta assertio: Neutrum tamen resolvitur in aliud principium ulterius *in eo genere in quo excellit*; nam si quæras cur credam, id est, certum et infallibilem assensum præbeam primæ Veritati, quæ nec falli, nec fallere potest? non possum respondere per aliud, quam per ipsam primam Veritatem: hoc est, non possum aliter respondere, quam quia est prima Veritas. Item, si quæras, cur credam DEVM hoc vel illud revelasse, seu hanc revelationem esse divinam? non possum respondere per aliam revelationem (quia eadem quæstio, etiam de illa moveri potest, & sic dabitur processus in infinitum) sed per hanc ipsam: quia videlicet, DEVS revelat & ostendit hanc revelationem esse suam, non per aliam revelationem, sed per eam ipsam, ut postea patebit ex apertis verbis Suarezii, Valentiani, et Becani: idem etiam docent Capreolus, et Caietanus, quos citat Suarez, disput. 3. de Fide, sect. 12, §. 7. et 12.

Quinta

Quinta assertio: Cum revelatio DEI, & eius veracitas, simul sumuntur et coniunguntur in principio illo quod plenè et adæquatè exprimit formale obiectum fidei, videlicet, in hoc principio, *prima Veritas hoc revelavit*, tunc verissimè dici potest formale obiectum fidei non credi propter aliud, nam nullo modo potest dici resolvi in aliud ulterius principium. Ratio est, quia in se continet ultimum seu extremum principium, & *certitudinis*, id est, *veracitatem DEI*, & etiam *patefactionis seu manifestationis*, id est, *revelationē vel testimonium DEI:* Vltra *veracitatem DEI* frustra quæritur aliqua ratio *certitudinis*, & ultra *revelationem DEI* frustra quæritur aliqua ratio *patefactionis*. Si igitur quæras, *Cur credam primæ Veritati revelanti?* Respondeo, per id quod in hoc principio exprimitur, *Quia est prima Veritas*. Si rursus quæras, *Vnde sciam, & cur credam primam Veritatem hoc revelasse, seu hanc revelationem esse divinam?* Respondebo, *Quia prima veritas hoc mihi revelavit, non per aliam revelationem, sed per hanc ipsam*. 6.

Interim, ut supra monui, hæc propositio, 7.

tio, DEUS *dixit, seu revelavit*, ut plurimum ita concipitur à nobis, ut totum formale objectum fidei in se contineat. Nam cum propositionē hanc proferimus, DEUM concipimus non simpliciter ut DEUS est, sed ut verax est, atque adeo pro eodem hæc sæpe habemus, *Prima Veritas hoc dixit*, & DEUS *hoc dixit*.

8. Ex iis quæ jam dicta sunt, patet, primò, Objectum fidei purè materiale, esse id quod simpliciter & absolutè creditur propter aliud, hoc est, quod nihil in se continet, in quo tanquam in ultimo principio, fides ullo modo acquiescere potest. Secundò, Omne principium exprimens formale objectum fidei, posse dici credi propter se, & non resolvi in aliud ulterius principium: sed cum hoc discrimine, quod principium plenè & adæquatè exprimens formale objectum fidei, nullo modo possit dici, credi propter aliud, seu resolvi in aliud ulterius principium: principia verò partialia (ex quibus integratur & cōplectur principium exprimens totū formale objectum fidei) quamvis aliquo modo credantur propter aliud, et in aliud ulterius principium resolvantur, non tamen possint dici resolvi in aliud principium ulterius *in eo genere in quo excellunt*, ut patet ex assertione 4.

TRACT.



TRACTATUS QUARTUS.

De Pontificiorum prævaricatione, in assignando formali fidei objecto.

SECTIO 3. 4. 5. 6.

SECTIO III.

Insignis Pontificiorum prævaricatio detegitur, qui revelationem divinam esse formale fidei objectum, verbo tenus docent; at revera Ecclesiæ testimonium, pro formali fidei objecto, ejusque fundamento principali, nobis obtrudunt.



Dversarii nostri profitentur, formalem causam, & rationem, cur ea credunt, quæ in Scriptura credenda proponuntur, esse quia ea omnia à DEO *revelata sunt, seu quod eodem redit, quia tota hæc Scriptura, primæ Veritatis, hoc est,* DEI *ipsius Verbum est.* 1.

DEUM

DEVM enim hoc vel illud revelasse, & hoc DEI Verbum esse, idem valent. DEVM igitur ista omnia revelasse, quae in Scriptura credenda proponuntur, seu totam Scripturam esse DEI Verbum, formale objectum fidei erit, eorum saltem respectu, quae in Scriptura credenda proponuntur: unde Durand. in 3.sent. dist.24. quæst. 1. §.8. Credere (*inquit*) Scripturam esse à DEO, inspiratam est ratio credendi illa quæ in Scriptura traduntur.

2. §. 2. *Verè hæc & in speciem præclarè, ab Adversariis dicuntur: at sanè obesæ admodum naris est Homo, qui non advertit, versutos istos sophistas, hic aliud loqui, & aliud sentire, quod hominibus veritatem & candorem professis omnino indignum est. Ex nova enim & absurda, quam tuentur doctrina, de autboritate Verbi DEI* quoad nos, *sive quoad fidem & persuasionem nostram, quod, videlicet, ex solo Ecclesiæ testimonio, constet DEVM hoc vel illud revelasse, seu hoc Verbum DEI ipsius Verbum esse, apertè sequitur, non revelationem divinam, aut Verbi DEI autboritatem, sed Ecclesiæ testimonium esse formale objectum fidei, seu principale ejus fundamentum: & primum Theologiæ principium non esse* DEVS dixit; *seu*, Hoc DEI Verbum est: *sed potius*, Ecclesia dicit DEVM hoc dixisse, aut hoc DEI Verbum esse.

3. §. 3. *Hanc esse Adversariorum doctrinam patet ex* Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Resp. ad argument.

argument. 13. & Lib. 4. de Verbo, Cap. 4. §. Quartò, necesse est. & §. Quintò, non est satis. Gretserus, in defensione, Cap. 4. Lib. 4. de Verbo, colum. 1574. & in Tract. de agnoscendis Scripturis Canonicis, Cap. 7. colum. 1908. Valent. tomo 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 5. colum. 122. Staplet. Lib. 1. de authoritate Scripr. Cap. 9. & Cap. 11. Becanus, tract. de Fide, Cap. 4. §. 14. Pistor. in Lib. de 14. articulis, Cap. 1. &c. *Hi docent primo*, Nos non posse certò scire quid Devs revelaverit, nisi ex Ecclesiæ testimonio: *unde manifestè sequitur, revelationem divinam, non credi propter seipsam, sed propter Eccesiæ testimonium, & proinde non esse formale fidei objectum.* *Secundò*, Nos non posse ex ipsa Scriptura scire, aut esse aliquam Scripturam divinam, aut quæ sit illa. *Tertiò, solum Ecclesiæ testimonium apte reddi, ad quæstionem*, unde scis Scripturam esse divinitus inspiratam?

His positis, sic contra Adversarios probamus, non Dei *revelationem, sed Ecclesiæ potius testimonium, esse formale fidei Pontificiæ objectum. Primò propter revelationem divinam, seu Verbi* Dei *authoritatem, creduntur ea omnia & sola, quæ in Verbo* Dei *revelata sunt: at propter Ecclesiæ infallibilem testificationem, creduntur à Pontificiis non solum ea quæ in Verbo* Dei *revelata sunt, sed etiam ipsa revelatio divina, seu Verbi* Dei *authoritas.* 4.

ritas. Ergo, Ecclesiæ testimonium potius est formale fidei objectum, quam revelatio divina. Ratio consequentiæ manifesta est: quia formale objectum fidei sic definitur; Est id propter quod credimus, & per quod responderi potest ad quæstionem, Cur Credis? *Atqui hæc definitio magis competit Ecclesiæ testimonio, quam revelationi divinæ, quia nimirum, propter revelationem divinam, credunt Pontificii sola revelata; at propter Ecclesiæ testimonium, credunt & revelata, & revelationem ipsam. Secundò, Credunt Pontificii ea omnia quæ in* DEI *Verbo credenda proponuntur, quia à* DEO *revelata sunt: esse autem à* DEO *revelata credunt, propter Ecclesiæ testimonium, quia, videlicet, Ecclesia testatur, ea esse à* DEO *revelata. Ergo, à primo ad ultimum, credunt ea omnia, quæ in Verbo* DEI *credenda proponuntur; quia Ecclesia dicit, ea esse à* DEO *revelata. Hæc esse Pontificiorum doctrinæ consentanea, patet ex* Bellarm. *verbis,* Lib. 6. de Libero Arbitrio, Cap. 3. §. At Catholici, *&c.* Credunt (*inquit*) Catholici id quod credunt, quia DEVS revelavit; DEVM autem revelasse, credunt quoniam Ecclesiam ita dicentem, vel declarantem audiunt. Et idem asserit, Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Responsione ad argumentum 15.

SECTIO

SECTIO IV.

Communem illam Pontificiorum distinctionem, In se, *&* Quoad nos, *qua vtuntur, cum de Scripturæ authoritatæ disserunt, hic locum habere non posse.*



Vamvis speciem aliquam veritatis, licet exiguam & fallacem, habeat illa distinctio authoritatis Scripturæ, In se, *&* Quoad nos, *qua* Cocleus, Stapler. Pistorius, *aliique Pontificii Doctores in Controversia de Scripturæ authoritate utuntur: si quis tamen ista distinctione hic uteretur diceretque, aliud esse principale fidei fundamentum* In se simpliciter & absolutè; *aliud verò esse fundamentum fidei,* Quoad nos; *proculdubio etiam pueri & tyrunculi, ejus subtilem distinctionem risu exciperent. Habitus enim fidei, est habitus,* Quo nos credimus: *objectum materiale fidei est,* Id quod nos credimus: *& objectũ formale fidei est* Id propter quod nos credimus. *Illud autẽ* Propter quod nos credimus, *est fundamentum & formale objectum fidei,* Quoad nos. *Quicquid igitur est fundamentum fidei,* Simpliciter; *illud est fundamentum fidei,* Quoad nos. *Et quicquid non est fundamentum fidei,* Quoad nos, *illud non est fun-* 1.

damentum fidei Simpliciter: *Si enim nos ad assentiendum principaliter movet, aut movere potest, est fundamentum fidei, & Simpliciter, & Quoad nos; & rursus si nos non movet, nec movere potest, ad assentiendum; tunc neque est fundamentum fidei* Simpliciter, *neque* Quoad nos.

SECTIO V.

Confutantur tres celebres distinctiones, quibus Gregorius de Valentia, Gretserus, Becanus, *aliiq; Pontificii Doctores, prævaricationis notam meritò iis inustam diluere conantur.*

1. 

IC igitur Adversarios nostros, prævaricationis & apertæ contradictionis, meritò arguimus: quia, videlicet, aliquando asserunt revelationem divinam, propter seipsam, & non propter Ecclesiæ testificationem credi: aliquando verò propter solam Ecclesiæ testificationem, eam credi debere affirmant: quia videlicet, nos non certo scimus, (ut illi volunt) utrum illa revelatio sit divina, an non; nisi ex Ecclesiæ testimonio, vide Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Resp. ad argument. 13.

2. Valent. Becan. Gretser. *qui ex omnibus*

bus Pontificiis hanc quæstionem acutißimè pertractarunt, tribus ferè distinctionibus utuntur, ad quas cum argumentorum nostrorum pondere premantur, subinde recurrunt. Primo distinguunt, inter Formalem causam credendi; *&* conditionem ad credendum requisitam. *Secundò, inter* Fidem divinam, *&* humanam: *Quibus* Becanus *addit tertium genus fidei, videlicet,* Fidem quandam mediam *inter divinam & humanam. Fides divina nititur* DEI *testimonio: Fides humana nititur testimonio eorum hominum, qui errori obnoxii sunt; denique fides illa media, nititur Ecclesiæ testimonio, quæ ex eorum sententia infallibilis est. Tertiò, distinguunt inter* Causam acceptationis fidei, *&* causam fidei, secundum se.

His distinctionibus positis, subtiles illi & irrefragabiles, Doctores sic disserere solent. Testimonium Ecclesiæ (inquiunt) non est nobis formalis ratio *aut* causa, cur fide divina credamus *revelationem in Scriptura factam esse verè* divinam, *seu Sacram Scripturam esse* DEI Verbum; *sed est* conditio ad hoc credendum requisita: *est* ratio *&* fundamentum *non* fidei divinæ, *sed* alterius inferioris ordinis; *quæ* media *est inter* divinam *&* humanam: *hoc est, propter Ecclesiæ testificationem creditur Verbi authoritas, non quidem* fide pure divina, *sed* fide quadam media *inter divinam & humanam. Denique non est* causa fidei secundum se, *in qua, videlicet, tanquam in prin-* 3.

cipali credendi ratione aequiescit fides nostra, qua credimus Scripturæ divinam authoritatem: sed est causa acceptationis fidei, *quæ primùm nos impulit & permovit, ut vellemus & inciperemus credere, Sacram Scripturam esse divinam, & canonicam. Prima, distinctione utuntur* Valent. tomo 3. disput. 1. quæst. 1. §. 10. & Gretser. in tract. de agnoscendis Scripturis canonicis, Cap. 7. colum. 1909. *Secunda, utitur* Becanus, in summa, parte 2. tom. post. tract. 1. Cap. 1. quæst. 2. §. 9. *Tertia, utitur* Valent. tomo 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 10. *Item,* Becan. Opuscul. tomo 1. opusculo 10. hoc est, in tract. de circulo Calvinistico, à §. 24. ad 30.

4. §. 4. *Difficilis & spinosæ hujus Apologiæ Iesuiticæ, summa hæc est. Verbi DEI, aut revelationis divinæ authoritas, duobus modis credi potest; videlicet, vel fide divina, vel fide quadam inferioris ordinis: cum creditur authoritas Verbi* fide illa quæ inferioris ordinis est, *fundamentum assensus nostri est* Ecclesiæ testimonium: *at cum creditur* fide divina, *testimonium Ecclesiæ est quidem* causa acceptationis fidei, *seu est* prima janua, *qua ad Libros Canonicos credendos itur, ut loquitur* Gretserus, in defens. Cap. 4. Lib. 4. de Verbo, col. 1581. *Item est* conditio necessario requisita, *ad illum actum fidei divinæ eliciendum, quo Verbi DEI authoritas creditur: at non est* fundam

damentum principale, *aut* formalis ratio, propter quam fide divina credimus, illud verbum verè esse DEI ipsius Verbum. *Quod si quæras; quo fundamento nitatur Pontificiorum* fides divina, *qua credunt Sacræ Scripturæ divinam & canonicam authoritatem? aut, quæ sit* formalis *&* principalis ratio, *propter quam* fide divina *credunt, hoc verbum verè esse* DEI ipsius Verbum? Gretserus, append. 2. ad Lib. 1. Bellarm. de Verbo, colum. 395. *&* append. 2. ad Lib. 3. colum. 1514. Item, Becanus, in tract. de Circulo Calvinistico, §. 25. 26. *&* 29. *Respondet se credere* Scripturam esse DEI Verbum, propter revelationem divinam, *seu* propter DEI revelantis authoritatem.

§. 5. *Hæc Adversariorum responsio, fallax, ambigua, & dolosa est: dicunt enim Scripturæ authoritatem credi debere*, propter revelationem divinam: *attamen nec docent, nec docere possunt*, ubi nam inveniatur illa divina revelatio, propter quam credunt, Scripturam esse DEI Verbum. *Illa enim* revelatio, *vel est* ipsa Scriptura, *vel est revelatio quædam divina* à Sacra Scriptura distincta: *hoc est*, est traditio *aliqua divina* non Scripta. *Si est* ipsa Scriptura, *habemus quod volumus: videlicet, Scripturæ divinam authoritatem, per ipsam Scripturam sufficienter nobis manifestari: & propter ipsam Scripturam credendam esse: quod apertè repugnat, Pontificio-* 5.

rum doctrinæ, de Scripturæ authoritate. Si est traditio non Scripta, *eadem quæstio movebitur de illa traditione, unde videlicet constet eam esse divinam? illa enim traditio non potest esse idoneum fidei meæ fundamentum nisi firma & certa fide credam eam DEI ipsius Verbum esse: at unde hoc sciam? non ex* illa ipsa traditione: *quia sacra Scriptura, (ut docent Pontificii) nos de divina sua authoritate, certos reddere nequit. Ergo, paritatione hæc traditio non scripta, non potest nos de divina sua authoritate certos reddere: hoc diserte fatentur* Gregor. de Valent. tomo 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 12. *&* Gretser. in tract. de agnoscendis Scripturis canonicis, Cap. 4. Colum. 1888. *Non ex* Ecclesiæ testimonio: *quia Ecclesiæ testimonium (fatentibus ipsis Adversariis) non est idoneum fidei divinæ fundamentum: denique istius traditionis non scriptæ authoritas, non scitur ex* aliqua alia traditione *non scripta, quia eadem quæstio de illa altera traditione recurret: unde, videlicet, constet eam esse* verè divinam? *& sic dabitur* progressus in infinitum. Gregorius de Valentia, tomo 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 5. Colum. 28. *inexplicabilibus hujus argumenti laqueis constrictus, coactus est fateri* revelationem divinam *non solum* credi propter seipsam, *sine alia revelatione, sed etiam* revelare seipsam. *Hoc est divinam suam authoritatem nobis manifestare;*

stare: Fides (*inquit*) præbet assensum revelationi, ut revelatæ, non per aliam revelationem, sed per seipsam.

Sectio VI.

Thomæ Stapletoni *impostura detegitur*.



Homas Stapletonus *hujus argumẽti vim percepisse videtur;* 1. *ideoque* Lib. 3. de authoritate Scripturæ, Cap. 12. §. 11. *non obscurè innuit, Scripturæ divinã authoritatem, non propter aliquam revelationem externam, à Scriptura* distinctam, *sed propter* internum Spiritus Sancti testimonium credi: *adeoque illud internum Sancti Spiritus testimonium, esse formale objectum fidei, ejusque fundamentum principale. At nimis insulsè in re seria ludit* Staplet. *cum primas partes non publico Ecclesiæ judicio, sed interno Sancti Spiritus testimonio concedere se fingit: quasi hoc testimonium ex Pontificiorum sententia esset principale fidei fundamentũ ejusq; objectũ formale simpliciter. Formale enim objectum fidei*

non propter aliud, ſed propter ſe creditur, & ab eo certitudo fidei noſtræ præcipuè pendet: *quemadmodum certitudo ſcientiæ pendet à principiis propter quæ ſcimus concluſiones eſſe veras. At* Stapletonus, *reliquique Pontificii, docent, hoc internum Spiritus teſtimonium*, non propter ſe, *ſed* propter publicum Eccleſiæ judicium *credendum eſſe: hoc eſt, ei tum demum fidem adhibendam eſſe, quando publico Eccleſiæ judicio conforme eſt. Vide* Staplet. Lib. 9. principiorum doctrinalium, Cap. 3. Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 5. §. Octavum teſtimonium, *&c.* & eodem Cap. §. Quare ſi quis, *&c.* Gretſer. in tract. de agnoſc. Script. Cap. 5. colum. 1894. *&* 1902. *Ergo, non internus Sancti Spiritus inſtinctus, ſed publicum & externum Eccleſiæ teſtimonium, eſt Pontificiis* formale fidei objectum, *ejuſque* fundamentum principale.



REPLIC



Replic. Tvrnebvlli, Quam praecedentibus sectionibus opposuit Cap. 3. 6. 10. & 11. sui Libri.

Cap. III.

Ecclesiam non esse Pontificiis formale objectum, sed regulam fidei.



ALITER constituto, & explicato principio, quod tam à tuæ Sectæ hominibus, quam à Catholicis debet supponi tanquam certum, videamus, quibus tu argmentis, Sect. 3. conaris probare nostros non nisi verbo tenùs in hoc principium consentire, re verò ipsâ semper Ecclesiæ testimonium, pro formali objecto Fidei vobis obtrudere, reosque consequenter esse insignis prævaricationis in caussa, quàm simulant se defendere, deserendâ. Quæ accusatio ne videatur gratis à te ficta, producis è nostris plures docentes non posse à nobis dignosci quid revelaverit DEVS, quæve Scriptura sit canonica, nisi ex 1.

Ecclesiæ

Ecclesiæ testimonio; suppositâ verò hâc allegatione, tuam accusationem probas bifariam.

2. *Primò, propter revelationem divinam creduntur à Pontificiis ea omnia, & sola, quæ in Verbo DEI revelata sunt: At propter Ecclesiæ infallibile testimonium creduntur à Pontificiis non solùm quæ Verbo DEI revelata sunt, sed etiam ipsa DEI revelatio, verbique DEI auctoritas: Ergo, Ecclesiæ testimonium potiùs est illis formale objectum, quàm revelatio divina. Ratio consequentiæ* (inquis) *manifesta est, quia formale objectum Fidei sic definitur. Est id propter quod credimus, & per quod responderi potest ad quæstionem, Cur credis? Atqui hæc definitio magis competet Ecclesiæ testimonio, quàm revelationi divinæ. Quia nimirum propter revelationem divinam credunt Pontificii sola revelata. Propter Ecclesiæ verò testimonium credunt & revelata, & revelationem ipsam.*

3. *Secundò, credunt Pontificii ea omnia, quæ in DEI Verbo credenda proponuntur, quia à DEO revelata sunt: Esse autē à DEO revelata credunt propter Ecclesiæ testimonium. Quia, videlicet, Ecclesia testatur, ea esse à DEO revelata. Ergo, à primo ad ultimum credunt ea quæ in Verbo DEI proponuntur, quia Ecclesia dixit, ea esse à DEO revelata.*

4. De his in speciem duobus tuis argumentis, quæ verè non sunt duo, sed unum inutili tautologia repetitum adversus te. Pronuntio utrumque esse in illo genere captiosarum ratiocinationum, quod Philosophus, 2. Elench. Cap. 7. vocavit omnium ineptis-

eptiſſimum propter æquivocationem, in tua defini-tione formalis objecti, præcedenti meo Cap. detectam, & iterùm hìc à te aſſumptam ad probandam conſequentiam prioris argumenti. Sed quàm Sophiſticè ſic demonſtro. Eſſe id, propter quod credimus, & per quod reſponderi poteſt ad quæſtioné, Cur credis? poteſt cum omni proprietate ſermonis enunciari non tantùm de formali objecto, ſed etiam de pluribus aliis credendi principiis, & nominatim de quavis regula Fidei. Regulam autem Fidei diſtingui à formali objecto Fidei manifeſtum eſt. Nam illa multiplex eſt, hoc autem unum, & ſimpliciſſimum. Illius uſus proprius præcedit non tantùm aſſenſum mentis, qui vocatur credere, ſed & ipſam voluntatem credendi. Hujus autem uſus proprius eſt proximè fundare, & terminare aſſenſum. Et regulæ quidem multiplicitas patet tum ex Scripturis canonicis, quæ vel ideò ſic vocantur, quòd ſunt totidem regulę diverſorum ut plurimùm credibilium, principiaque ſuppeditent totidem demonſtrationum Theologicarum, de rebus credendis; Tum ex Apoſtolis à CHRISTO poſt Aſcenſionem in terra relictis, tanquam vivis regulis, omniumque aliarum regularum interpretibus authenticis. Vnde CHRISTI oratio Petro impetravit, ut non deficeret amplius fides ejus, ſed converſus confirmaret fratres. Et univerſè omne principium certum nobis demonſtrans aliquid in particulari eſſe credendum tanquam explicitè, vel implicitè revelatum, eſt regula Fidei.

Denique ſicut in aliis virtutibus non rarò contingit, earum regulas exemplares eſſe perſonas tali perfectionis genere illuſtres, ipſáſve ſingulares perſonarum virtutes, quas tamen à formalibus virtu-

tum

tum objectis distingui manifestum est, ita in Fide quis neget posse contingere? verbi gratia, Sicut sanctissima CHRISTI humanitas est nobis exemplar omnium aliarum virtutum ejus beatitudini non repugnantium, ita Ecclesia per Fidem CHRISTO desponsata potest esse omnibus veris Christianis exemplare principium credendi. Licet nec virtutes, quibus perficiebatur CHRISTI humanitas, fuerint formalia objecta similium virtutum nobis concessarum, nec Fides Ecclesiæ sit formale objectum Fidei nostræ.

Simplicitas autem unius objecti formalis jam præcedenti Cap. ostensa est; nempe increata DEI auctoritas. Sicut enim unus est DEVS, unaque Fides, ita est unica DEI auctoritas tanquam ratio proxima, & objectivè specifica Fidei divinæ.

5. 5. Porrò usum regulæ, quatenus regula est, esse priorem non tantùm assensu intellectus inde regulato, sed etiam ipsa voluntate assentiendi patet ex subordinatione plurium hìc virtutum ad idem opus Fidei concurrentium. Licèt enim eliciatur hoc opus ab intellectu, cui tanquam subjecto inest ejus habitus, imperatur tamen, ut postmodum patebit, à pia & religiosa voluntate, quæ non esset religiosa, sed superstitiosa, nisi ex prævio judicio prudentiæ nasceretur. Nec prudentia tanquam dux præiret, nisi regulam offerret certam, infallibilem, & à DEO constitutam, unde subsequa voluntas, quæ tantam firmitatem assensus imperat intellectui, cùm in se honestetur, tùm ab hæretica pertinacia distinguatur.

6. 6. Hinc disce primò, Quo sensu loquantur nostri, quando quærenti, Cur credis DEVM hoc vel illud revelasse? respondent, Quia Ecclesia ita testatur.

ſtatur. Non enim intendunt hoc ſuo reſponſo aſſignare formale objectum Fidei, proximámve rationem credendi Fide Theologica, ut tu captioſè fingis, ſed regulam duntaxat prudenti neceſſariam, ut cautè, non temerè; ut religioſè, non ſuperſtitioſè velit, poſſitque quis credere. Nam per hanc regulam diſcernitur prudens Fides Catholicorũ à temeraria credulitate ſectariorum, in iiſdem alioqui credibilibus ſæpè conſentientium. Simile quid accidiſſet ſi Ebionitis ab initio ſui erroris à Catholico petentibus, Quare credis DEVM revelaſſe myſterium Trinitatis, & æternæ Nativitatis Filii à Cœleſti Patre? reſpondiſſet Catholicus, quia ita teſtatus eſt Apoſtolus Ioannes ànte quàm ſuum Evangelium ſcriberet. Nam ante ſcriptum hoc Evangelium, erat ipſe in ſe viva regula credendi, non formale objectum. Hanc prudentiæ regulam ſequutus Auguſtinus, Lib. contra Epiſtolam Fundamenti, Cap. 5. *Ego* (inquit) *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*, &c. Quia ſcilicet non niſi ex Eccleſiæ auctoritate poteſt prudentia dignoſcere verum Evangelium ab Apocrypho. Quare ibidem agens Auguſtinus de Actis Apoſtolorum, dicit ſe pariter illi libro, & Evangelio credere. *Quia utramque* (inquit) *Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat auctoritas.*

7. Suppoſuit nempe Auguſtinus, quod invicto argumento contra omnes ſectarios ex Scriptura noſtri demonſtrant, Quando CHRISTVS dedit Eccleſiæ ab initio Apoſtolos, dediſſe pariter cum Apoſtolatu judiciariam poteſtatẽ decidendi futuras omnes lites tam de Fide, quàm de moribus, eamque 7.

non

non ad breve tempus, sed quamdiu Ecclesia in terris militans per Fidem ambulabit, ususque talis potestatis indigebit, Ephes. 4. *Donec occurramus omnes*, &c. Et certè si de cæteris donis etiam, quæ ad personalem accipientium utilitatem referuntur, verum sit *dona* DEI *esse sine pænitentia*, ROM. 11. Quantò magis judiciaria hæc potestas in spirituali principatu inclusa, & ad corpus Ecclesiæ in unitate Spiritus conservandum concessa, nunquam ei auferetur. Cùm non minùs, immò magis sit futura semper necessaria post propagatum toto orbe Evangelium, quàm erat in paucis illis credentium primitiis, quando adhuc vivebant Apostoli, ut vel testatur experientia tot hæresum, quæ singulis sæculis novæ semper pullularunt, & nisi per Ecclesiasticos Iudices fuissent compressæ, totum Christianum orbem jam pridem pervertissent. Sicut ergo Apostoli ex spirituali suo principatu super omnem terram fuerunt constituti Iudices controversiarum de Fide; fateri oportet eos, in quibus post mortem Apostolorum, remansit idem principatus, retinuisse pariter potestatem hanc judiciariam, tanquam vivam credendi regulam. Scilicet sicut in civili foro aliud est formale objectum humanæ justitiæ, cujus honestate movetur voluntas Iudicis ad jus dicendum; aliud regula Iustitiæ, quæ non tantùm est lex scripta, vel consuetudo in vim legis firmata, sed etiam ipse Iudex, ad quem tanquam ad justitiam animatam homines confugere notavit Philosophus, Lib. 5. Ethic. Cap. 4. ita in foro Ecclesiastico aliud est formale objectum Fidei divinæ, increata nempe, primaque veritas, seu DEI testantis auctoritas, aliud regula

Fidei

Fidei, quæ non tantùm est Scriptura, vel traditio divina non scripta, sed etiam supremus Ecclesiæ Iudex, ad quem tanquam ad Fidem animatam recurrere debent fideles.

Hoc Parag. 7. (Candide Lector) Adversarius à proposito digreditur, ut probet Ecclesiæ Catholicæ, id est, Papæ judicium, de rebus fidei esse infallibile. Sed quam elumbia sint argumenta quibus hoc demonstrare conatur, infra patebit ex Tract. 5. qui est de authoritate Ecclesiæ. Nota.

Disce præterea ex eodem principio distinguere duos sensus, unum verum, alterum falsum hujus propositionis, DEUM hoc illúdve revelasse creditur propter Ecclesiæ testimonium; Est enim falsa propositio, si putes assignari rationem objectivè specificam supernaturalis assensus tãtoperè in Scripturis commendati nomine Fidei Theologicæ aliam ab auctoritate DEI Ecclesiam gubernantis. Est tamen verissima, si sensibilem regulam intelligas à prudentia præmonstratam piæ affectioni, seu religiosæ voluntati credendi; vel si testimonium Ecclesiæ spectetur, non ut est verbum hominum, sed ut est Verbum ipsius DEI. 8.

Disce denique à contradictione liberare tum hanc propositionem sic intellectam, tum aliam dicentium, DEUM aliquid revelasse credi propter se immediatè, non propter alterius testimonium. Debet enim hæc posterior propositio ita intelligi, ut excludat duntaxat rationem proximam, & objectivam assentiendi à DEI auctoritate distin- 9.

 ctam

ctam sensu declarato præcedenti Cap. 2. n. 7. & deinceps. Nam hoc sensu est vera, nec priori contraria. Si autem quis eam ita intelligat, ut excludat omnem etiam regulam prudentiæ prævia necessariam nunc populo fideli, erit propositio non tantùm falsa, sed etiam stulta, & indigna homine prudente, ut mox clariùs ostendam.

CAPVT VI.

Ecclesiam in ordine ad nos præviumque judicium prudentiæ esse cæteris credendi regulis notiorem.



1. MIROR te, qui vocaris Magister in Israel, & in Philosophicis disciplinis, tantoperè Aristotelicum discrimen inter notius natura, & nobis, in præsenti disputatione aversari, ut Sect. 4. dicas esse puerorum & tyrunculorum risu excipiendum, si ad duplex Fidei fundamentum referatur. Ergo, tibi ridiculus August. cit. superiùs loco. *Ego verò*, inquit, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. Certè propter quod unumquodque tale, & illud magis in eodem ordine caussæ. Pari tamen certitudine credidit Augustinus, credimus & nos utramque regulam tam scriptam, quàm vivam, quando propter eandem DEI auctorita-

tem

tem pari tum piæ voluntatis imperio, tum gratiæ divinæ auxilio movetur intellectus ad credendum.

Præterea nullum DEI Verbum sive scriptum, sive sine scriptura traditum, indiget testimonio hominum, ut in se certum sit; nec quod ex DEI testantis auctoritate certum est certitudinem ullam ab hominibus emendicat. Hoc enim sensu videtur dixisse CHRISTVS: *Ego testimonium ab homine non accipio.* Vt tamen alterutrum DEI Verbum nobis, vel in ordine ad nos quibus immediatè non fuit revelatum, tanquam certum innotescat, indiget interventu hominum, siquidem *Fides est ex auditu, Auditus autem non est sine prædicante.* CHRISTVSque tot admisit testes, quot Martyres CHRISTI doctrinam sanguine suo nobis consignarunt. Ergo, licet ambæ regulæ, tam Scriptura divinitùs inspirata, quàm Ecclesia divinitùs stabilita sint in se pariter certæ, in ordine tamen ad nostram in credendo prudentiam notior est Ecclesia, cujus proprium est sua prædicatione omne DEI Verbum auditui fidelium objicere; Scripturam canonicam ab Apocrypha discernere, & canonicæ Scripturæ sensum verũ à falso dijudicare. 2.

Denique quod de intelligentiis dixit Philosophus eas esse simpliciter, & natura sua notissimas; nobis tamen, qui more vespertilionum tantam lucem, quanta illis videndis esset necessaria, non habemus à natura, esse obscuriores rebus sensibilibus; potest cum proportione accommodari rebus divinitùs revelatis, quæ simpliciter, & habentibus tantam evidentiam attestantis, quantam habent beati Spiritus de rebus, quas à DEO audiunt, sunt omnes pariter, & æqualiter perspicuæ, parique evi- 3.

dentia credibiles Fide altioris ordinis, quàm viatorum. At nobis in caliginoso loco degentibus, nec nisi per sensibiles regulas ad invisibilia discenda pertingentibus quodam sensu dici potest credibilior regulá rebus, quæ non nisi per eam innotescunt; esto alio sensu par sit utrobique credibilitas.

Sed videamus, quo tu argumento distinctio-
4. nem hanc à sapientissimis viris traditam, contendis esse puerorum, & tyrunculorum risu excipiendam. *Habitus* (inquis) *Fidei est, quo nos credimus. Objectum materiale Fidei est quod credimus. Objectum formale Fidei est propter quod nos credimus. Idem est ergo utrobique fundamentum principale Fidei, tum simpliciter, tum quoad nos, & vicissim non aliud quoad nos quàm simpliciter.*

Cur, mi Baro, si vir es, tam simplicis pueri personam hoc argumento induisti, ut patentissima æquivocatione fallere volueris, nisi ipse sis falsus, quando non advertis eodem nomine principalis fundamenti posse duo significari, tum ultimam, & universalem regulam credendi, in qua proximè fundatur prævia prudentia & religio credentium, ut nihil vel temerè, vel superstitiosè credant; tum specificum, & formale Fidei objectum, quo proximè nititur supernaturalis eorundem assensus in res revelatas. Si ad hoc posterius limites tuum sermonum nemini nostrorum quidpiam opponis, quod omnes non concedimus, ut constat ex dictis Cap. 2. Si autem ad regulas credendi extendas, plus conaris concludere, quàm sequatur ex virtute tui antecedentis, ubi nulla mentio talium regularum, inter quas tamen ostendi ego dari unam, quæ in ordine ad nos, nostramque prudentiam est cæteris manifest

manifestior, licet omnes in se sint paris certitudinis, parique à nobis certitudine Fidei credantur à DEO firmatæ.

PARS QUÆDAM CAPITIS DECIMI.

In qua Adversarius egregium sui acuminis specimen dat solvendo argumentum supra propositum Sect. 5. §. 5.



OBjicis multa, quæ tamen reipsa non sunt plura duobus, si tautologiis liberentur. Primum. *Dicunt Pontificii Scripturæ auctoritatem credi debere propter revelationem divinam. Attamen nec docent, nec docere possunt, ubinam inveniatur illa divina revelatio? Vel enim est ipsa Scriptura, vel est Traditio aliqua divina non scripta. Si est Scriptura, habemus,* inquis, *quod volumus,* &c. *Si est Traditio non scripta, eadem quæstio movebitur de illa Traditione, Unde videlicet cōstet eam esse divinã? Illa enim Traditio non potest esse idoneum Fidei meæ fundamentum, nisi firma & certa Fide credam eam esse DEI ipsius Verbum: At unde hoc sciam? Non ex illa Traditione: quia* Cap. 10. à §. 3. ad 6.

Sacra Scriptura (ut docent Pontificii) nos de divina sua auctoritate certos reddere nequit. Ergo, pari ratione hæc Traditio non scripta non potest nos de divina sua auctoritate certos reddere.

4\. Hujus argumenti laqueos jactitas esse nobis inexplicabiles, iisque constrictum & coactum Gregor. à Valentia concessisse, quod vos contenditis. At ego contendo te non tantùm aberrare à mente sapientissimi à Valentia, sed etiam hoc argumento tanquam proprio laqueo captum, ab altissimo idololatriæ patibulo hærere suspensum, nisi advertas quod Capite 2. præmonui nomine divinæ revelationis, quæ quandoque à nostris dicitur formale objectum, & propter se credi, ratioque credendi res revelatas, debere principaliter & directè intelligi actum increatum mentis practicæ in DEO per modum loquutionis intellectualis connotato tamen temporali signo, quo primùm innotuit primis Ecclesiæ fundamentis. Taliter autem intellecta revelatio nec in se, nec in signo, quo primùm innotuit, est vel Scriptura, vel Traditio, vel Ecclesiæ testimonium, sed aliquid his omnibus antiquius. Nam quatenus est increata loquutio divinæ mentis, est in DEO, non in cortice literæ, nec aliud reipsa est, quàm prima Veritas & increata perfectio DEI testantis. Quatenus verò temporali signo primùm terminatur, & innotescit, nec dicit Scripturam, nec Traditionem, sed aliquid quod ab utroque supponitur tanquam primarium signum ab utroque suo vicario.

Nam nihil est in Scriptura quod non fuit priùs revelatum, vel Prophetis, vel Apostolis, quàm scriptum, ut Cap. 2. diximus. Imò ipsi scriptores canonici

nonici priùs fuerunt divinitùs edocti ſcribenda, quàm ſcriberent, alioque proinde ſigno priore nobis jam præterito DEVM fuiſſe inſpiratorem, & dictatorem ſcribendorum.

5. Si quis hìc inſtet, & dicat his non obſtantibus, intellectualem illam loquutionem divinæ mentis non minùs per Scripturam jam nobis applicari ad fundandum in nobis aſſenſum Fidei divinæ, quàm ab initio applicabatur Prophetis, & Apoſtolis per ſigna nobis præterita, proindeque utrumque ſignum tam permanens, quod vocamus Scripturam, quàm illud præteritum eſſe quodam ſenſu metonymico formalem objecti rationem repræſentativè, quatenns utroque nna DEI auctoritas concipitur repræſentari, & applicari mentibus credentium. Non verebor concedere, quod concedit à Valentia, ita prorſus ſe rem habere. Sed nego inde ſequi, quod tu contendis de Scriptura in ſenſu proprio, & Scholaſtico eam propter ſeipſam credi, non propter aliud.

Sicut enim honor exhibitus Legato, non propter perſonam Legati, ſed propter perſonam Regis à Legato repræſentati exhibetur, ita nec aſſenſus Fidei præbetur Scripturæ propter ipſam, ſed propter Primam Veritatem tali ſigno repræſentatam, mentique fideli applicatam.

CAPUT XI.

De distinctione Fidei in divinam & humanam.

1. ÆC quoque distinctio à sapientissimis Theologis observata tibi displicet, quando quorundam nostrorũ responsionem in ea fundatam, Sect. 5. §. 5. vocas fallacem, ambiguam, dolosam.

Sed miror te tam suspicacem esse, ut fingas dolũ ubi nullæ sunt latebræ, quibus abscondatur, nec consequenter ulla suspicandi occasio. Quid enim, quæso te, est in meridie cæcutire, quàm non advertere progressum quo quis ab infidelitate paulatim avertitur, pluribus constare gradibus, quibus conversio ad Fidem sensim promovetur. Licet enim DEO sit facile subitò honestare pauperem, qualiter præter solitum rerum cursum, S. Paulum de repente fecit ex lupo agnum, & ex persequutore Pastorem gregis; viâ tamen ordinariâ, sicut nemo semel bonus de repente fit pessimus; ita nec quispiam animum infideliter pertinacem in errore de repente mutat cum universali, & efficaci proposito credendi, ut oportet, totam doctrinam à DEO revelatam Ecclesiæ.

Quia nempe uterque Sol tam mentium, quàm corporum antequam supra nostrum horizontem ascendat, eum aliqua priùs aurorâ illustrat. Spiritualis autem aurora in infideli mente tunc incipit, quando

quando rationes dubitandi, sive utrinque, sive altera ex parte apparent, & suspicionem gignunt falsitatis in errore nocturno. Promovetur, & augetur tenue hoc auroræ lumen ex aspectu partim Apocalypticarum illarum stellarum, quibus Ecclesia coronatur, partim ipsius Ecclesiæ, quæ tanquam civitas supra montem posita, pharusque Davidica, characteristicis suis insignibus conspicua apparet longissimè venientibus, suique persuasionem gignit, veram quidem, & sæpe tam formaliter, quàm objectivè certam, inferiorem tamen eo assensu, quem postmodum religio imperat, & Fides elicit, ob ipsius DEI jam lucentis auctoritatem.

Ad hanc experientiam ex se notissimam accedit ratio non minùs manifesta. 2.

Omnis enim assensus, qui testantis auctoritate nititur, supponit eum, cui creditur, alio priore actu, genereque cognitionis præcognitum. Nec enim Fides potest adhiberi alicui, nisi aliquatenus præcognito. At omnis præcognitio DEI, rerúmve divinarum prior assensu Fidei divinæ in primò accedentibus ad Fidem, est inferior ipsâ Fide. Et ut plurimùm naturalis tantùm ordinis, in humana ut potè Fide parentum, vel Philosophica ratione non nisi tenuiter, vel probabiliter penetrata innitens. Vnde S. Thomas, prima parte, quęst. 2. art. 2. ad primum, & 22. quęst. 1. art. 5. ad tertium, notat hoc complexum *DEVM esse*, & alia quędam similia non numerari inter articulos Fidei, sed esse præambula ad omnes articulos. *Sic enim* (inquit) *Fides supponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile.* Quam Sancti Doctoris rationem non co-

gimur ita interpretari, quasi hujusmodi veritat nequeant assensu supernaturali Fidei divinæ cred sed duntaxat, quod priùs quàm tanto gradu certi tudinis, tamque sublimi assensu credantur, aliquo alio assensu inferioris ordinis tanquam seminali ra tione soleant prçcognosci.

3. Quod de infidelibus ad Fidem accedentibu probatum est, potest servata proportione tribu etiam fidelibus, quoties ab eis aliquid noviter ad discitur, ut explicitè credendum, quod priùs in se ignorabant, & implicitè tantùm in alio principio generali credebant. Sic enim Theologica de monstratio, ut infra iterum notabimus, gignit per suasionem suæ conclusionis, certam quidem, infe riorem tamen ea, quam postmodum Fides ex impe rio piæ voluntatis, gratiæque auxilio concipit ejus dem conclusionis. Sic tam rudiores de populo, quàm Theologi, sçpe credunt aliqua propter testi monium Ecclesię, tanquam inferius motivum, priusquam ex ipsius DEI auctoritate assensum saluti necessarium eliciant. Quis, quęso te, do lus in tanta luce latere potest? Cave ne propria propensio ad hujus nominis artem tibi pariat ta lem de aliis existimationem. Sicut oculus indebi to colore tinctus, omnia sub ejusdem vitii specie apprehendit.



AUTH

AUTHORIS DUPLICATIO.

Caput I.

Confutatur Adversarii Responsio ad argumenta quæ proposita sunt Sect. 3. & 5.

IN Responsione tua ad argumenta mea quæ proposui Sect. 3. & 5. quatuor affirmas Cap. 3. tui Lib. Primò, Ea niti captiosa et æquivoca definitione formalis objecti supra à me proposita: idque quia quamvis Pontificii propter Ecclesiæ infallibile testimonium credant, & ea quæ Verbo *DEI* revelata sunt, & ipsam revelationem seu Verbi *DEI* authoritatem, non tamen hinc sequitur Ecclesiæ testimonium esse ipsis formale objectum fidei: & hoc confirmas, quia *esse id propter quod credimus, & per quod responderi potest ad quæstionem, Cur credis?* non tantum competit formali objecto fidei, sed etiam 1.

pluribus aliis credendi principiis, & nominatim cuivis regulæ fidei. Secundò, *Regulam fidei* necessariò à *formali objecto fidei* distinguendam esse. Tertiò, Pontificios cum dicunt se credere *DEVM hoc vel illud revelasse propter Ecclesiæ testimoniū* non assignare formale objectū propter quod credūt DEVM hoc vel illud revelasse, sed tantū regulam credenti necessariam, ut cautè & relligiosè possit credere DEVM id revelasse, quod ei credendum proponitur. Quartò, Formale objectum propter quod credunt Pōtificii DEVM hoc vel illud revelasse, *esse increatam DEI authoritatem*. Hoc multis aliis in locis repetis præsertim Cap. 14. §. 5.

9. Hæc tua responsio multis modis reprahendi potest: primò, Enim crimen æquivocationis in describendo formali fidei objecto, quod tanquam venenatum aliquod telum in primam disputationis meæ sectionem jecisti, supra dilui TRACT. 2.

8. Secundò, Formale objectum fidei ut illic monui, est per quod communiter et ordinariè homines respondent ad quæstionem, *Cur credis?* et per quod præcipuè iis satisfaciunt qui hanc quæstionem proponunt. At vestri Theologi ordinariè et communiter ad quæstionem prædictam respondent, per Ec-

clesiæ


lesiæ infallibile testimonium, putantque so-
m Ecclesiæ infallibilem testificationem pos-
plenè in hoc negotio nobis satisfacere. Af-
erunt quidem primo loco alias responsiones,
d tandem volunt Christianorum fidem in
ac responsione sistere & acquiescere. Si
nim quæram ex Pontificio aliquo, *Cur hunc
el illum articulum fidei credat?* Re-
pondebit, *Quia DEVS qui prima Ve-
itas est, istum in Verbo suo articulum
evelavit.* Si iterum quæram, *Cur cre-
at DEVM istum articulum in Verbo
suo revelasse, seu Sacram Scripturam,
qua articulus ille revelatur esse DEI
psius Verbum?* Respondebit, *Quia Ec-
lesia quæ infallibilis est testis veritatis, id
sserit.* Per hanc Ecclesiæ testificationem
rdinariè & communiter respondent Ponti-
cii, ad quæstionem, *Cur credis hoc ver-
bum esse DEI ipsius Verbum?* Immò nul-
am aliam responsionem hic commodè ad-
ferri posse putant. Hoc probavi Sect. 3. ex
Bellarm. qui Lib. 4. de Verbo DEI, Cap.
. §. *Quartò, necesse est,* dicit *nos non
erto scire quid DEVS revelavit nisi ex
Ecclesiæ testimonio.* Et ex Gretsero qui
n Tract. de agnoscendis Scripturis canoni-

cis,

cis, Cap. 7. Colum. 1908. dicit *solum Ecclesiæ testimonium aptè reddi ad quæstionem, Vnde scis Scripturam esse divinitus revelatam?* Idem etiam asserit Append. 2. ad Lib. 1. de Verbo, Colum. 395. His adde Stapletonum, Lib. 9. de princip. doctrinal. Cap. 14. sub finem.

4. Tertiò, Nihil tibi proderit illa distinctio *inter fidei regulam, & objectum formale*, in qua explicanda & confirmanda contra me qui nunquam eam negavi operam pueriliter ludis: facillimè enim probabo, Ecclesiæ testimonium vobis non esse regulam tantum, sed etiam esse ipsum formale objectum propter quod creditis *DEVM hoc vel illud revelasse*, seu *hoc verbum esse DEI ipsius Verbum*. Patet hoc primò, quia cum intellectus tendat in veritatem objecti, seu assensum præbeat objecto, quatenus id ei verum apparet necessario sequitur id quod ostendit veritatem in objecto esse formale objectum cognitionis seu assensus, ut expressè docet Suarez, disput. 3. de Fide, Sect. 1. §. 7. At secundum vestram Theologiam Ecclesiæ testimonium, immò solum Ecclesiæ testimonium sufficienter & certitudinaliter ostendit veritatem in hoc objecto credibi-

credibili *DEVS hoc revelavit*, seu *Hæc revelatio est verè divina*. Nam non certò scimus quid *DEVS* revelaverit nisi ex Ecclesiæ testimonio; imò per hoc solum testimonium aptè respondetur ad quæstionem, *Vnde scis Scripturam esse divinitus inspiratam?* ut docent Bellarm. & Gretser. locis citatis. Secundò, Si nullam afferre potestis objectivam rationem propter quam creditis revelationem scriptam, seu in Scriptura factam, esse verè divinam, præter Ecclesiæ testimonium, proculdubio Ecclesiæ testimonium est vobis formale objectum, seu formalis ratio propter quam creditis Scripturam esse *DEI* Verbum: at verum est prius; ergo & posterius. Major manifesta est: minor patebit ex argumento sequenti.



Capvt. II.

Prædicta Adversarii Responsio duobus aliis argumentis confutatur.



Q Varto nimis frigidè & jejunè ad quæstionem, *Cur credis DEVM hoc vel illud revelasse?* respondes, cum dicis te id credere 1.

propt

propter increatam DEI perfectionem seu authoritatem. Primò enim, DEI authoritas seu veracitas, non est totum formale fidei objectum; nam etiam revelatio divina per se pertinet ad formalitatem objecti, ut suprà fusè probavi. Secundò, Sive pertineat ad formalitatem objecti, sive non, tamen negari non potest eam esse quid necessariò requisitum ad fundandum fidei assensum: *Parum enim nobis confert ad credendam hanc vel illam propositionem quod DEVS in se verax sit, nisi externa aliqua revelatione aut testimonio propositionem illam confirmet, & quasi informet*, ut monet Suarez, disput. 3. de Fide, Sect. 12. §. 6. & ipse hoc fateris, Cap. 2. §. 11. ubi dicis, *Sine externo aliquo signo aut revelatione non posse haberi auditum nec ex auditu fidem*. Non possumus igitur propter solam DEI veracitatem credere DEVM revelasse ea quæ Scripturis continentur, seu Sacram Scripturam esse DEI Verbum, nisi DEVS externo aliquo signo, seu revelatione hoc revelet aut manifestet. Vnde Gretserus & Becanus apertè profitentur, se credere Scripturam esse DEI Verbum propter revelationem divinam locis à me citatis parte prima, disput. sect. 5. §. 4.

Quamob

Quamobrem quæsibi à vobis ibidem, & 2.
nunc iterum quæro, *Vbinam exstet illa revelatio propter quam creditis Scripturam esse DEI Verbum? & vtrum sit ipsa Scriptura, an vero revelatio à Scriptura distincta?* Si est ipsa Scriptura, tunc sequetur, primò, Scripturæ divinam authoritatem, sufficienter per ipsam Scripturam manifestari: quod aperte repugnat vestræ doctrinæ *de authoritate Scripturæ*, quam tanti fecit Stapletonus, ut ad eam defendendam tres Libros scripserit contra Whittakerum, quibus etiam postea adjecit *Triplicationem*, ut vocant, *inchoatam*. Secundò, sequetur dogma de authoritate Scripturæ non esse ἄγραφον, seu traditionē non scriptā: quia scilicet ex ipsa scriptura sufficienter haberi potest; quod etiam repugnat vestræ doctrinæ de imperfectione Scripturæ. Nam inter cætera argumenta quibus contra Scripturæ perfectionem pugnatis, hoc etiam affertis quod Scripturæ divina authoritas ex ipsa Scriptura sufficienter innotescere nequeat. Si vero est revelatio distincta à Scriptura, eadem quæstio movebitur de illa revelatione (quæcunque ea sit, id est sive sit traditio aliqua non scripta, sive præsentis Ecclesiæ testimonium) vnde viz. constet eam

esse divinam? utrum per se, an per aliam re-
velationem? & sic aut dabitur progressus in
infinitum, aut tandem deveniendum est ad
aliquam revelationem quæ propter se cre-
ditur, quæque de divina sua authoritate nos
certos reddit. Si autem ulla revelatio est talis
ea proculdubio est revelatio scripta, seu sa-
cra Scriptura, nam in ea sunt maximè clara
& illustria divinitatis indicia.

3. Hoc argumentum proposui parte 1. Disp.
sect. 5. § 5. & fusius illud prosecutus sum
parte 2. quæst. 7. §. 6. & 7. Vnde igitur est
(eximiè Doctor) quod nusquam in tuo libello
assignes revelationem aliquam externam, per
quam Deus nunc revelat seu manifestat se
hoc vel illud revelare? Vnde est quod dissi-
mulas & prætermittis hoc argumentum,
quod tam aperte à me est propositum, tam-
que frequenter inculcatum, quodque insig-
nem præ reliquis nostris argumentis effica-
ciam habet, ad adversarios quantumvis pro-
tervos, ac pervicaces constringendos? Hoc
non obscure professus sum parte 1. sect. 5.
§. 5. idque ut si quis mihi obtingeret adver-
sarius, is facile percipere possit, me hujus ar-
gumenti solutionem ab ipso imprimis ex-
spectare. Cur igitur, mi Turnebulle, tu
qui veteranus et palmarius Theologus habe-
ri vis, expectationem meam fefellisti? Cur
ubi

ubi res ad manus et pugnam venit, turpi et infelici fuga ex acie te subduxisti? Si te premit necessitas et sententiæ quam tueris absurditas, confitere, et da gloriam DEO. Sin verò aliter se res habet, prodi ex tuo latibulo, et ad has interrogationes ordine responde: Prima est, *An sola DEI veracitas absq; externa aliqua revelatione poßit nos certos reddere de Sacræ Scripturæ divina authoritate? & generaliter an poßit nos certos reddere de veritate hujus principii,* DEUS hoc dixit, seu revelavit? Secundò, *Si ad certitudinem fidei nostræ de divina authoritate revelationis scriptæ, seu Sacræ Scripturæ, opus sit revelatione aliqua externa, vtrum ea sit ipsa Scriptura, an verò revelatio à Scriptura distincta?* Tertiò, *Vtrum admittendus sic processus in infinitũ in revelationib⁹ divinis, an verò tandẽ deveniendũ sit ad aliquã revelationẽ quæ in se tam clara & perspicua habeat divinitatis indicia, vt non egeat alia revelatione ad manifestandam ipsius divinam authoritatem?* Quartò, *Si vlla talis revelatio detur, an non ea sit Scriptura Sacra in qua sunt plurima eaq; clarißima*

divinitatis indicia? Nam ut opinor non audebis dicere esse plura divinitatis indicia in testimonio aut decreto Ecclesiæ. Dices fortasse te ad hæc respondisse Cap. 10. ubi prædictum argumentum à §. 5. ad 6. proponitur et solvitur. Respondeo primò, Hoc argumentum non plenè et cum omnibus suis partibus proposuisti, nam præcipuam ejus partem quæ est *de processu in infinitum* in revelationibus divinis, prætermisisti et dissimulasti. Secundò, Nihil ei opposuisti quod vel pueris, et tyrunculis satisfacere possit. Nam id in quo argumenti vis posita est ne extremis quidem digitis attingere ausus es, ut patebit ex Cap. 4.

4. Quinto denique sic demonstro Ecclesiæ testimonium, ex cōmuni et recepta præsentis Ecclesiæ Romanæ doctrina esse formale fidei objectū, aut saltē aliquid formalis objecti, seu aliquā partē formalis objecti. Revelatio divina ex cōmuni et recepta recētiorū Pontificiorum sententia, est pars formalis objecti fidei, seu ut loquitur Suarez, disp. 3. de Fide, sect. 2. §. 4. *per se pertinet ad formalitatē objecti.* At Ecclesiæ testimoniū secundū te et quosdā alios tuæ societatis Theologos est revelatio divina. Ergo Ecclesiæ testimoniū pars est formalis objecti. Major manifesta est; nam tu fateris

Cap.

Cap. 2. §. 11. recentiores Pontificios in ea esse sententia, quod formale fidei objectum consletur et constituatur, partim ex increata DEI perfectione, hoc est, ex ejus veracitate, partim ex temporali signo quo externam revelationem DEVS exequitur. Minorem quoque negare non potes, nam Cap. 7. §. 2. dicis *supremam Ecclesiæ definitionem de rebus fidei esse infallibile DEI Verbum, & cum veteri revelatione facta Prophetis & Apostolis, integrare vnum credibile.* At Verbum DEI, et revelatio divina idem valent, ut cuivis manifestum est. Dicis etiam ibidem à §. 3. ad finem, *veterem revelationem & novam Ecclesiæ definitionem, paris esse authoritatis & certitudinis, & pari ratione ad formale objectum fidei pertinere.* At vetus revelatio ex communi vestrorum Theologorum sententia est formale objectum fidei, aut saltem aliquid formalis objecti. Ergo ex eorundem sententia Ecclesiæ definitio etiam est formale fidei objectum, aut saltem aliqua ejus pars.



Caput III.

Pontificios repugnantia docere de Ecclesiæ testificatione.



1. Vnc igitur quæro ex te, mi Turnebulle, primo, An recentiores Pontificii candidè et bona fide sententiam suam de formali objecto fidei divinæ explicent, cum Verbum DEI, seu revelationem divinam, ad formale objectum fidei tanquam aliquid intrinsecè & essentialiter in eo inclusum referunt: Ecclesiæ verò testificationem, quæ ex ipsorum sententia est revelatio divina, seu Verbum DEI, à ratione formalis objecti simpliciter excludunt? Secundò, An sibi constent, cum Ecclesiæ testificationem esse revelationem divinam, seu Verbum DEI, modo aiunt, modo negant?

2. Quod dicant Ecclesiæ testificationem esse revelationem divinam, patet ex iis quæ jam dicta sunt: quibus etiam adde impias illas & blasphemas Stapletoni assertiones.

Nunc

Nunc ergo (inquit) *supremum externum testimonium in terris, est Ecclesia vox.* Lib. 1. de authoritate Ecclesiastica, contra Whittakerum, Cap. 8. §. 6. & Cap. 9. ejusdem Lib. §. 12. *DEUS per Ecclesiam loquens non aliter loquitur, quam si immediatè per visiones aut somnia, aut quovis alio supernaturali revelandi modo nobis loqueretur.* Et Cap. 14. ejusdem Lib. §. 12. *Tota formalis ratio fidei nostra, est DEUS per Ecclesiam revelans.* Lib. etiam tertio ejusdem operis, Cap. 13. §. 5. *Testimonium* (inquit) *DEI per Ecclesiam loquentis, & Ecclesiæ sic loquentis, unum & idem testimonium est, ejusdem fidei, roboris, & authoritatis.*


Quod verò negent Ecclesiæ testificationem esse revelationem divinam, patet, quia manifestissimè eam à revelatione divina distinguunt, & aliud huic, aliud illi tribuunt. Valent. tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 10. dicit revelationem divinam esse *causam fidei secundum se*, Ecclesiæ verò infallibilem propositionem, non esse causam fidei secundum se, sed esse *conditionem ad credendum requisitam*: item esse *causam acceptationis* 3.

 fidei

fidei. Cum (inquit) *ex revelatione redditur ratio credendi propositionem aliquam, redditur ratio per causam, cum autem ex propositione Ecclesiæ redditur ratio credendi revelationem, ratio redditur non per causam credendi, sed per conditionem ad id requisitam*. Becanus Tract. de Fide, Cap. 1. quæst. 1. 2. et 3. dicit *fidem divinam seu infusam niti revelatione divina*. At ibidem quæst. 2. §. 9. et Cap. 8. quæst. 8. §. 8. dicit *assensum qui nititur authoritate Ecclesiæ, non esse assensum fidei Theologicæ seu divinæ, sed alterius inferioris ordinis*. Quibus verbis apertè distinguit, inter revelationem divinam & Ecclesiæ testificationem. Gretserus Appendice secunda ad Lib. 3. Bellarm. de Verbo DEI, col. 1514. et 1515. *Catholici* (inquit) *principaliter scripturis fidem habent propter divinam revelationem: at ob Ecclesiæ authoritatem non aliter quam vt ob conditionem sine qua non*. Et infra: *Sacris* (inquit) *Literis assensum prebemus primariò ob divinam revelationem secundariò ob Ecclesiæ testimonium*: et denique Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. responsione ad argumen-

tum

tum tertium. *Non* (inquit) *negamus Verbum DEI ministratum per Apostolos & Prophetas esse primum fundamentum nostræ fidei, sed addimus præter fundamentum primum requiri aliud secundarium fundamentum, id est, Ecclesiæ testificationem*. Si Revelatio divina est fundamentum primarium fidei, Ecclesiæ verò testificatio est fundamentum secundarium, ut docent Bellarm. et Gretser. proculdubio Ecclesiæ testimonium est quid distinctum à revelatione divina eaque inferius.



Caput IV.

Puerilis, Adversarii impostura detegitur, qui dum Cap. 10. sui libelli primarium ac præcipuum Authoris argumentum solvere conatur, neq; directè ad aliquam illius partem respondet, neq; id in quo vis argumenti præcipuè posita est, vel extremis digitis attingit.



Ap. 10. tui libelli, à §. 3. ad 6. respondere conaris ad argumentum, quod à me parte prima disp. sect. 5. §. 5. propositum est, ad confutandas 1.

tandas distinctiones illas quibus palliare conamini capitalem vestrum errorem de formali fidei objecto; quodque iterum à me parte secunda, quæst. 7. §. 6. et 7. allatum est ad confirmandã nostrã sententiã, de Sacræ Scripturæ divina et canonica authoritate. Sed DEVS bone quam inscitè hic disputas? quam puëriliter et ineptè respondes? immò tot vitiis scatet tua responsio, ut ne minimam quidem responsionis speciem habeat. Ne autem gratis hoc asserere videar, præcipuos tuæ responsionis defectus, breviter notabo et castigabo.

2. In meo argumento quærebam *vbinam sit illa revelatio divina, propter quam Pontificii dicunt se credere Scripturam esse DEI Verbum? & vtrum sit ipsa Scriptura, an verò revelatio distincta à Scriptura?* Quid tu ad hæc respondes? Primò, cum docendum esset, ubinam sit illa revelatio ob quam vestri Theologi dicunt se Scripturæ authoritatem credere; doces quid intelligendum sit nomine divinæ revelationis cum ea dicitur esse formale objectum fidei. Secundo, dum hoc explicas, delirium tuum repetis de revelatione divina, quod videlicet ejus nomine intelligi debeat æternus et increatus divinæ mentis conceptus, quo videlicet ab æterno

æterno intus in mente ſua concepit, et per modum locutionis intellectualis dixit ea vera eſſe, quæ in Scripturis revelata ſunt. Sed hoc delirium ſupra confutatum eſt, Tract. 3. Cap. 2. et quamvis verum eſſet, tamen fruſtra hîc affertur in medium, ubi quæſtio movetur de externa et temporali revelatione, per quam DEUS Sacræ Scripturæ divinam authoritatem nobis manifeſtat. Nam internus ille DEI conceptus, ſi per ſe conſideretur, eſt quid arcanum ac nobis incognitum: et ut loquitur Suarez, Diſp. 3. de fide, ſect. 2. §. 5. *non innoteſcit nobis per ſe, ſed per aliquid aliud, viz. per locutionem*, ſupple externam & temporalem. Quamobrem non poteſt per ſe nobis manifeſtare S. Scripturæ divinam authoritatem.

Tertiò, igitur agnoſcis neceſſitatem externæ revelationis, ad manifeſtandam Scripturæ authoritatem: dicisque revelationem divinam præter internum DEI conceptum includere aut ſaltem connotare *temporale ſignum*, ſeu externam & temporalem revelationem. Benè habet ad externam revelationem ventum eſt, Iam proculdubio ſatisfacies meæ quæſtioni, qua quæro *ubinam inveniatur illa revelatio, propter quam Pontificij credunt S. Scriptura divinam* 3.

autho-

authoritatem? Sed prô pudor! dum in verba ſequentia oculos conjicio, extenuatur immo penitus evaneſcit hæc mea ſpes.

4. Quartò, dum temporale illud ſignum deſcribis, apertè indicas te non loqui de ſigno aliquo præſenti, ſeu de revelatione aliqua nunc extante, ſed *de ſigno nobis* (ut ais) *jam præterito*, hoc eſt, de revelatione olim immediatè à DEO facta Prophetis & Apoſtolis. Dicis enim temporale illud ſignum, quod à revelatione divina connotatur, eſſe ſignum illud quo internus DEI conceptus *primùm innotuit primis Eccleſiæ fundamentis*, id eſt, Prophetis & Apoſtolis: & addis ſignum illud neque eſſe Scripturam, neque Traditionem, neque Eccleſiæ teſtimonium, ſed *aliquid his omnibus antiquius*. At non advertis Turnebulle, revelationem illam quæ olim immediatè à DEO facta eſt Prophetis & Apoſtolis, non poſſe ſatisfacere quæſtioni à me propoſitæ, de revelatione per quam DEVS nunc nobis revelat, & manifeſtat Scripturæ authoritatem; idque primo, quia *nobis* (ut ais) *præterita eſt*, & nunc non exſtat. Secundò, quia in ſe ſpectata, & ſecluſa ipſorum Prophetarum & Apoſtolorum teſtificatione,

tione, arcana fuit, *aliisq́; qui immediatam revelationem nunquam experti sunt, semper ignota*, ut tu ipse fateris, Cap. 4. §. 2. Quomodo igitur potest ea Scripturæ divinam authoritatem nobis nunc manifestare? Tertiò, Si dicas te credere Scripturam esse DEI verbum, quia ea omnia quæ Scripturis continentur olim immediatè à DEO Prophetis & Apostolis revelata sunt; quæram abs te, *unde hoc constet, & per quam revelationem? utrum, viz. per ipsam Scripturam, an vero per revelationem aliquam à Scriptura distinctam, quæ nunc exstat, quæq́; non arcana est, sed publica & toti Ecclesiæ nota?* Ad hanc quæstionem nondum respondisti, &, nisi me animus fallit, nunquam ad eam respondebis, si inextricabilem, & inexplicabilem vestrum errorē de Scripturæ authoritate quoad nos ab Ecclesiæ testimonio pēdēte, defēdere pergas.

Quintò, ut argutum ingenii acumen in solvendis argumentis etiam difficillimis ostēdas hanc objectionē contra te ipsum in medium affers. Intellectualis DEI locutio seu internus ejus cōceptus, non minus nunc per Scripturā, tanquam per signum permanens nobis manifestatur, & applicatur ad fundandū fidei divinæ assensū quā ab initio manifestabatur & ap- 5.

pli-

plicabatur Prophetis & Apostolis per signi præterita, id est, per immediatas revelationes. Ergo utrumque signum divini conceptus tam *permanens*, quod vocamus Scripturam, quam illud *præteritum*, id est, immediata revelatio olim Prophetis & Apostolis facta, formale objectum fidei quodam sensu metonymico dici potest. Deinde ad hanc objectionem respondens, *non verebor* (inquis) *concedere quod concedit à Valentia, ita prorsus se rem habere. Sed nego inde sequi quod tu contendis de Scriptura in sensu proprio & scholastico, eam propter se ipsam credi, non propter aliud.* Et infra dicis, *assensum fidei præberi Scripturæ, non propter ipsam Scripturam, sed propter primam veritatem, tali signo repræsentatam mentiq; fideli applicatam.*

6. Pudet me pigetque tui, Turnebulle, qui tam ignavum, & imbellem disputatorem te hic præstas, & ita ad omnem adversarii ictum expositus, nudus, & inermis jaces, ut mihi commiserandi potius, quam feriendi occasionem præbeas: primo enim objectio hæc ridiculè & ineptè à te hic proponitur, ubi non directe & immediate quæritur, an &

quatenus Scriptura ad formale fidei objectum pertineat; sed quæstio, movetur de illa revelatione, propter quam dicunt Pontificii, se credere Scripturam esse DEI Verbum: & quæritur ubinam inveniatur illa revelatio? *Si* ad hanc quæstionem referatur tua objectio omnino otiosa,& impertinens cuivis videbitur. Secundò, dicis te audacter & liberè id concedere quod concedit à Valentia, sed non exprimis quidnam illud sit? immo si respiciamus præcedentem objectionem ad quam hic respondes , non aliud concedis quam quod tua objectio probat, viz. *scripturam quodam sensu metonymico esse formale objectum fidei, quatenus per eam etiam DEI authoritas concipitur* (ut tu loqueris) *repræsentari* , *& applicari mentibus credentium.* At Valentia loco à me citato Sect. 5. sub finem, non loquitur speciatim de *Scriptura*, sed generaliter loquitur *de revelatione divina* , & de ea id dicit quod tu nondum concedere ausus es, viz. *eam revelare seipsam. Fides enim* (inquit) *præbet assensum revelationi ut revelatæ, non per aliam revelationem sed per se ipsam.* Ex hac confessione Valentiani sic argumentatus sum parte 2. quæst.

quæst. 7. §. 4. *Revelatio divina revelat se ipsam, hoc est divinam suam authoritatem nobis manifestat*, ut fatetur Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 1. part. 1. §. 5. & col. 28. *Ergo etiam revelatio in Scriptura facta se ipsam revelat, hoc est se esse verè divinam ostendit.*

7. Dic igitur, mi Turnebulle, an cum Valentiano concedas *revelationem divinam revelare se ipsam?* et si hoc concedis, dic quid respondeas ad illud consequens, *de revelatione scripta in Sacris Bibliis se ipsam manifestante & revelante?* Denique si hoc consequens tibi displicet, dic *per quam aliam revelationem reveletur nobis Scripturæ authoritas? quomodo de illius revelationis authoritate certitudinem fidei habeamus? & quomodo vitetur processus in infinitum in revelationibus divinis?*

8. Dicis sub finem §. 5. assensum fidei præberi Scripturæ non propter ipsam, sed propter *primam veritatem tali signo repræsentatam, mentique fideli applicatam:* te igitur explica et declara, quid intelligas per *tale signum*, utrum videlicet Scripturam ipsam, an aliquid aliud?

CAPVT

Caput V.

Turnebullus cum umbra sua dimicans castigatur: & obiter agitatur illa quæstio qua quæri solet, utrum Ecclesia, an verò Scriptura sit simpliciter & natura notior?



Cap. 6. tui libelli strenuè et animosè cum umbra tua dimicas; primò, enim hunc errorem mihi affingis §. 1. 1.
quod in præsenti disputatione rejiciam Aristotelicum discrimen inter *notius natura* et *notius nobis*, dicamque illud esse puerorum et tyrunculorum risu excipiendum si ad duplex fidei fundamentum referatur. Secundo, distinctionem hanc applicas §. 2. et 3. dicisque, *Ecclesiam in ordine ad nos præviumq́ judicium prudentiæ esse notiorem tum Scriptura, tum Traditione*. Ad quod confirmandum, §. 1. tu præmittis illud dictum Augustini quod extat Lib. contra Epistolam Fundamenti, cap. 5. *Ego Evangelio*

lio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas. Tertiò, Parag. 4. respondes ad argumentum à me propositum, dicisq; illud meum effatum [*quicquid est principale fundamentum fidei simpliciter, illud etiam est principale fidei fundamentum quoad nos*] verum esse si intelligatur (prout revera intelligitur) de solo formali objecto fidei, non verò si extendatur etiam ad regulas fidei: idque quia quamvis omnes regulæ fidei sint in se paris certitudinis, earumq. nulla sit natura notior reliquis, tamen in ordine ad nos Ecclesia cæteris est notior.

2. Hæc tua animadversio Turnebulle mihi occasionem præbet, quæstiones aliquot explicandi: prima est, Quidnam sit illud quod hîc distinguitur, vel cujus distinctio hîc consideratur? Secunda, Quænam illius rei distinctio hîc rejiciatur? Tertia, An ea meritò rejecta sit? Quarta, An distinctio à te allata admittenda sit, & an rectè applicetur regulis fidei? Quinta, Quis sit sensus istius sententiæ quam ex Augustino citasti? Ad has quæstiones distinctè & ordinè respondebo.

3. Quod ad primam quæstionem attinet, id cujus distinctio sect. 4. à me consideratur esse ipsum formale objectum fidei patet, primo,

mò, Quia tum in præcedentibus, tum in sequentib⁹ sectionibus, & proinde etiam in illa sectione, de formali fidei objecto dissero. Secundò, Quivis percipere potest me ideo distinctionem illo loco propositam rejicere, ne Pontificii ea abutantur ad tegendas & velandas suas fraudes, in assignando formali objecto fidei. Tertiò, Id cujus distinctio illic cōsideratur est fundamētum principale fidei, ut patet ex tota illa sectione: ergo est formale objectum fidei, nam formale objectum fidei, & principale fundamentum fidei, idem valent. At (inquis) fundamentum principale fidei non solum significat formale & specificum objectum fidei, sed etiam ultimam & supremam credendi regulam: ergo non idem valet, quod formale objectum fidei. Resp. Solum formale objectum fidei verè & propriè dicitur fundamentum principale fidei: nam ut ipse fateris Cap. 3. §. 4. proprius & peculiaris usus formalis objecti est *proximè fundare & terminare assensum fidei.* Præterea formale objectum fidei, est id propter quod ipsam regulam fidei tanquam certam, infallibilem, & à DEO constitutam recipimus, ut tu disertè fateris Cap. 10. §. 8. Ergo non regula credendi, sed solum formale objectum fidei, est præcipuum & principale fidei fundamentum. Quartò, Cum di-

eo ibidem *id propter quod nos credimus esse fundamentum & formale fidei objectum quoad nos*, apertè indico me formale objectum fidei ejúsque fundamentum principale pro eodem accipere.

4. Quod ad secundam & tertiam quæstionem attinet, distinctio à me rejecta & refutata non est Aristotelicum discrimen inter *notius natura*, & *notius nobis*, ut tu falsò & impudenter asseris (concedo enim inter ea, quæ à nobis cognoscuntur hoc esse discrimen, quod eorum alia sunt notiora nobis, qualia sunt ea quæ prius à nobis cognoscuntur *cognitione confusa, imperfecta, & originali*. Verbi gratia, effecta, proprietates, et accidentia rerum, priùs à nobis percipiuntur et confusè cognoscuntur quam ipsa rerum essentia: nam per hæc investigatur rerum essentia: alia verò sunt notiora natura, priúsque cognoscuntur *cognitione distincta*, quia videlicet distincta aliarum rerum cognitio per se, et necessario ab his pendet, et proinde oportet hæc priùs à nobis cognosci *cognitione distincta*. Hoc modo causæ sunt notiores effectis, et essentia rerum, proprietatibus ab ea profluentibus) sed est distinctio qua formale objectum fidei, distinguitur in id *quod est formale objectum fidei in se, &*

id

id quod est formale objectum fidei quoad nos: hanc distinctionem meritò à me esse rejectam et efficaciter confutatam apertè fateris §. 4. illis verbis, *Si ad hoc posterius* (id est, ad formale objectum fidei) *limites tuum sermonem, nemini nostrorum quidpiam opponis, quod omnes non concedimus.*

Ad quartam quæstionem primò respondeo, fundamentum principale fidei si propriè accipiatur prout significat, non regulam credendi, sed formale fidei objectum, ridiculè et ineptè distingui in illud fundamentum fidei quod est notius natura, et illud quod est notius nobis. Non enim dantur duo principalia fundamenta, seu formalia objecta fidei, quorum unum sit notius natura, et alterum sit nobis notius, sed unicum tantum et simplex est formale fidei objectum, videlicet, *prima Veritas ut revelans,* seu manifestans dogmata fidei. Si dixeris te latè et impropriè accipere fundamentum principale fidei, prout significat regulas credendi, tunc secundò respondeo distinctionem illam in se quidem bonam esse, sed male à te applicari: nam cum eam applicas doces quidem, quæ regula fidei sit reliquis regulis *notior nobis,* videlicet quoad *cognitionem confusam & originalem,* 5.

nalem: non verò doces, immò nec docere potes, quæ inter eas sit *notior, non nobis, sed natura*: hoc est non doces, nec docere potes, quæ earum priùs à nobis cognoscatur *distincta cognitione*, ita videlicet ut distincta aliarum regularum cognitio ab ea pendeat, ejus verò distincta cognitio a reliquis non pendeat scilicet per se et necessario.

6. Dico te hoc docere non posse, primò, quia secundum vestram Theologiam inter regulas fidei, id est Scripturam, Traditionem, et præsentem Ecclesiam, est mutua et circularis dependentia, etiam quoad *cognitionem distinctam*. Nam nulla certa cognitio haberi potest, de præsenti Ecclesia, quod videlicet sit vera Ecclesia, et infallibilis testis veritatis, nisi ex Scriptura vel Traditione: et rursus, nulla certitudo de Scriptura et Traditione secundum vos haberi potest, nisi per testimonium præsentis Ecclesiæ, ut tu disertè asseris, Cap. 8. §. 11. Secundò, Si ulla regula fidei est reliquis notior natura, ea est regula viva seu animata, id est præsens Ecclesia: nam ea ex te est *prima seu principalis maximéque necessaria regula credendi*: unde Cap. 5. §. 1. sic disseris; *Præter Ecclesiam nulla fingi potest regula, tam antiqua, tam universalis, tamque permanens & incorruptibilis*

sibilis. Igitur Ecclesia sola est prima, maximeq́ necessaria regula credendi. Sic etiam cap. 6. §. 4. appellas Ecclesiam in qua proxime fundatur prævia prudentia, et religio credentium, appellas (inquam) eam *ultimam & universalem credendi regulam.* Sic denique Cap. 14. §. 5. dicis *omnium regularum supremam ultimámque esse DEI Ecclesiam nobiscum semper viventem.* At hæc regula non est reliquis regulis credendi notior natura: ergo nulla regula credendi a te assignari potest, quæ reliquis sit natura notior.

Dico Ecclesiam non esse reliquis credendi regulis notiorem natura: primò, Quia est reliquis notior nobis, ut tu asseris; ergo non est etiam notior natura: ratio consequentiæ est, quia sic coinciderent, et confunderentur duo membra hujus distinctionis, quam tanti facis, ut ob ejus rejectionem, me censura non minus salsa quam falsa perstringas. Secundò, Quia Verbum DEI, quod apud vos dividitur in Scripturam et Traditionem, est principium et causa Ecclesiæ constituendæ, Rom. 10. 17. *est semen ex quo nascitur Ecclesia.* 1. Pet. 1. 23. *est fundamentum Ecclesiæ.* Ephes. 2. 20. Ergo est natura 7.

 prius

prius, et proinde etiam natura notius Ecclesia. Tertio, Propter Scripturæ authoritatem credunt Pontificii Ecclesiam esse infallibilem credendi regulam. Ergo Scriptura est natura notior Ecclesia, etiam quoad cognitionem distinctam: nam nulla distincta et certa cognitio haberi potest de Ecclesiæ infallibilitate nisi ex Scripturis, ut infra fusius probabitur.

CAPVT VI.

In quo consideratur celebris illa Augustini sententia; *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas.*



1. AD quintam quæstionem, quod attinet, non solum orthodoxi, sed etiam quidam ex vestris scriptoribus, de illo Augustini dicto duo tradunt, quæ vestra argumenta ab eo petita omnio debilitant et enervant. Primò, docent id intelligendum esse non de Ecclesia præsenti, (quæ a vobis regula viva et animata dicitur, et pro cujus authoritate vos

vos pugnatis) sed vel de Ecclesia primitiva, quæ, ut loquitur Gerson, tractatu de vita spirituali animæ, lectione 2. corollario 7. *est eorum fidelium congregatio, qui CHRISTVM viderunt, audierunt, & sui testes exstiterunt*; vel de Ecclesia Catholica, *quæ fuit ab initio Christianæ fidei per seriem successionis Episcoporum crescens ad hæc vsque tempora*, ut loquitur Driedo, loco infra citato. Secundò, docent Augustinũ illîc nõ loqui de *principali fundamento*, propter quod creditur Scripturæ authoritas, sed *de medio per quod homines infideles, & in fide novitii primò perducuntur ad Sacræ Scripturæ cognitionem.* Quod sanè nos omnes fatemur esse Ecclesiæ testimonium, & proinde etiam concedimus Ecclesiam esse notiorem Scriptura; non quidem *cognitione distincta*, (ut patebit ex Tract. 7. de primo credibili) sed *cognitione originali & confusa*.

Prius patet ex apertis & manifestis testimoniis Gersonis, Waldensis, Driedonis, & Durandi. Gerson lect. 2. de vita spirituali animæ, corollario 7. *Consequenter* (inquit) *deducitur, quomodo major fuit primitivæ Ecclesiæ authoritas, quoad prædicta quam* 2.

nunc

nunc sit, & quod non est in potestate Papæ, aut Concilii, aut Ecclesiæ, immutare traditiones datas ab Evangelistis & à Paulo, sicut quidam delirant. Nec habent quoad hoc, quod est facere aliquid esse purè de fide, parē authoritatis firmitatē. Et sic aperitur modus intelligendi illud Augustini, Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ compulisset. *Ibidem enim Ecclesiam sumit, pro primitiva congregatione fidelium eorum qui CHRISTVM viderunt, audierunt, & sui testes fuerunt.* Valdensis in doctrinali fidei, lib. 2. cap. 21. *Sufficiat* (inquit) *universali Ecclesiæ pro præconio potestatis suæ modernæ, quod olim hoc fecerit unde gloria potestatis ejus, quasi per cujusdā Majestatis imperium, valeret ad posteros: ita quod adhuc sine ejus authoritate Scriptura aliqua nec legi poterit, nec haberi pro certa. Et hoc sapuit cum diceret contra Epistolam fundamenti cito post principium Augustinus,* Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Driedo, tom. 1. lib. 4. cap. 4

August

Augustinus (inquit) *cum dicit*, Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas; *intelligit de Ecclesia Catholica quæ fuit ab initio Christianæ fidei, secundum seriem successionis Episcoporum crescens adhæc usque tempora: quæ sanè Ecclesia complectitur collegium Apostolorum.* Durandus, lib. 3. dist. 24. quæst. 1. §. 9. *Hoc autem* (inquit) *quod dictum est de approbatione Scripturæ per Ecclesiam, intelligitur solum de Ecclesia quæ fuit tempore Apostolorum, qui fuerunt repleti Spiritu Sancto, & nihilominus viderunt miracula CHRISTI, & audierunt ejus doctrinam, & ob hoc fuerunt convenientes testes omnium quæ CHRISTVS fecit aut docuit, ut per eorum testimonium Scriptura continens facta & dicta CHRISTI approbaretur.* His adde Gulielmum Occam, qui parte 1. dialogi, lib 1. cap. 4. sic differit, *Hic Ecclesia Catholica Episcopos & populos à tempore Apostolorum, usque ad hodiernum diem sibimet succedentes importat. Et sic accipit nomen Ecclesiæ Augusti-*

gustin⁹, cum asserit quod nõ crederet Evangelium, nisi eum auctoritas Ecclesiæ compelleret. Ista enim Ecclesia Scriptores Evangelii & omnes Apostolos comprehendit, sicut probatum est.

3. Posterius patet ex Cardinali Cameracensi, qui quæstione 1. in primam sent. art. 3. ad literam f. f. de testimonio Augustini, sic disserit; *Per authoritatem* (inquit) *Augustini non habetur quod ipse crediderit Evangelio per authoritatem Ecclesiæ, tanquam per principium Theologicum, ex quo Evangelium Theologicè probetur esse verum: sed solum tanquam ex causa movente ipsum ad fidẽ Evangelii: ac si ipse aut alius dixisset, nõ crederẽ Evãg. nisi me Ecclesia sãctitas, aut CHRISTI miracula cõmoverent: in quo dicto licet fidei Evgãelii causa aliqua aßignetur: non tamẽ aliquod principium prius, cujus fides causa sit ut Evangelio credatur.* Patet etiam ex Melchiore Can. lib. 2. de locis, cap. 8. pag. 51. *Qua ex re* (inquit) *intelligitur quid sibi voluerit Augustinus, cum ait,* Evangelio non crederem, nisi me moveret Ecclesiæ authoritas. *Et rursũ,* per Catholicos Evãgelio crediderã; *videlicet, negotium Au-*

gustino erat cum Manichaeis qui absque controversia suo quidem Evangelio credi volebant, & Manichaeorum fidem astruere. Rogat igitur Augustinus ecquid facturi sint si in hominem incidant, qui ne Evangelio quidem credat? quóve genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi? Certe se affirmat non aliter potuisse adduci ut Evangelium amplecteretur, quam Ecclesiae auctoritate victum. Non itaque docet fundatam esse Evangelii fidem in Ecclesiae authoritate, verum simpliciter nullam esse certam viam qua sive infideles, sive in fide novitii, ad Sacros Libros ingrediantur, nisi Ecclesiae Catholicae unum eundemque consensum. Hactenus Melch. Can. Huic astipulatur Becanus, qui in opusculo de Circulo Calvinistico, §. 30. de hoc dicto Augustini sententiam suam sic proponit; *Loquitur Augustinus de acceptatione fidei non de fide ipsa secundum se. Nam si sermo sit de fide secundum se, proculdubio credebat Evangelio propter revelationem DEI. At quia sermo erat de acceptatione fidei inquit*

inquit se authoritate Ecclesiæ induci & permoveri ut fidē Evangelii acceptet, &c. Hoc quod a Becano hic dicitur de Ecclesia, de quolibet alio fidei motivo dici potest. Vnde idem loco citato, ad quæstionem de *acceptatione illius fidei qua Evangelio creditur*, non tantum respondet per Ecclesiæ testimonium, sed etiam per consensum tot populorum, miracula, et similia. Vide istius opusculi, §. 26. 27. 28. et 29.



CAPVT VII.

Iterum in scenam producitur Turnebullus cum umbra sua dimicans & ob ridiculam ipsius accusationem merito flagellatur.



1. CAP. II. tui libri probas doctrinam Ecclesiæ ab accedentibus ad fidem ut plurimum prius credi *fide humana & timida*, quam *divina* & *certa*: meq; verbosē reprehendis quod hæc distinctio mihi displiceat; quodque asseram vestrorum

Theol

Theologorum reſponſionem in hac diſtin-ctione fundatam eſſe fallacem, ambiguam, et doloſam, parte 1. ſect. 5. §. 5. Hîc iterum cum larvis luctaris: et proinde dignus es qui denuò vapules. Nam in nulla vel ſect. vel quæſt. meæ diſputationis, imò in nullo illius paragrapho, dixi vel indicavi hanc diſtinctio-nem mihi diſplicere. Sed contra in meis prælectionibus Ann. 1627. diſp. de obje-cto formali fidei, Cap. 12. paragr. 5. et 6. duas diſtinctiones propoſui, et auditoribus meis commendavi, quæ non ſolum diſtin-ctionem hanc tuam exprimunt, ſed etiam eam illuſtrant.

At (inquis) noſtrorum Theologorum re-ſponſionem in hac diſtinctione fundatam damnas et rejicis. Reſpondeo: Non inde conſequitur diſtinctionem illam in ſe conſi-deratam, ſed potius veſtram applicationem iſtius diſtinctionis mihi diſplicere. Hoc ex eo patet, quod loco a te citato nullum argu-mentum afferam contra diſtinctiones illîc propoſitas, ſed contra earum applicationem quæ a veſtris Theologis adhiberi ſolet; præ-ſertim contra id quod dicitis Eccleſiæ teſti-monium quamvis apud vos ſit *conditio ad credendum requiſita*, item *cauſa acceptatio-nis fidei*, item *fundamentum fidei humanæ*, ut tu

2.

ut tu hic loqueris, *vel fidei illius quæ inter divinam & humanam media est*, quæque a Becano *fides inferioris ordinis* appellatur, non tamen esse *fundamentum principale aut formalem rationem propter quam fide divina à vobis creditur Sacræ Scripturæ auctoritas*; quia scilicet formalis ratio propter quam fide divina creditis Scripturæ authoritatem est revelatio divina. Hoc effugium illîc confutavi, quia nec docetis, nec docere potestis *vbinam inveniatur illa revelatio propter quam creditis Scripturam esse DEI Verbum?* Præterea quam ridicula sit hæc evasio vel ex eo patet, quod Ecclesiæ testimonium secundum vos sit revelatio divina. Si igitur Ecclesiæ testimonio nititur fides humana ac timida, etiam revelatione divina, seu Verbo DEI nititur fides humana: et rursus si fides divina qua creditur Sacræ Scripturæ authoritas, nititur revelatione divina, nititur etiam Ecclesiæ testimonio.

3. Concludo igitur vestram applicationem hujus distinctionis planè, ineptam, et ridiculam esse, teque ignavum et imbellem adversarium esse qui id quod impugno tueri ac defendere non audes, id vero quod nunquam a me, nec ut puto ab ullo alio impugnatum

natum est, strenuè et viriliter propugnas. Si sic pugnare pergas, facilè vinces, et apud sciolos qui tuum acumen admirantur triumphabis. Sed qui absque adversario pugnat, is sine præda aut spoliis triumphat.



Tractatus Quintus.

De eorum deliramento qui dicunt supremam Ecclesiæ definitionem esse infallibile DEI Verbū, & S. Scripturæ parem esse quoad authoritatem & certitudinem.

SECTIO VII.

Refutatur eorum deliramētum, qui dicunt Ecclesiæ testimonium nō esse quid distinctum à revelatione Divina, & proinde esse formale Fidei objectum.



Scriptores *quidam Pontificii, sed obscuri & infimæ conditionis homines, Doctorum suorum sententia posthabita, audacter asserunt, Ecclesiæ testimonium,* non esse quid distinctum à revelatione divina, seu à DEI Verbo: *quia videlicet DEUS per Eccle-* I.

 siam

siam, hoc est, per Pontificem Romanum, *& Concilia ab eo approbata, semper &* immutabiliter loquitur: *unde concludunt, Ecclesiæ testimonium esse* formale fidei objectum, *ejusque* fundamentum principale.

Hæc sententia insigniter absurda est, & doctorum ac bonorum virorum patrocinio planè indigna.
2. *Primò enim: ut Ecclesiæ testimonium sit formale fidei objectum, non tantum requiritur, ut in se divinum sit & infallibile, sed etiam ut nobis certò constet illud esse tale. At unde hoc constare potest? Unde sciam primum Canonem quartæ Sessionis Concilii* Tridentini (*à quo Pontificii putant tum Scripturæ, tum Traditionis authoritatem* quoad nos *pendere*) *esse divinum & infallibilem? Ipsum hoc Decretum, per se non potest nos de divina sua authoritate certos reddere: nam Sacræ Scripturæ Canon* (*ut volunt Pontificii*) *hoc præstare non potest. Ergo, multo minus ille Canon Conciliabuli* Tridētini *Confirmatio Pontificis* Pii iiij. *hic nobis non satisfacit: nam eadem quæstio de illa moveri potest: unde videlicet sciamus istius Pontificis testimonium esse divinum & infallibile?* Nullum *etiam prius decretum Pontificis, aut Concilii alicujus* Generalis, *in quo statutum est, ut publicum Ecclesiæ testimonium pro Divino & infallibili habeatur, nullum* (*inquam*) *tale decretum hunc scrupulum nobis eximet.* Nam *eadem statim de illo decreto quæstio existet:* unde *videlicet, constet illud decretum de infallibilitate*

tate Ecclesiæ esse Divinum & infallibile? *At neque communia ut vocant fidei motiva (qualia sunt testimonia Doctorum, consensus tot populorum, miracula & alia similia) efficaciter hoc suadere possunt: quia fides quæ illis nititur, quæque* acquisita *dicitur, est conjecturalis, incerta, & fallibilis, fatentibus ipsis Adversariis, ut patebit ex quæstione prima, secundæ partis. Denique istius decreti infallibilitas non creditur propter Verbi DEI authoritatem: hoc est, propter testimonia Scripturæ aut Traditionis, quæ docent (ut illi imaginantur) Ecclesiæ, hoc est, Pontificis & Concilii Testimonium, esse Divinum & infallibile: primò enim hoc posito, Ecclesiæ testimonium erit materiale quoddam, & non formale fidei objectum: nam quod propter aliud, & non propter se creditur, illud est materiale fidei objectum, ut patet ex sectione prima. Secundò, Si propter Verbi DEI authoritatem, creditur Ecclesiæ testimonium, ejusque infallibilitas, oportet ut ipsius Verbi authoritas prius credatur. Nunquam enim certò credemus id verum esse, quod Scriptura de Ecclesiæ infallibilitate dicit, nisi prius credamus Scripturam quæ hoc dicit esse DEI ipsius Verbum. Vide* Bellarm. libro 4. de Verbo, cap. 4. §. Quarto, necesse est, *&c. et* Gretserum, in tract. de agnoscendis Scripturis, cap. 4. colum. 1885. *At hoc Pontificiorum doctrinæ directè repugnat, dicunt enim neminem posse certò scire, Scripturam esse DEI Verbum, nisi prius audiat Ecclesiæ testimonium, de Scripturæ authoritate, illud*

te, illudque ut certum & infallibile amplectatur: ergo, oportet ut firma persuasio de infallibilitate Ecclesiæ præcedat eam fidem qua Verbi DEI authoritas creditur. *Unde* Bellarm. Libro 3. de Ecclesia militante, Cap. 10. §. Ad hæc necesse est, *sic disserit;* Nam cum Scripturæ, Traditiones, et omnia planè dogmata ex testimonio Ecclesiæ pendeant, nisi certissimi simus quæ sit vera Ecclesia, incerta prorsus erunt omnia.

3. *Secundo formale fidei objectum, est id* propter quod omnia credenda creduntur: *at propter testimonium Ecclesiæ præsentis,* Romanæ *videlicet (nam eam solam intelligunt hic Adversarii) non creduntur, imò nec credi possunt, ea omnia quæ credenda sunt. Ergo, Ecclesiæ præsentis testimonium non est formale fidei objectum. Major manifesta est: patet minor; quia Pontificii dicunt hæc omnia esse credenda: Ecclesiam Catholicam esse cœtum hominum, ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Pontificis* Romani: *eam deficere, aut errare non posse: ejus notas esse* Antiquitatem, Durationē perpetuam, Amplitudinem, Successionem Pastorū, *&c. denique has notas soli Ecclesiæ* Romanæ *convenire. At hæc præcognoscenda sunt, & credenda, antequam fidem habeamus testimonio Ecclesiæ* Romanæ: *nisi enim hæc præcognoscantur, nos certò scire non possumus,* Romanæ *Ecclesiæ testimonium, esse veræ Ecclesiæ*

Testim

testimonium, item, ejus testimonium esse certum & infallibile. Ergo, Ecclesiæ Romanæ *testimonium, non est formalis ratio, propter quam hæc creduntur. Ratio manifesta est; quia id quod necessario creditur, antequam fidem habeamus Ecclesiæ* Romanæ *testimonio, illud non creditur propter Ecclesiæ* Romanæ *testimonium.*

Tertio formale fidei objectum, est id propter quod omnes credunt; *hoc est, est id quo nititur fides omnium credentium. At fides omnium credentium non nititur testimonio Ecclesiæ; hoc est, testimonio Pontificis & Episcoporum in Concilio congregatorum. Ergo, horum testimonium non est formale fidei objectum. Prob. assumptum: Fides ipsius Pontificis & Episcoporum qui hoc Testimonium dederunt, proprio ipsorum testimonio non nititur, & proinde omnium fides illo testimonio non nititur. Si dixeris cum* Gregorio de Valentia, tom. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 5. *et cum* Gretsero, in defensione, cap. 10. lib. 3. de Verbo, colum. 1438. *fidem Pontificis & Episcoporum niti proprio ipsorum testimonio, vel ut loquitur* Valentia, veritate à se manifestata; *statim quæram, quo fundamento nitebatur eorum fides de illis articulis, antequam de iis publicè in Concilio suum testimonium exhibuerunt, aut etiam tunc quando illud exhibebant. Singuli Episcopi cum suffragia ferebant, veram esse suam sententiam credebant. At quo fundamento tum nitebatur eorum fides?* Non publi- 4.

co istius

eo istius Concilii testimonio: quia cum suffragia ferebant, Concilii decretum non erat formatum, nec per Pontificis approbationem firmatum: non prioris alicujus Concilii decreto, quia res de qua agitur, fortassis ab Ecclesia prius definita non fuit. Denique non nitebatur Scriptura, aut Traditione divina non scripta, quia tunc sequetur fidem Laicorum, & fidem Episcoporum esse habitus fidei specie diversos, quod est contra Apostlum dicentem, unam esse fidem, EPHES. 4. vers. 5.

5. Hoc autem sic declaratur & probatur: habitus & assensus mentis essentialiter distinguuntur, per diversa principia, & objecta formalia, hoc est, illi habitus & assensus mentis specie differunt, qui nituntur diversis principiis & fundamentis. Ita docet Aristoteles, Libro 1. Poster. Cap. 23. Aquinas, prima secundæ quæst. 54. Artic. 2. ad secundum. Ferrariensis, 2. contra Gentes, Cap. 4. Paulus Venetus, Tract. de syllogismo demonstrativo, Cap. 12. Masius, in Cap. 23 poster. quæst. 1. conclusione quarta. Smiglecius, parte secunda Logicæ, disput. 17. quæst. 2. conclusione 3. Ruvius, in Logica Mexicana, disp. de Habitibus, tractat. 5. quæst. 1. numero 19. & 40. & Conimbricenses, in Cap. 26. 1. Poster. quæst. 1. artic. 2. At fides Laicorum, & fides Pastorum Ecclesiæ, ex Pontificiorum sententia nituntur diversis principiis, & fundamentis: nam fides Laicorum

nititur

nititur testimonio Pastorum ut principio, & fundamento suo principali: Fides verò Pastorum ante formatum Concilii decretum, nequaquam proprio ipsorum testimonio nititur, sed aliquo alio fundamento, Scriptura videlicet, aut Traditione divina non scripta.



Replicatio Turnebulli,

Quam praecedentibus sectionibus opposuit Cap. 7. & 8.

Caput VII.

Supremam Ecclesiæ definitionem esse infallibile DEI Verbum audacter affirmat Turnebullus, sed neutiquam probat.



TIBI altè, mihi non satis profundè sapis, Minister Baro, 1.
quandò prima parte tuæ disputat. sectio 7. Scriptores Catholicos, qui Ecclesiæ testimonium spectantes, non quasi verbum hominum, sed ut est verè, quasi Verbum DEI, dicunt DEUM per Ecclesiam nobis loqui, & ita loquendo esse formale objectum totius

Fidei Catholicæ, vocas *Obscuros, infimæ conditionis homines, quorum sententia*, inquis, *insigniter absurda est, & doctorum, ac bonorum virorum patrocinio planè indigna*. Et quam iterùm pluribus impugnas 2. parte tuæ Disput. quæst. 1. Si tamen sapere potuisses ad sobrietatem, debuisses nobiscum in Ecclesia ut à Spiritu Sancto animata distinguere duplicem auctoritatem, unam increatam DEI dirigentis, alteram creatam Ecclesiæ sic directæ, sed DEI munere pariter infallibilem, quarum sola prior in proprietate sermonis est formale objectum Fidei, posterior est materia quædam credita, & simul regula credendi res cæteras revelatas, ut satis ante jam declaratum est. Si quid præterea superest controversiæ, respondeo, & primò hanc conclusionem contra te, omnesque totius mundi Sectarios pariter defigo.

2. Suprema Ecclesiæ de rebus Fidei definitio est infallibile DEI Verbum, & cum veteri revelatione facta Prophetis, & Apostolis, integrat unum objectum Fide Catholica credendum. Neutram partem hujus assertionis fas est negare, vel vertere in dubium. Et prior quidem ejus pars probatur iisdem tum Scripturis, tum rationibus, quibus ante ostendimus Ecclesiā esse ultimā regulā Fidei. Nec enim esse potest vera regula Fidei, nisi credentibus DEVM per eam, & in ea nobis loqui, nec in ulla re alia tam verum esse illud CHRISTI mittentis Apostolos. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit & eum qui me misit*. Luc. 10. quam in hac de qua disputamus. Quando nempe in supremo Ecclesiæ

desiæ Senatu generalis Vicarius CHRISTI Apostolicam sententiam pronuntiat, vel generalis Concilii definitionem confirmat. Qui enim post hujusmodi confirmationem, vel definitionem non vult audire Ecclesiam, habendus est tanquam Ethnicus, & Publicanus, ut idem CHRISTVS monuit Matth. 18. Altera verò pars, quâ dicimus ex suprema Ecclesiæ definitione, & veteri revelatione facta Prophetis & Apostolis integrari unum objectum Fidei sequitur necessariò ex priore. Nam ubi veritas veteris revelationis nobis proponitur per infallibilem Ecclesiæ declarationem, idem assensus qui præbetur uni, præbetur etiam alteri, nec altera sine altera fundat assensum. Quod non debet sic intelligi, quasi dicamus Ecclesiam in suis definitionibus expectare, vel recipere novas revelationes. Constat enim omnem Fidem, quam vocamus Catholicam, niti fundamento veteri Prophetarum, & Apostolorum, id est, Propheticis, & Apostolicis revelationibus. *Quarum veritas & disciplina*, ut loquitur Concilium Tridentinum, Sess. 4. in Decreto de canonicis Scripturis, *continetur in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius CHRISTI ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* Sed sensus est DEVM cœlesti sua providentia, lumineque gratiæ indeficientis CHRISTI precibus Petro impetratæ ita Ecclesiam regere, ut non patiatur eam in supremo suo Tribunali quidpiam definire, tanquam dogma Fidei, quod non continetur in veteri Prophetarum, & Apostolorum doctrinâ, partim scripta, partim tradita, saltem tanquam in principio,

pio, ex quo per necessariam consequentiam deducitur.

Cæterùm, quando præterea hìc quæritur, utrum
8. vel vetus revelatio, vel nova Ecclesiæ definitio, vel utraque simul sit formale objectum Fidei? Responsio patet ex dictis Cap. 2. Neutra enim sumpta pro temporali signo, quo DEVS nobis loquitur, est in recto, & in proprietate sermonis formale objectũ, sed ratio tantùm applicans, & veluti uniens formali objecto rem principaliter revelatam. In integro enim objecto Fidei distinguenda sunt tria, DEVS revelans, res principaliter revelata, & temporale signum, quo revelantis auctoritas applicatur rei revelatæ, tanquam formalis ratio materiæ credibili. Ex quibus tribus solus DEVS principaliter, & in proprietate sermonis, connotato tamen temporali signo, est formale objectum, ut citato loco probatum est. Temporale verò signum, quia est velut medium vinculum inter materiam credibilem principaliter revelatam, & formalem rationem credendi, sub diversa consideratione spectatur, ut aliquid nunc hujus, nunc illius, quia utramque simul repræsentat mentibus fidelium. Ad materiam tamen credibilem spectat non tantùm ut conditio, vel intentionalis ratio applicans rem principaliter revelatam, sed etiam ut pars quædam integrans totam materiam credibilem. Siquidem inter cæteras propositiones credibiles percensentur, quibus dicimus DEVM hoc vel illud revelasse.

Verùm quicquid sit de nominali controversia utrum temporale signum, quo DEVS nobis loquitur, spectet ad formale objectum Fidei aliter quàm modo explicato; Certè ad realem controversiam

Cathol

Catholicorum cum omnibus Sectariis, de infallibili anctoritate Ecclesiæ in rebus Fidei explicandis est perinde, utrumvis modum loquendi sequamur. Nam utrovis dato unanimiter nos, quotquot sumus Catholici, contra te, omnesque tuæ sectæ socios

Defigimus primò, Supremam Ecclesiæ definitionem de rebus Fidei esse infallibile DEI Verbum. 4
Quia quando eam accipimus à definitoribus, non eam accipimus ut verbum hominum, sed sicut est Verbum DEI. Sic enim de doctrina Ecclesiæ, suæque prædicationis dixit Apostolus, 1. Thessal. 2. nondum scriptâ.

Vnde præterea concludimus secundò, DEVM ita per Ecclesiam sic definientem nobis loqui, ut 4.
Increatam suam auctoritatem applicet, obligetque rebus definitis non minùs quam per Scripturam rebus scriptis. Nam omne DEI Verbum est in se paris auctoritatis, & certitudinis, parique modo DEVM obligat, ne vel mentiatur, vel nos fallat. Vnde Sanctus Gregorius, ut in ejus vita refertur, eundem honorem jussit haberi quatuor Conciliis generalibus, qui habetur quatuor Evangelistis. Quia nempe utrobique spectavit DEVM nobis loquentem.

Postremò concludimus, utrumque DEI Verbum, tum quod vocatur Scriptura, vel Traditio 5.
non scripta; tum quod vocatur Ecclesiæ definitio, pertinere ad formale objectum Fidei modo explicato. Quia utroque increata DEI loquentis auctoritas pariter applicatur reb⁹ credendis. Vtrumq; ergo comparatur ad objectum formale, tanquam instrumentum intentionale ad rationem principaliter specificam.

Cæterùm, quia fortasse dices tuo scopo esse perinde

inde, sive definitio Ecclesiæ dicatur esse formale objectum Fidei, ut non concedimus; sive alterius nominis fundamentum, tanquam aliquid in obliquo spectans ad hoc objectum, sensu à nobis jam concesso; tuaque proinde argumenta pariter procedere contra hanc concessionem, ac si ampliùs concederemus; videamus quibus tu arietibus columnam hanc, & firmamentum veritatis conaris demoliri prima parte tuæ Disput. sect. 7. & iterum 2. p. q. 1. & iterum in utraque quæst. appendicis.

CAPVT VIII.

Adversarius solvere conatur argumenta ab Authore proposita sect. 7.

1. PRIMA tua objectio adversus doctrinam præcedentis capitis est hujusmodi: *Vt Ecclesiæ testimonium sit fundamentum Fidei, requiritur non tantùm ut in se divinum sit, & infallibile, sed etiam ut certò nobis constet illud esse tale. At unde, inquis, hoc connotare potest?* Vbi longa inductione conaris removere omnia principia, ex quibus in ordine ad nos hæc certitudo habeatur. Et exempli loco ponis Canonem primum Sessionis 4. Concilii Tridentini, de quo ita fere disputas; *Canon iste per se non potest nos de divina sua authoritate certos reddere, cùm nō sit efficacior Canone Script*

Scripturæ. At Canō Script. ut volunt Pōtificii, nō sufficit per se ad nos faciēdos certos de divina sua auctoritate, ergo multò minùs novus isteCanō Concilii de sua. Confirmatio Pontificis Pii IV. nobis non satisfaciet: nam eadem de hac confirmatione quæstio redibit: Vnde, &c. Denique istius Canonis infallibilitas non creditur, inquis, propter testimonia Scripturæ, et Traditionis docentis testimoniū Ecclesiæ esse infallibile, quia sic Ecclesiæ testimonium erit materiale quoddam non formale objectum, quando non propter se, sed propter aliud creditur, supponeretque Scripturam & Traditionem aliunde quàm ex testimonio Ecclesiæ creditam, at hoc Pontificiorum doctrinæ repugnat.

Verùm totam vim hujus objectionis, & inductionem, quâ nititur, jam prævenimus, ostensa tum necessitate regulæ vivæ, per modum visibilis Iudicis nobiscum semper viventis, tum distinctione hujus regulæ à formali objecto. Nam ex iisdem principiis respondetur presenti tuæ quæstioni, *Vnde hoc constat?* Cæterùm quando de Canone Concilii Tridentini à te allato, ais: Ille non potest per se nos facere certos de sua auctoritate, particula *per se*, potest intelligi bifariam, vel exclusa comparatione cum auctoritate decernentis, vel supposita hac comparatione, sed exclusa tantùm ulteriori regulâ. Si priori sensu loquaris, abs re loqueris, sensus enim hic nec tibi prodest, nec nobis obstat, nullum enim decretum sive divinum, sive humanum, sine respectu ad decernentem, vel confirmantem, dicitur à nobis esse firmum. Si autem 2.

poster

posteriori sensu loquaris, propositionem enuncias apertè falsam, & jam à nobis satis refutatam. Nam quando comparatur decretum cum Ecclesia, quæ illud per suos Pastores primùm tulit, & etiamnum ratum habet, semperque habebit, comparatur cum regula viva, & omnium regularum ultima, semperque parata pro se respondere dubitantibus de ejus mente.

Vnde non est simile, quod adversus hoc objicis de inanimato Canone Scripturæ, qui nec est ultima regula, nec potest ad omnem de verò ejus sensu controversiam respondere. Nec proinde in ordine ad nos tam est efficax, sicut nec tam universalis, & sufficiens.

3. Iure, fateor, optimo posse similem interrogationem, sed sine spe probabilis responsi opponi vobis, qui adoratis latebras Ecclesiæ invisibilis, nec potestis ostendere mundo legitimam missionem vestrorum Pastorum continuato filo ab Apostolis descendentium. Nobis autem quibus Ecclesia est conspicua civitas, supra montem posita, viva, ultimaque regula totius verbi, quod ab ea proponitur, & qui possumus ordinatam à CHRISTO Pastorum nostrorum seriem sine interruptione retexere ab Vrbano VIII. qui nunc fœliciter CHRISTI vices in terra gerit, usque ad Apostolos, otiosæ sunt illæ quæstiones, unde constat lucem diurnam esse à Sole illustrante nostrum Hemisphærium? Vnde cognoscunt agni vultum & balatum maternum? Vnde oves vocem sui Pastoris? Nam Ecclesia est mulier amicta Sole, ultimaque regula omnium credibilium, cujus proinde dictamen in omni credito tanquam diurnum Solis lumen, id est, ipsius DEI Verbum est omnibus CHRISTI tam agnis, quàm

ovibus

ovibus primùm cognitum.

Quam prærogativam non posse Sacræ Scripturæ attribui, jam ante satis probavimus.

Secunda objectio. *Tam formale objectum, quàm principale fundamentum Fidei est id propter quod omnia creduntur. At propter testimonium Ecclesiæ præsentis, præsertim Romanæ, non creduntur, nec credi possunt omnia. quæ credenda sunt: ergo, &c.* 4.
Majorem supponis claram. Minorem probas. *Quia Pontificii dicunt hæc omnia esse credenda, Ecclesiam Catholicam, esse cœtum hominum ejusdem Fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum: eam deficere, aut errare nõ posse: ejus notas esse Antiquitatem, Durationem perpetuam, Amplitudinem, Successionem Pastorum, &c. denique has notas soli Ecclesiæ Romanæ convenire. At hæc præcognoscenda sunt & credenda antequam Fidem habeamus testimonio Ecclesiæ Romanæ, nisi enim hæc præcognoscantur, nos certò scire non possumus Romanæ Ecclesiæ testimonium, esse veræ Ecclesiæ testimonium. Item ejus testimonium esse certum & infallibile: ergo, Ecclesiæ Romanæ testimonium non est formalis vel fundamentalis ratio, propter quam hæc creduntur. Ratio est manifesta, quia id quod necessariò creditur antequam Fidem habeamus Romanæ Ecclesiæ, non creditur propter ejusdem Ecclesiæ testimonium.*

Hanc tu objectionem iterum repetis in appendice quæst. 2. sed quàm inutiliter mox patebit.

Respond

Reſpondeo igitur teſtimonium Eccleſiæ tan-
5. quam fundamentalem regulam credendi, aliter applicari accedentibus ad Fidem, aliter fidelibus jam habitu, & generatim omnia revelata credentibus. Primò enim accedentibus non eſt opus applicare unum, vel alterum particulare decretum de aliquo dogmate prius inter Chriſtiani nominis Profeſſores controverſo: (talis enim applicatio ſæpè aptior eſſet ad impediendum, quàm promovendum acceſſum venientium primò ad Fidem) ſed ſufficit, quod & magis expedit oſtendere ipſam Eccleſiam tanquam civitatem cœlitus dimiſſam, & univerſam ejus doctrinam, tanquam divinitùs acceptam generatim proponere quoad præcipuos ejus articulos, qui Symbolo Apoſtolorum continentur. Suppoſita enim teli oſtenſione, tum Eccleſiæ cum ſuis notis charactericis, tum doctrinæ ab ea creditæ, non eſt neceſſe Fide divina & Theologica priùs credi veritatem Eccleſiæ, quàm doctrinæ ab Eccleſia propoſitæ; ubi ſimul, & ſemel generalis præbetur aſſenſus utrique propter ejuſdem revelantis authoritatem ſic propoſitam, & generale præcedit in pia voluntate imperium credendi omnia taliter propoſita, tanquam à DEO dicta. Prima enim converſio ad Fidem duobus his actibus integratur, altero voluntatis, generali nempe propoſito credendi, quod credit Eccleſia ſic oſtenſa, altero intellectus generatim judicantis omnia talis doctrinæ capita eſſe tum à DEO dicta, tum in ſe vera.

Dixi ſignanter Fide divina, & Theologica, quia non nego quod poſtea patebit per modum præviæ diſpoſitionis præcedere Fidem inferioris ordinis in humanis, ut plurimùm, & creatis motivis fundatam, quâ priùs ex ſuis notis æſtimatur Eccleſia,

quàm

quàm ejus doctrina universè admittatur. Sed hinc nihil promovetur tua caussa, ut per se patet. Si autem sit sermo de fidelibus jam habitu, & implicitè omnia credentibus, quibus aliquod Ecclesiæ decretum est applicandum, tanquam regula credendi explicitè aliquod particulare dogma, quod priùs implicitè tantùm credebant, & fortasse nondum didicerant esse revelatum, fateor à talibus semper priùs præcognoscendam, credendamque etiam Fide divina veram Ecclesiam cum suis notis, quàm ejusdem Ecclesiæ testimonium esse possit regula noviter aliquid credendi ex eadem Fide. Nec in hac subordinatione ullum est incommodum, sed processus tantùm Theologicus, vel Catechisticus ab uno credito tanquam à principio generali ad Theologicè, vel Catechisticè concludendum aliquid aliud in particulari pariter credendum esse.

Tertia objectio. *Formale objectum, vel principale fundamentum Fidei est, quo nititur Fides omnium credentium. At Fides omnium credentium non nititur testimonio Ecclesiæ, hoc est, testimonio Pontificis, & Episcoporum in concilio congregatorum: ergo, horum testimonium, nec est formale objectum, nec principale fundamentum Fidei. Probatur assumptum. Fides ipsius Pontificis, & Episcoporum, qui hoc testimonium dederunt, proprio ipsorum testimonio non nititur.* Si quis hìc cum à Valentia respondeat, Fidem, quam post Concilium conclusum habent Pontifex, & Episcopi de veritate à se manifestata, niti pro- 6.

prio

prio eorum testimonio. Statim instas & quæris: *Quo fundamento nitebatur eorum Fides de iisdem articulis nondum in Concilio definitis, vel tum quando in Concilio nondum concluso, singuli Episcopi suffragium dabant, & testimonium? Non publico testimonio ipsius Concilii nondum firmati, nec prioris alicujus Concilii decreto, quia res de qua agitur fortaßis ab Ecclesia definita non fuit. Denique non nitebatur Scriptura aut Traditione, quia sic sequeretur Fidem Laicorum, & Fidem Episcoporum esse habitus Fidei specie diversos, contra Paulum,* EPHES. 4. *una Fides. Nam habitus & assensus mentis distinguuntur essentialiter per diversa principia, & objecta formalia. Si ergo Fides Laicorum nititur testimonio Pastorum, horum autem Fides ante formatum Concilii decretum nititur aliquo alio principio diverso, ut Scriptura, & Traditione, alterius rationis erit Fides Laicorum, à Fide Pastorum.*

7. Respondeo, & dico tria: primum, Si cupis in Ecclesiç decreto invenire objectum formale Fidei, debere te illud spectare non ut est verbum hominum, sed sicut est verè Verbum DEI, & in ipso DEI Verbo distinguere temporale signum, quo res à Concilio, vel Pontifice definita applicatur primç, & increatç veritati, ab ipsa prima veritate. Nam ut sçpiùs ante notatum est, nihil creatum, vel temporale est in proprietate sermonis formale objectum Fidei Theologicç, sed increata duntaxat primç veritatis auctoritas, quç

per omnia temporalia signa quantumvis materialiter diversa, quibus homini loquitur, repræsentatur semper eadem in se, non tantùm specie, sed etiam numero, tanquam specifica ratio Fidei Theologicę. Nullatenus ergo sequitur diversam esse Fidem Laicorum, à Fide Pastorum, esto hi ex priori aliqua regula Fidei priùs credant quod in Concilio definitur, quàm verè definiatur, siquidem per novam Ecclesię definitionem applicatur mentibus fidelium eadem numero increata veritas, tanquam ratio objectivè specifica, quę per priorem aliquam regulam applicabatur mentibus Theologorum illud in aliquo principio revelato animadvertentium esse pariter revelatum.

Dico deinde; Si cupis in Ecclesiæ decreto invenire universalem, principalem, ultimamque regulam Fidei, debere te distinguere personam testantis, vel decernentis, quæ semper est eadem CHRISTI Sponsa, Materque credentium, uniformiter de Fide respondens, ab ipso ejus responso, quod varium, & multiplex datur pro varietate dogmatum, quæ in controversiam adducuntur. Ad uniendam autem Fidem eorum, qui præcedunt aliquam novam Ecclesiæ definitionem, cum Fide subsequentium in communi regula credendi, sufficit unitas testantis, & definientis Ecclesiæ, quæ nunquam moritur, & cujus aliquod prius testimonium semper supponitur à Pastoribus ante creditum, quàm hi ex aliquo Fidei principio quidpiam noviter definiant, siquidem nec Scriptura possunt uti tanquam principio, nisi ab Ecclesia priùs didicissent, quæ sit Scriptura canonica, & quis verus ejus sensus. 8.

Dico denique tertiò : Quamvis daremus
9. Physicam aliquam heterogeneiam in assensibus Fidei pro diversitate rerum credibilium, regularumque credendi, quarum illi sunt totidem signa formalia, & vitales imagines, verbaque mentalia, non propterea cogeremur ullam, vel in infuso habitu Fidei, vel in principali ejus motivo agnoscere varietatem specificam. Nam habitus infusi Theologicarum virtutum imitantur potiùs naturam vitalium potentiarum animæ, quàm habituum à nostris actibus trahentium originem. Vnde potest eorum unus confortare obedientialem facultatem animæ ad plures actuum species in eodem increato motivo conspirantes. Sed hujus doctrinæ subtilitas est fortasse tibi, tuisque nimia. Quare à pleniori ejus declaratione abstinebo.



AVTHOR



AUTHORIS DUPLICATIO.

Caput I.

Petulantem & audacem Adversarii assertionem de suprema Ecclesiæ definitione, quod videlicet infallibile DEI Verbum sit, &c. non niti Scripturæ authoritate.



D tuam assertionem de Ecclesiæ definitione confirmandam, duo tantum hoc Cap. profers Scripturæ testimonia; videlicet dictum CHRISTI, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*; et dictum Apostoli, 1. Thess. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut verè est) ut Verbum DEI*, &c. Ex his testimoniis nunquam tuam assertionem sufficienter probabis: nam prius intelligendum est,

est, primariò & principaliter de ipsis Discipulis quos CHRISTVS, Lvc. 10. alloquitur, secundariò verò de omnibus eorum successoribus, hoc est, est Ecclesiæ Pastoribus; non tantum quatenus simul congregati fidei controversias definiunt (sic enim hoc præceptum non obligaret nos ad obedientiam præstandam Pastoribus seorsum existentibus, & Verbum DEI prædicantibus, quod nimis absurdum est) sed etiam quatenus soli & separati munere pastorali tanquam Legati DEI funguntur. Hoc patet ex verbis Anacleti Papæ, Dist. 21. Cap, In novo, ubi ait, *Qui recipit Episcopos & verba eorum, DEVM recipit, qui autem eos spernit, eum à quo missi sunt & cujus legatione funguntur spernit.* Idem etiam docent Pontificii interpretes moderni, videlicet Toletus, Stella, Iansenius, & alii in suis annotationibus, in 10. Cap. LVCÆ.

2. Sicut igitur non obstante hoc dicto CHRISTI, Pastores seorsum existentes in suis Diœcesibus aut Parœciis, non sunt absolutè & in omnibus audiendi & sequendi, sed quatenus præferunt nobis facem Verbi DEI, quæ pura & perfecta lucerna est pedibus, & lux itineri nostro, Psal. 119. 105. Ita etiam non obstante hoc dicto CHRISTI, Pastores & Episcop

Episcopi in unum congregati, & definientes fidei controversias, non sunt simpliciter & in omnibus audiendi & sequendi, sed tum demum cum eorum decreta, & decisiones Verbo DEI non repugnant. Item sicut ex hoc dicto colligi nequit infallibilitas Pastorum seorsum existentium & prædicantium, ita etiam ex eodē colligi nequit infallibilitas Pastorum in concilio congregatorum ad definiendas fidei controversias.

Posterius testimonium quod citas ex cap. 2. prioris Epist. ad Thess. nihil omnino pro vobis facit. Nam primò Apostolus illic non loquitur de obedientia aut reverentia quam Thessalonicenses ipsi præstiterunt tanquam Apostolo & infallibili veritatis præconi, sed de obedientia fidei quam præstiterunt doctrinæ Evangelii ab ipso annunciatæ. Vnde Nicolaus de Gorran interpres Pontificius hoc dictum Apostoli sic explicat: *Hîc ostendit de quo gratias agit, videlicet, de hoc quod Verbum DEI dignè susceperunt*; & infra, *Hîc ostendit quod Verbum DEI credendo susceperunt*. 3.

Secundò quamvis Apostolus hic loqueretur de reverentia sibi exhibita ut Apostolo & infallibili veritatis testi; nihil tamen hoc vestram causam juvaret. Nam primò qui 4.


apud vos fidei controversias definiunt non sunt Apostoli aut Apostolica authoritate præditi; immò ipse Papa non succedit PETRO *vt Apostolo*, ut docent Bellarm. Lib. 4. de Pontifice, Cap. 25. §. *Respondeo magnum esse discrimen*, &c. Stapler. Lib. 6. princip. doctrin. Cap. 7. et Hartus in Colloquio cum Rainoldo, Cap. 6. sect. 4. pag. 432. Secundò, hoc testimonium non probat vestros controversiarum definitores esse infallibiles veritatis testes, sed hoc supposito quod sint tales (sicut olim erant APOSTOLI) probat eorum definitionem aut decretum non accipiendum esse ut verbum hominum, sed ut Verbum DEI ipsius.

3. At (inquis) supra Cap. 3. §. 7. probavi supremum Controversiarum definitorem in terris, id est Papam esse infallibilem veritatis testem, argumento sumpto à judiciaria potestate Apostolorũ. *Quãdo enim CHRISTVS dedit Ecclesiæ ab initio Apostolos dedit pariter cum Apostolatu judiciariam potestatem decidendi futuras omnes lites tam de fide, quam de moribus, eámque non ad breve tempus, sed quamdiu Ecclesia in terris per fidem ambulabit, vsúque talis potestatis indigebit*, EPHES. 4.

Donec

Donec occurramus omnes, *&c. Sicut ergo Apoſtoli ex ſpirituali ſuo principatu ſuper omnem terram fuerunt conſtituti judices controverſiarum de fide, fateri oportet eos in quibus poſt mortem Apoſtolorum remanſit idem principatus, retinuiſſe pariter poteſtatem hanc judiciariam tanquam vivam credendi regulam.* Reſpond. Diſtinguendum eſt inter Apoſtolorum judiciariam poteſtatem, & infallibilitatem judicandi iſti poteſtati annexam, cujus reſpectu Apoſtoli *viva ſeu animata credendi regula* meritò dici poterant. Ipſa poteſtas judicandi de controverſiis fidei, non ad breve tempus, ſed uſque ad conſummationem ſæculi Eccleſiæ data eſt ut tuum argumentum probat. At longè aliter ſentiendum eſt de infallibilitate judicandi Apoſtolis conceſſa, deque eorundem *divina* et *canonica* authoritate in tradendis fidei dogmatis. Ea enim Apoſtolorum ſæculo neceſſaria erat, quia videlicet tunc *fidei canon condendus erat* et *ſuper Apoſtolorum fundamentum* ſuperſtruenda erat Eccleſia CHRISTI, EPHES. 2. 20. At nunc poſt fidei canonem ab Apoſtolis conſignatum et Eccleſiæ traditum, hoc eſt poſtquam Apoſtoli *Evange-*

lium quod primùm praconiaverunt (ut loquitur Irenæus, Libro 3. Cap. 1.) *per DEI voluntatem in Scripturis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*, non necessariò in Ecclesia requiritur viva aliqua seu animata et infallibilis fidei regula : hoc est, non est necessarium ut illi quorum est de fidei Controversiis judicare, eam habeant Sancti Spiritus assistentiam ut in judicando errare non possint. Habent enim infallibilem fidei regulam, videlicet, Prophetarum et Apostolorum scripta, quam si diligenter scrutentur & fideliter sequantur, errare non possunt.



CAPVT II.

Eandem non niti perpetua Ecclesiæ traditione.



1. T neque perpetua Ecclesiæ traditione nititur hæc tua assertio: Non enim in medium adferre potes, vel trium aut quatuor Patrum tecum sententium, clara et manifesta testimonia. Cicas

tas quidem pro te dictum Gregorii Magni asserentis *quatuor prima Concilia generalia esse recipienda sicut quatuor Evangelia*. At primò dico cū Nicolao de Clemangis, in Disput. per scriptum habita super materia Concil. general. si cuncta universalia Concilia sunt ejusdem aut æqualis authoritatis, quare de solis quatuor dicit Gregorius, se illa venerari & suscipere sicut quatuor Evangelia? *Si enim* (inquit) *indiscreta authoritatis universa credidit, quam ob causam sola illa quatuor pro cultu venerationis nominatim expreßit, dubiam de aliis suspicionem in animis hominum relinquens.* Secundò, respondeo cum Gulielmo Occam, parte 3. Dialog. Lib. 3. Cap. 13. *quod hoc intelligendum est de generali Concilio ritè justè & catholicè celebrato, ita tamen, quod hoc vocabulum* Sicut *omnimodam similitudinem nequaquam importet; sicut nec* MATTH. 5. *cum dicit CHRISTVS*, Estote perfecti, sicut Pater vester. *Quamvis enim Generale Concilium aliquid ritè & catholicè definiat, & determinet: & ideo sit sicut Sanctum Evangelium suscipiendum; Sanctum tamen Evan-*

gel

gelium cum majori reverentia & devotione suscipiendum est, quam Concilium Generale quodcunque. Hæc Occamus: cui astipulatur Bellarm. Lib. 2. de Conciliis, Cap. 12. *Ad Gregorium* (inquit) *respondeo illud* Sicut *sonare similitudinem non æqualitatem: ut illud* MATTH. 5. Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.

At DEO adjuvante infra evidenter probabo antiquiores Ecclesiæ Patres, immò multos scriptores Pontificios, istam sententiam quam tu, tam audacter contra me omnesque Catholicos defigis, aut ignorasse, aut damnasse, & rejecisse. Optatus Milevitanus, & Vincentius Lyrinensis, novam hanc & Iesuiticam Theologiam ignorarunt. Augustinus eam damnavit: et post Augustinum multi Theologi & juris canonici Doctores ac Professores; videlicet, Occam, Cameracensis, Panormitanus, Antoninus Florentinus, Nicolaus de Clemangis, & alii.

CAP.

Caput III.

Eam non niti ulla definitione aut decreto Ecclesiæ.



Enique quod ad Ecclesiæ definitionem attinet, Pontificii communiter docent, *nullam partē Verbi DEI posse à nobis ut Verbum DEI acceptari, nisi ab Ecclesiæ Pastoribus approbetur, & per infallibile ipsorum testimonium commendetur:* vide vestrorum Theologorum dicta à me citata Tract. præced. Cap. 1. §. 2. vide etiam Stapletoni, Lib. 9. de princip. doctrin. item tres ejus Libros de authoritate Ecclesiastica contra Whittakerum: nec non Triplicationem inchoatam adversus eundem. Vide denique Gretser. append. 1. ad 1. Lib. de Verbo, col. 386. ubi impiam et blasphemam sententiam Stapletoni asserentis in Triplicatione contra Whittakerum, Cap. 17. non solum Scripturæ authoritatem, sed etiam *ipsam*

ipsam divinitatem DEI & CHRISTI pendere, à judiciaria potestate Pontificis Romanæ, sic defendit; *At si quis* (inquit) *ipsum Stapletonum legat, rectè hoc ab eo asseri comperiet; addit enim Staplet. divinitatem CHRISTI & DEI pendere à testimonio. & judiciaria potestate Pontificis quoad nos, non in se & à parte rei.*

3. Hoc autem fundamento posito sic argumentor: Ecclesia nondum in generali aliquo Concilio statuit, decrevit, aut definivit, suas definitiones & decreta esse infallibilis & divinæ authoritatis. Ergo, non possumus certò & infallibiliter scire, definitiones Ecclesiæ esse tales. Antecedens patet, quia vestri Scriptores hactenus proferre non potuerunt, ejusmodi aliquid decretum aut definitionem, in qua videlicet statuitur, omnes Ecclesiæ definitiones de rebus fidei, esse divinæ & infallibilis authoritatis. Si in hoc tibi videntur peccasse, quæso eorum peccatum corrige, & dic in quo Concilio, aut à quo Pontifice hoc definitum sit? Consequentia etiam manifesta est, nam id quod in se divinum & infallibile est, non potest à nobis ut tale acceptari, seu pro tali haberi (secundum Adversariorum doctrinam) nisi ab Ecclesiæ Pastoribus ut tale approbetur, & per eorum

infallib

infallibile testimonium, hoc est, definitionem aut decretum nobis commendetur. Similiter sic argumentor: Infallibilis Ecclesiæ propositio, id est, Papæ vel per se, vel unà cum Concilio fidei controversias definientis est conditio requisita ad credendum sine qua ordinariè assensus fidei non elicitur, ut docet Valentianus, Tom. 3. Disputat. 1. Quæst. 1. puncto 1. Sect. 6. Col. 19. At hæc doctrina de divina et infallibili authoritate decretorum Ecclesiasticorum nondum sic ab Ecclesia proposita est: ergo, non potest, quoad nos esse certa certitudine fidei divinæ. Item, quamdiu doctrina aliqua ab Ecclesia non est definita, tamdiu sine periculo hæreseos possunt Christiani de ea dubitare, immò eam negare, ut patet ex Bellarm. Lib. 4. de Pontifice, Cap. 14. §. *Respondeo imprimis*. Svarez. Tract. de Fide, Disp. 19. Sect. 2. §. 13. et aliis multis. At hæc doctrina quam tu tam audacter hic contra me omnesque Catholicos defigis, non sic ab Ecclesia est definita: ergo, sine periculo hæreseos eam negare possumus.

Cap.

Caput IV.

Confutantur responsiones aliquot, aut potius effugia, quibus Adversarius uti poterit ad eludendum argumentum superiori Cap. propositum.

1. D ea quæ superiori Cap. dicta sunt, respondebis fortassis primò, quamvis nulla exstet Ecclesiæ definitio, de divina et infallibili authoritate suorum decretorum aut canonum, tamen consensum omnium Christianorum, qui decreta Ecclesiæ Catholicæ, id est, Romanæ, pro DEI ipsius Verbo habent nobis in hoc negotio satisfacere debere. Sed hæc responsio nulli viro prudenti aut docto satisfacere potest. Primò, Enim Christiani innumeri, ut Græci, Armeni, Abassini, &c. item Protestantes hic in Occidente, negant decreta Romanæ Ecclesiæ esse infallibile DEI Verbum. Secundò, Quo fundamento nititur iste consensus Pontificiorum acceptantium decreta Eccles. Romanæ tanquam infallibile

DEI

DEI Verbum? Non enim nititur Scriptura aut Traditione, immò quod caput rei est, non nititur ullo decreto aut definitione Ecclesiæ. Tertiò, Vnde constabit de consensu omnium qui in Ecclesiis Romano Pontifici subjectis vivunt? Vnde sciam, non esse aliquos etiamnum in Romana Ecclesia, qui cum Occamo, Cameracensi, Panormitano, Antonino Florentino, Cusano, et aliis, putant decreta Pontificum et Conciliorum non esse infallibilia.

Denique consensus ille fidelium nihil aliud est quam *acceptatio Ecclesiæ*, qua definitiones Pastorum Ecclesiæ ut divinas et infallibiles acceptat. At *acceptationem* fidelium, quibus authoritas definitionum Ecclesiasticarum promulgatur et commendatur, necessariò præcedit *approbatio Pastorum*: nam id quod in se divinum et infallibile est, non potest à multitudine credentium ut tale acceptari, *nisi ex Ecclesiæ approbantis judicio & authoritate tanquam medio externo, ordinario, & necessario*, ut loquitur Stapl. in defens. authorit. Eccl. Libro 3. Cap. 15. Sect. 15. Vnde idem author docet, Pontificios cum asserunt Scripturæ authoritatē quoad nos pendere ab Ecclesiæ testimonio nomine Ecclesiæ intelligere, *non totam fidelium* 2.

delium multitudinem, sed solos Ecclesiarū Pastores ac præpositos, in Defens. author. Eccles. Lib. 1. Cap. 1. §. 10. Et in Triplicatione adversus Whittakerum, Cap. 10. Hoc etiam tu fateris, cum Cap. 3. tui libri, §. 6. dicis Ecclesiam esse *regulam prudenti nenecessariam, vt cautè non temerè, vt religiosè non superstitiosè velit poßitque quis credere*: et infra, §. 7. aperte ostendis te per Ecclesiam intelligere eos, quibus CHRISTVS dedit *judiciariam potestatem decidendi futuras omnes lites, tam de fide, quam de moribus*. Ex his patet ad prudenter credendam authoritatem definitionis Ecclesiasticæ necessariò, secundùm vestrā Theologiam, requiri testimonium, decretum, aut definitionem Pastorum Ecclesiæ; imprimis autem ipsius Papæ ex Cathedra definientis (nam tunc demum est infallibilis) et statuentis omnia Ecclesiæ decreta legittimè facta esse quoad authoritatem et certitudinem paria Sacris Scripturis.

Dices secundò, Quamvis ad Ecclesiam
3. pertineat omnia alia fidei dogmata definire, et sua authoritate confirmare, non tamen necesse est immò non expedit, ut de authoritate sua in definiendis fidei controversiis decretum aliquod faciat, aut promulget, idque quia

quia Ecclesiæ authoritas in definiendis fidei controversiis, tanquam primum fidei Christianæ principium ab omnibus accipitur, qui Christianorum nomen uspiam profitentur. Respondeo primò, Sic Scripturæ authoritas *vt axioma seu primum principium fidei ab omnibus Christianis accipitur*: Suarez, Disput. 5. de Fide, sect. 3. §. 1. Attamen hoc non obstante vos Scripturam pro plena et perfecta fidei regula habere non vultis, nisi illius authoritas ex ea ipsa sufficienter probetur. Secundò, Si Ecclesia est regula ad prudenter credendum, simpliciter necessaria; nihil omnino, et proinde nec ipsius authoritas absque ejus infallibili testimonio credi potest. Tertiò, Staplet. lib. 8. princip. doctrin. cap. 21. et in relect. controvers. 4. quæst. 3. art. 2. fusè probat non esse absurdum ut Ecclesia sibi testimonium perhibeat. *Nam* (inquit) *& necessarium hoc nobis erat* (*vt ex se patet*) *nec erat ipsi Ecclesiæ inconveniens vt multis exemplis ostenditur*. 4. Denique dogma de Ecclesiæ authoritate non est primum fidei principium ut infra patebit.

Dices tertiò, Patres in Concilio congregatos satis apertè declarare sua decreta esse infallibilia, cum eos omnes anathematizant, 4.

qui non assentiuntur iis quæ in Concilio definita sunt. Resp. primò, Si firmum & validum esset hoc argumentum, sequeretur Conciliorum decreta esse certa et infallibilia ante confirmationem Papæ: nam etiam ante confirmationem Papæ dicunt anathema contradicentib⁹. Secundò, dico, Patres in Concilio, cum anathematizant cõtradicentes, non respicere suorum decretorum authoritatem, sed potius eorum actualẽ veritatem, et consonantiam cum Scripturis, et Patrum scriptis.

5. Hic obiter, Turnebulle, ex te quæro undenam sit quod *Ecclesia Romano-Catholica*, ad quam (secundùm vos) pertinet fidei canonem consignare, et omnes fidei regulas quæ verè divinæ et infallibiles sunt, populo Christiano commendare; undenam inquam sit, quod in hac re officio suo non satisfecerit? Nam primò, Decreta *Ecclesiæ* sunt (ex te) divina et infallibilis fidei regula. At nihil à Romana *Ecclesia* de eorum authoritate definitum est. Patres Tridentini decretum pronunciarunt, de divina authoritate traditionum non scriptarum, easque Sacris Scripturis exæquarunt: cur igitur simile decretum, de divina et infallibili authoritate Papæ et Conciliorum non pronunciarunt? Cur non statuerunt et decreverunt, ut Scripturæ, Traditiones,

ditiones, et Ecclesiæ definitiones *pari pietatis affectu suscipiantur?* Secundò, Numerus librorum canonicorum à Concilio Tridentino definitus est: cur igitur similiter, non definiverunt numerum earum Traditionum non scriptarum, quæ revera divinæ et infallibiles sunt. Respondebis fortassis sicut Stapletonus, lib. 1. de defensione authorit. Eccles. Cap. 2. sect. 5. ad similem quæstionem respondit, Ecclesiam nondum determinasse hanc quæstionem, de numero Traditionum non scriptarum, vel *quia omnes Traditiones divinas nō expendit, vel quia occasio id faciendi data non fuit, vel quia aliis intenta doctrinis, aut afflictata molestiis de ea re serio cogitare non potuit.* At hæ quidem nullæ omnino causæ sunt, ut rectè observavit Whittakerus, in sua Duplicatione ad istum locum Stapletoni. *Nam Ecclesia* (inquit) *debet DEI Verbum expendere, aut à peccato excusari non potest: neque sufficiet dixisse aliis se rebus intentam fuisse, aut molestiis exercitam aut vexatam, vt ea de re non licuerit seriò cogitare.* Et infra: *Nihil* (inquit) *horum dici potest, nam occasionibus & otio abundavit,*

davit, & vel expendit satis, vel potuit expendere, ut prætermissi officii ratio nulla nisi insignis negligentia afferri possit.

CAPVT V.

Pontificiorum fidem, qua credunt supremæ definitionis Ecclesiasticæ infallibilitatem, varia & multiplici incertitudine laborare.



I. QVI legunt CAP. secundum tui libelli, in quo non semel, contra me omnésque orthodoxos, intrepide defigis *supremam Ecclesiæ definitionem esse infallibile DEI Verbum, & cum veteri revelatione Prophetis & Apostolis facta, integrare unum objectum fide Catholica credendum*, putarent illud dogma de divina & infallibili authoritate definitionis Ecclesiasticæ, esse apud vos ita certum, exploratum, & omni ex parte definitum,

tum, ut nulla prudenti ſuper ſit ratio dubitandi, aut de veritate, aut de ſenſu hujus propoſitionis Ieſuiticæ: *Suprema Eccleſiæ definitio eſt infallibile DEI Verbum.* At certè is in veſtrorum Theologorum ſcriptis parum verſatus eſt, qui non advertit veſtram fidem, qua hanc propoſitionem creditis, varia & multiplici incertitudine laborare.

Primò enim multi Pontificii olim de veritate hujus propoſitionis dubitarunt, immo multi eam apertè damnarunt, & rejecerunt, ut poſtea patebit; nec ulla hactenus facta eſt definitio ab Eccleſia de ejus veritate: ergo, plenam fidei certitudinem de ea habere non poteſtis. Staplet. in relect. controverſ. 3. quæſt. 4. concluſ. 3. dicit eam ſententiam quæ aſſerit Papam poſſe judicialiter errare, non videri eſſe *hæreticam*, propter multos Catholicos qui eam ſuſtinuerunt: ergo, neque ſententia Proteſtantium dicentium Eccleſiæ definitionem eſſe errori obnoxiam, proprie eſt *hæretica*: quia ſcilicet multi Catholici, eam olim ſuſtinuerunt. 2.

Secundò dicis ſupremam Eccleſiæ definitionem *de rebus fidei* eſſe infallibile DEI Verbum. At cur non aſſeris ſupremam Eccleſiæ definitionem, *tam de fide, quàm de* 3.

moribus, esse infallibile DEI Verbum, sicut asserit Suarez, disp. 5. de Fide, sect. 7. & 8? Fortassis hoc fecisti, quia sciveras multos eosque non obscuros Theologos in ea esse sententia, quod Ecclesia in definitionibus seu decretis circa morum doctrinam errare possit: atque adeo quod possit judicialiter præcipere vitia & prohibere virtutes. Ex hujusmodi autem pravis et impiis definitionibus circa morum doctrinam necessariò sequitur error in fide. Nam ut docet Bellarm. Lib. 4. de Pontifice, Cap. 5. *Si Papa erraret præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona, & virtutes esse malas, & proinde teneretur errare.* Hoc posito sic argumentor: Qui dicunt Ecclesiam posse errare in præceptis morum, illi id dicunt, unde necessario sequitur Ecclesiam errare posse in fide. At multi Pontificii dicunt Ecclesiam posse errare in præceptis morum: ergo, multi Pontificii id dicunt, unde necessariò sequitur Ecclesiam posse errare in fide. Major patet ex Bellarm. loco jam citato.

4. Minor probatur, primò, ex Melchiore Cano, Lib. 5. Cap. 5. Quæst. 5. pag. 275. *His* (inquit) *argumentis quidam authoritatem Ecclesiasticam infirmare pergunt*

tantum

tantum in judicio morum, nam in fidei decretis firmam esse nobiscum etiam consentiunt. Secundò, ex Nicolao de Clemangis, nam is in disput. cum Scholastico Parisiensi super materia Concil. gener. apertè asserit Ecclesiam posse errare in præceptis morum: *Ecclesia* (inquit) *militans, sæpè (vt nosti) & fallit & fallitur: non dico in his quæ fidei sunt, sed in aliis quæ vel facti sunt, vel morum, vel judiciorum. Si igitur aut moralia sunt, aut judicialia illa Concilii acta, cum in talibus falli posit Ecclesia non absurdum videtur,* &c. Tertiò, Omnes Pontificii fatentur (nam res ita manifesta est ut negare non possint) Stephanum VI. & Sergium III. Pontifices Romanos rem admodum impiam ac illicitam in Concilio Episcoporum definivisse, & præcepisse, videlicet *vt iterum ordinarentur qui à Formoso Papa ordinati fuerant.* Est enim res illicita eos iterum òrdinare qui à quolibet Episcopo semel ordinati sunt.

Similiter possumus sine periculo hæreseos, ipsis Adversariis fatentibus, dicere Ecclesiam, aut Papam qui Ecclesiæ præest, posse 5.
errare in Sanctorum canonizatione, jubendo ut hunc vel illum colamus tanquam sanctum

& beatum, qui revera non est talis. Ergo, fatentibus Adversariis possumus sine periculo hæreseos dicere Ecclesiam posse errare in præceptis morum. Nam si in canonizatione Sanctorũ erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur, ut docet Canus, Lib. 5. Cap. 5. Quæst. 5. Pag. 281. Patet antecedens: primò, ex Valent. Tom. 3. Disput. 1. Quæst. 1. punct. 7. §. 41. & Cano loco citato, qui dicunt, eos non esse hæreticos, qui Ecclesiæ in canonizatione Sanctorum fidem detrahunt. Secundò, ex Thoma, Quodlibeto 9. art. ultimo, & Antonino parte 3. titulo 12. Cap. 8. §. 2. qui non aiunt *certò* & *firmiter*, sed *piè* credendum esse Ecclesiam in Sanctorum canonizatione non errare. Tertiò, Cajetanus opusculo, de Indulgentiis, Cap. 8. sententiam eam quæ asserit Ecclesiam aut Pontificem posse errare in Sanctorum canonizatione, non solum putavit non esse hæreticam, sed etiam ut veritati consonam amplexus est.

6. Tertiò, non certò constat, quænam sit suprema Ecclesiæ definitio; utrum videlicet sit definitio Concilii Generalis, an verò sit sententia Papæ judicialiter & ex Cathedra controversias fidei definientis. Vestri quidem nunc communiter docent supremam

Ecclesiæ definitionem esse Papæ judicialem & definitivam sententiam, eamque solam per se esse infallibilem: attamen primò, fatentur hanc suam sententiam non esse *de fide*. Secundò, dicunt eos qui oppositam tuentur sententiam non esse *hæreticos*. Tertiò, expressè testantur quæstionem de hac re usque ad hunc diem superesse etiam inter Catholicos. Vide Staplet. in relect. controvers. 3. quæst. 4. conclus. 3. Bellarm. lib. 2. de Conciliis, Cap. 13. §. *Deinde cum*, & cap. 17. §. *Ad hunc locum*: et Withringtonũ, in discussione discussionis decreti, magni Cõcilii Lateranensis, parte 2. sect. 4. §. 12. & parte 3. sect. 2. §. 5. Novi equidem Suarezium, disput. 5. de fide, sect. 8. §. 4. asserere omnes Catholicos nunc amplecti sententiam Papæ etiam per se & sine Concilio generali controversias fidei definientis, ut divinam & infallibilem. At hoc esse apertè falsum, patet ex Withringtono, loco proximè citato, videlicet, parte 3. sect. 2. §. 5. *Ex quo* (inquit) *necessariò consequitur, opinionem Parisiensium*, (qui non Papæ, sed Concilii sententiam pro suprema Ecclesiæ definitione habent) *non solum tolerari & permitti, id est, non puniri, verum etiam ut probabi-*

lem

lem, & quæ absque vllo hæreseos, erroris, temeritatis, alteriúsve peccati lethalis periculo defendi possit, ab Ecclesia approbari. Item, *Hæc sententia* (videlicet de superioritate Concilii supra Papam) *apud plurimos verissima, & fidei Catholicæ proxima censetur.*

7. Quartò, quamvis in genere constaret Papæ ex Cathedra docentis sententiam esse supremam Ecclesiæ definitionem, non tamen constat in particulari sentẽtias MARTINI V. aut EVGENII IV. aut LEONIS X. aut PII IV. Pontificum Romanorum, qui duobus superioribus sæculis Conciliorum decreta confirmarunt, nõ (inquam) cõstat eorum sententias aut definitiones, esse sententias summorum Pontificum, hoc est, esse pronunciatas ab iis, qui erant veri Pontifices, & PETRI Successores. Vnde necessariò sequitur nos plenam & firmam fidei certitudinem de authoritate Constantiensis, Basileensis, Lateranensis, & Tridentini Conciliorum non habere. Quis enim mortalium omnium certus est aut esse potest MARTINVM V. EVGEN. IV. LEONEM X. & PIVM IV. verè Episcopos, immò vel Sacerdotes, vel baptizatos fuisse, vel ullum unquam Sacramentum aut recepisse, aut aliis ministrasse? Sacramenta

menta apud vos *pendent ab intentione ministri*, hoc eſt, nullum Sacramentum verè conficitur, niſi Miniſter cum Sacramentum adminiſtrat, intendat id facere, quod facit Eccleſia. At de intentione Miniſtri conjectare & benè opinari poſſumus, ſed firmam & plenam certitudinem fidei habere non poſſumus. Vnde Bellarminvs, Lib. 3. de Iuſtificatione, Cap. 8. §. Dicent: *Non poteſt* (inquit) *quis eſſe certus certitudine fidei ſe percipere verũ Sacramẽtũ: cũ Sacramẽtũ ſine intẽtione Miniſtri nõ cõficiatur, & intentionẽ alterius nemo videre poßit.* Cum igitur nemo certò ſcire poſſit Martinvm V. Evgen. IV. &c. fuiſſe Chriſtianos ſeu Baptizatos, item fuiſſe Sacerdotes aut Epiſcopos, neceſſariò ſequitur neminem certò ſcire poſſe, eos fuiſſe ſummos Pontifices, ſeu veros Petri Succeſſores. Nam qui non eſt Sacerdos aut Epiſcopus, & multò magis qui non eſt Baptizatus, is ſummus Eccleſiæ Chriſtianæ Pontifex eſſe nequit.

Quintò: Veſtri Theologi in explicanda judiciaria authoritate Papæ & Conciliorum ea docent, quæ infallibilitatem & Conciliorum & Papæ ipſius funditus evertunt, ut patebit ex Cap. ſequentibus. 8.

Caput VI.

Ostenditur Iesuitarum doctrinam de Conciliorum infallibilitate esse lubricam, ambiguam, incertam, immo apertè ridiculam & absurdam: & ut hoc manifestum fiat, aliquot assertiones Iesuiticæ de Conciliorum infallibilitate examinantur.



1. Patet hoc primò, quia strenuè admodum pugnare videntur pro Cõciliorum generalium infallibilitate, dicentes *Spiritum Sanctum aßistere Episcopis in Concilio congregatis, eosq́ omnem veritatem docere*; & nobis objicientes illa Scripturæ testimonia quæ pro Conciliorum infallibilitate facere videntur, *Vbi sunt duo aut tres in Nomine meo congregati, illic sum in medio eorum*. Matth. 18. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Ioan. 16. *Visum est nobis & Spiritui Sancto*. Act. 15. Attam

15. Attamen revera nihil omnino Concilio generali tribuunt, sed hæc et similia Scripturæ testimonia, non ad Conciliorum, sed ad Papæ authoritatem stabiliendam afferunt. Non dicunt enim Concilium generale, ne à Papa quidem convocatum, & ipsius Legatis præsentibus celebratum non posse errare, sed *errorem Concilii generalis, non posse à Papa confirmari.* Hoc autem ex eorum sententia æquè affirmari potest de Concilio Diœcesano, ut patet ex Bellarm. Lib. 2. de Concil. Cap. 5. aut judicio unius alicujus Doctoris. Nam error privati Doctoris, aut Concilii Diocœsani non potest à Papa ex Cathedra definiente confirmari.

Secundò, ridicula admodum est hæc ipsorum assertio: *Concilia generalia à Papa confirmata errare non possunt.* Bellarm. Lib. 2. de Concil. Cap. 2. Istius enim assertionis hic est sensus: Concilia generalia postquam omnia sua decreta ediderunt (tunc demum enim à Papa confirmantur Concilii decreta) atque adeo postquam Concilia esse desierunt, non possunt in edendis decretis errare. Ab hac assertione Bellarmini non multum abludit Valentiani positio de modo quo providentia DEI adest Patribus in Concilio congregatis: *Dicam* (inquit) *equidem* 2.

catenus

eatenus Concilii Patribus CHRISTVM sua providētia adesse, vt eorũ doctrina atq; definitio per Pontificē confirmetur si vera fuerit, sin autē falsa per eundē corrigatur, Tomo 3. Disp. 1. Quæst. 1. punct. 7. §. 45. Colum. 274. Quasi diceret: CHRISTVS sua providentia adest Patribus Concilii non quidem cum decernunt aut definiunt, sed postquam decreta sua ediderunt, & Papæ obtulerunt: item CHRISTVS non aliter adest Conciliis generalibus quam privatis Doctoribus, imò ipsis hæresiarchis: nam Doctoribus quibuscunque, imò ipsis hæresiarchis ita adest (ex Pontificiorum sententia) ut eorũ doctrina à Pōtifice cōfirmetur si vera sit, sin autem falsa per eundem corrigatur.

3. Tertiò, non minus ridicula & absurda est hæc assertio: *Concilia generalia errare non possunt, quando Patres in definiendo Papæ instructionem sequuntur.* Bellarm. Lib. 2. de Conciliis, Cap. 11. Suarez, Tract. de Fide, Disp. 5. Sect. 7. §. 10. Valentia, tomo 3. Disput. 1. Quæst. 1. punct. 7. §. 45. colum. 273. Dico hanc assertionem esse ridiculam, quia isto modo quodlibet Concilium Provinciale, quilibet Doctor aut Pastor, imò quilibet sutor aut sartor infallibilis erit: nimirum si sequatur Papæ instructionem seu judicialem

dicialem decisionẽ, quæ ut illi docent infallibilis est. Dico etiam eam esse absurdā et apertè falsam, quia ex ea apertè sequitur Patres in Concilio, non esse *judices*, sed *Papæ consiliarios* tantum. Quomodo enim possunt illi judices haberi, qui in definiendo non propriam, sed alienam, id est, Papæ sententiam sequi tenentur. Absurdum autem est Patres in Concilio non esse judices, sed Consiliarios tantum ut ipsi fatentur, videlicet, Bellarm. Lib. 1. de Concil. Cap. 18. Canus Lib. 5. de locis Theologicis, Cap. 5. quæst. 2. Valentia, Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 45. Col. 274. et alii.

Respondebit aliquis Episcopi in Concilio possunt quidem sequi definitionem aut instructionem Papæ: at non tenentur hoc facere nec peccant si Papæ judicio se opponant. Hoc disertè asserit Bellarm. Lib. 2. de Concil. Cap. 11. §. Quartò potest. *Nam* (inquit) *non tenentur Episcopi in Concilio sequi illam Papæ instructionem, alioqui non essent judices, nec essent libera suffragia*. At hæc responsio evertit ipsorum doctrinam de judiciaria infallibilitate Papæ: si enim sententia Papæ cum totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, ut loquitur Bellarm. Lib. 4. de Pontif. 4.

Cap. 3. in initio, si inquam ea infallibilis est, si pro ipsius Sancti Spiritus voce habenda est, si denique ipsius Vicarii CHRISTI definitio aut determinatio est, proculdubio eam rejicere aut non amplecti insignis audaciæ imò insolentissimæ insaniæ est. Præterea, illa Papæ instructio aut definitio vel fallibilis, vel infallibilis est; Si fallibilis est, Episcopi in Concilio errare possunt, quamvis eam sequantur, & sic falsa erit Adversariorum assertio in propositione proposita. Si infallibilis est, cur non tenentur Episcopi eam sequi, præsertim cum eorum sententia ex se, & ante Papæ confirmationem infallibilis non sit? quis enim negaverit, hoc æquum esse & rectæ rationi consentaneum, *ut illi qui in definiendo gravissimè errare possunt, ejus judicio se subjiciant qui ab omni errore immunis est.*

5. Meritò igitur hîc miramur, quod Iohannes de Turrecremata qui infallibilitatē de rebus fidei non in Ecclesia sive Concilio Generali, sed in Papa constituit, tam ingenuè fateatur Lib. 2. Summæ Cap. 64. *potius standum esse judicio totius Concilii, quam judicio Rom. Pontificis, quando contingit Patres in materia fidei à Papa vel ejus Legato dissentire:* Huic astipulatur Andradius

dius, in Defens. Fidei Tridentinæ, lib. 1. pag. 86. At si Papæ judicium de rebus fidei sit longè certiùs eorum judicio, quia videlicet infallibile est, præferre eorum judicium judicio Papæ non error, sed furor est.

Caput VII.

Duæ aliæ Pontificiorum assertiones de Conciliorum infallibilitate examinantur & confutantur.

1



Quarto, ridiculè etiam dicunt Ecclesiam in singulis mediis quibus utitur ad dubii dogmatis determinationem, non habere infallibilem & peculiarem Sancti Spiritus assistentiam; at nihilominùs in conclusione fidei semper esse certissimam & infallibilem. Item doctrinam Ecclesiæ esse in mediis *discursivam*, in ipsa autem conclusione esse *Propheticam* & *Divinam*: ita Staplet. relect. controv. 4. quæst. 2. in explicatione articuli, notabili 2. 3. & 4. Cui etiam astipulatur Valentia, Tomo 3. Disp. 1. 1.

punct. 1. §. 5. in explicatione secundæ difficultatis.

Stapletonum hîc pugnantia dicere asserit
2. & probat Rivetus noster in Isagoge ad Sacram Scripturam, Cap. 20. §. 8. Argumentari (inquit) & uti discursu ad conclusionem eliciendam, & tamen non elicere conclusionem per argumentationem, sed eam aliundè expectare, est velle argumentari, & nolle argumentari. Et planè inutilis est, & nugatorius discursus, ex quo nulla expectatur conclusio, nec umquam fando auditum est media posse esse discursiva, & conclusionem quæ ex dispositione medii sequitur, à discursu non pendere. Si propositio aliqua immediatè inspiretur sine discursu quæ sit Prophetica & Divina, certè non erit conclusio, sed axioma, aut oraculum. Pugnat igitur ut diximus, immò est repugnantia in adjecto, dicere doctrinam quæ per conclusionem ex mediis sequitur non esse discursivam.

3. Idem etiam ibidem, §. 9. Bellarminum et decretum Vniversitatis Parisiensis Stapleto opponit. Bellarm. (inquit) de Concil. Lib. 2. Cap. 12. etsi multum tribuat conclusionibus Conciliorum à Papa approbatis; concedit tamen, in Conciliis ex Verbo DEI

per

per ratiocinationẽ deduci cõclusiones, i. non esse Propheticas; item decreta Cõciliorum & Pontificum de fide pertinere ad fidem, *non quoad verba, sed quoad sensum solummodo:* nec esse hæreticum dicere, in Canonibus Conciliorum, aliquod verbum esse supervacuum, aut non rectè positum: cum contra in Propheticis & Apostolicis scriptis, non solum sententiæ, sed etiam verba omnia & singula ad fidem pertineant. Ita non convenit inter fratres istas Cadmeos. Ille vult conclusiones omnes & Canones Conciliorum sine exceptione verborum, continere doctrinam Propheticam & Divinam. Hic verò fatetur divinas & Propheticas literas, à Canonibus Conciliorum, & Pontificum Decretis multum discrepare. Hic vult sensum Canonum illorum aut Decretorum per discursum ex mediis ita colligi, ut conclusio ex præmissis sequatur. Ille contra, doctrinam illam non esse discursivam, & mediorum in conclusione rationem non haberi, & eam esse causam, cur in Decretis Conciliorum argumentorum mentio non fiat: hæc cum antea scripsissemus, postea, cum huc usque progressus esset Typographus, allatum est nobis

Lutetia Parisiorum Decretum Vniversitatis, emissum tertio Decembris 1626. quo improbatur, & publicè damnatur tanquam à veritate aliena THESIS ad disputandum proposita per Ioannem Testefort Dominicanum, his verbis concepta; *Dices meritò Sacram Scripturam esse eam quæ continetur partim in Bibliis Sacris, partim in Epistolis decretalibus Pontificum Maximorum, quatenus explicant Scripturam Sanctam.* Quæ thesis ad Stapleт. sententiam accedit, & à Bellarmino discedit. Viderunt tamen Vniversitatis Rector, Decani, &c. tali conclusione, Sacræ Scripturæ adæquari Bullam BONIFACII VIII. in qua fœdè abutitur quibusdam Scripturæ locis, ut se evehat supra id omne quod dicitur DEVS, & similes aliorum Pontificum decretales addi Scripturarum canoni; quam blasphemiam etsi ferre non potuerint, suos tamen habuit fautores, inter Ecclesiasticos, quorum arte factum est, ut os occluderetur renitentibus. Hactenus Rivetus.

4. Præterea hujus doctrinæ absurditas patet ex iis quæ à Suarezio dicuntur de distinctione Prophetiæ à fide, Disput. 8. de Fide, Sect. 5. §. 4. *Quare* (inquit) *non quilibet actus fidei ad Prophetiam spectat, sed actus*

actus Prophetiæ addit peculiarem modum, videlicet vt fundetur in revelatione immediatè facta ipsi Prophetæ per DEVM vel Angelum. At DEVS non immediatè revelat dogmata fidei Episcopis in Concilio, aut Pontifici ex Cathedra definienti; sed per Spiritus sui assistentiam, efficit ut ex iis quæ in Sacris Scripturis revelata sunt, conclusiones fidei ad determinandas controversias deducant & colligant. Ergo, eorum determinatio seu definitio non est Prophetica. Patet assumptum ex communi Adversariorum confessione. Nam Concilia & Pontificem non habere aut scribere immediatas revelationes, docent Bellarm. Lib. 4. de Verbo, Cap. 9. §. 1. et Lib. 2. de Concil. Cap. 12. §. *Dicuntur igitur:* Canus, Lib. 2. de Locis, Cap. 7. §. *Qua in re*, pag. 39. Alphonsus à Castro, Lib. 1. adversus Hæreses, Cap. 8. Waldensis, Lib. 2. doctrin. fidei, Cap. 22. & 23. Valentia, Tomo 3. Disp. 1. Quæst. 1. punct. 6. Becanus, Tract. de Fide, Cap. 2. Quæst. 5. §. 4. Qui plura de absurdissimo hoc Stapletoni errore videre cupit, consulat Authorem eruditissimæ & accuratæ istius responsionis ad Fischeri Iesuitæ relationem de tertio suo Colloquio.

Quintò, dicunt authoritatem Sacrarum 5.

Scripturarum, & decretorum Ecclesiasticorum esse ejusdem naturæ & non differre *essentialiter*: nam sicut istarū ita etiam horum authoritatem dicunt *esse divinam per assistentiam, divinam per participationem, & humanam divinitus inspiratam*. Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Respons. ad argum. 15. Grets. in Tract. de agnoscendis Scripturis, Cap. 7. Col. 1908. Valent. Tomo 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. et 3. Attamen primò, *simpliciter & sine ulla adjectione*, dicunt Scripturæ testimonium *esse divinum*, item *esse DEI Verbum*: Ecclesiæ verò testimonium, dicunt esse *aliquo tantum modo DEI Verbum*. Bellarm. loco jam citato. Item esse *suo modo divinum*. Staplet. controv. 4. quæst. 3. artic. 1. Secundò, dicunt *Verbum DEI ministratum per Prophetas & Apostolos esse fundamentum primarium fidei, testimonium verò Ecclesiæ esse tantum fundamentum secundarium*. Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Resp. ad argum. 13. Tertiò, quamvis putent *Ecclesiæ* definitionem esse humanam divinitus inspiratam, & ad quoddam genus Prophetiæ pertinere quatenus controversiarum definitor, DEI afflatu

veritat

veritatem infallibiliter testatur; nihilominùs ingenuè fatentur, Ecclesiæ definitiones non esse Scripturis authoritate pares, & Libros qui Decretales Pontificum Epistolas & Conciliorum decreta continent, non esse Sacris & Canonicis Scripturis, annumerandos.

Certè hæc non benè cohærent, sed apertè sibi invicem repugnant. Si enim Ecclesiæ decreta sunt infallibilia, sique ad genus quoddam Prophetiæ pertinent (quo nihil præclariús de ipsis Scripturis dici potest) non video cur dicendum sit, Ecclesiæ testimonium tantum esse *suo modo divinũ, aut esse aliquo modo Verbum DEI*, cum nemo de Sacris Scripturis ita loqui soleat: non item video, cur negandum sit Conciliorum & Pontificum decreta Sacris Literis annumeranda esse. Novi equidem vestros Theologos, inter Scripta Canonica, et Conciliorum ac Pontificum Decreta, quasdam differentias agnoscere. Sed primò, illæ extrinsecæ et accidentales sunt; non igitur impediunt quo minus definitio Ecclesiastica Scripturæ exæquetur, præsertim cum utriusque eadem sit authoritas *essentialiter*. Secundò, Inter ipsas Scripturas Canonicas ejusmodi differentiæ observari possunt; quod sane facile ostenderem, si his immorari liceret. Atque 6.

 hinc

Hinc est quod Valentia, tomo 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 43. tam jejunè et frigidè de his differentiis loquatur: dicit enim, *si ad vtriúsque authoritatis quendam quasi modum respiciamus, majoris cujusdam dignitatis esse Scripturæ authoritatem.* Item *habet* (inquit) *ille modus Scriptoris canonici nescio quid majoris divinitatis.* Hinc est quod Ioannes Testefort Dominicanus (cujus audax assertio à Parisiensibus condemnata est, ANNO 1626.) dixerit *Sacram Scripturam contineri partim in Sacris Bibliis, partim in Epistolis Decretalibus Pontificum Maximorum.* Hinc denique est, quod quidam Theologus Pontificius vir apprimè doctus qui (teste MELCHIORE CANO, Lib. 5. Cap. 5. Quæst. 3.) tantos habebat in Theologia progressus ut cum excellentibus Theologis compararetur, non veritus sit præsente MELCHIORE CANO dicere definitiones Conciliorum ad Sacram Scripturam

6. pertinere.

Caput VIII.

Pontificios plerosq;, & nominatim Iesuitas, minus honorificè sentire de authoritate Ecclesiæ Catholicæ, & Conciliorum Oecumenicorũ quam Evangelicos.



Patet hoc primò, quia Evangelici pluris æstimant authoritatem Ecclesiæ Catholicæ propriè et principaliter acceptæ [pro toto cœtu Christianorum qui à prima Evangelii prædicatione usque ad hunc diem fidem Christianam professi sunt] quam authoritatem *Ecclesiæ* præsentis, id est, in terris nunc degentis, quæ tantum pars quædam est *Ecclesiæ* Catholicæ propriè et principaliter sic dictæ. Præcipuum enim fundamentum quo fidei nostræ certitudo nititur, post Sacræ Scripturæ Divinam et Canonicam authoritatem, est perpetua totius *Ecclesiæ* traditio, seu consensus omnium orthodoxorum, qui aut superioribus 1.

bus

bus sęculis exstiterunt, aut etiam hodie exi-stunt; juxta celebrem illam regulam Vincentii Lyrinensis, lib. contra Hæreses, cap. 3. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est vt id teneamus, quod vbique quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est, etenim verè propriéq; Catholicum*, etc.

2. At Iesuitę pluris æstimant authoritatem Ecclesiæ præsentis, quæ ut supra monui tantum pars est Ecclesiæ Catholicæ propriè sic dictę. Dicunt enim omnem certitudinem quam habent de doctrina aut fide eorum qui superioribus sęculis exstiterunt, simpliciter et absolutè pendere ab infallibili testificatione pręsentis Ecclesiæ: et proinde primas partes in stabilienda fide tribuunt testimonio præsentis Ecclesiæ. Nam in id tanquam in ultimam et supremam fidei regulam resolvunt omnem certitudinem quam habent de perpetua Ecclesię traditione. Patet hoc quia profitentur neminem certò scire posse, aut quid antiqui Patres crediderint, aut quęnam dogmata à Conciliis Generalibus et legitimis definita sint, nisi ex testimonio præsentis Ecclesiæ: et proinde nolunt doctrinam præsentis Ecclesiæ, exigi aut examinari à fidelibus ad perpetuam Ecclesiæ traditionem, sed

contra ex præsentis Ecclesiæ testimonio judicandum esse de perpetua Ecclesiæ traditione. Vnde Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. 10. §. *Ad hæc necesse est*, de præsenti Ecclesia loquens dicit, *Scripturas, Traditiones, & omnia planè dogmata, pendere ex ejus testimonio*: & lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Præterea* (inquit) *omnium Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab authoritate præsentis Ecclesiæ: non enim habemus testimonium infallibile, quod Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illud definierint, nisi quia Ecclesia quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit & docet.* Patet similiter ex eo quod de traditionibus docent Valentia, tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 12. Grets. tract. de agnoscendis Script. Canonicis, col. 1888. & alii; videlicet, *earum & authoritatem & sensum, non posse nobis sufficienter innotescere nisi per infallibilem præsentis Ecclesiæ testificationem.*

Ex his patet quam absurda & ridicula sit fidei Pontificiæ resolutio. Credunt enim Pontificii, Ecclesiæ suæ doctrinam esse verè Catholicam quia S. Script. sententiis, Conciliorum Decretis, & scriptis Patrum in omni- 3.

bus

bus consona est & conformis. Esse autem iis consonam credunt propter varia testimonia ex S. Scriptura, Patrum scriptis, & Conciliorum decretis deprompta, quæ doctrinæ Pontificiæ favere videntur. Hæc autem testimonia, nō in speciem tantum, sed revera iis favere credunt, non quia ex contextu verborum, ex proprietate linguæ, ex scopo Authorum, aut ex aliorum locorum collatione ipsi hoc percipiunt (hoc enim esset ut illi aiunt privato spiritui fidere, & privatis hominibus judicium de veritate doctrinæ committere) sed quia præsens *Ecclesia Romana* hoc dicit, docet, & profitetur; ergo à primo ad ultimum credunt *Ecclesiæ* suæ doctrinam, esse verè Catholicam & Apostolicam, quia ipsa dicit, eam esse talem.

4. Secundò, Evangelici totam præsentem *Ecclesiam* per terrarem orbem diffusam præferunt cuilibet parti aut membro ejusdem Ecclesiæ, & proinde eam anteponunt *Ecclesiæ Romanæ*. Nam in controversiis fidei non multi faciunt judicium hujus aut illius *Ecclesiæ* particularis. At plurimum tribuunt judicio totius Ecclesiæ præsentis, id est, consensui omnium fidelium: juxta præscriptū Vincentii Lyrinensis, loco citato: *Sequemur* (inquit) *universitatem hoc modo, si hanc unam*

unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Iesuitæ verò solius Ecclesiæ Romanæ, & Papæ judicium in rebus fidei sequuntur: aliarum verò Ecclesiarum (quæ sanè plurimæ & amplissimæ sunt in ÆTHIOPIA, ASIA, GRÆCIA, RVSSIA, et Septentrionalibus EVROPÆ partibus) sententiam de rebus fidei nihil morantur: et ut cum ratione insanire videantur ab inferis revocarunt et interpolarunt Donatistarum errorem, aut potiùs furorem, qui dicebant Ecclesiam CHRISTI, apud se solos in AFRICA esse. Sic enim Pontificii jus omne Vniversitatis ad se traxerunt, et Ecclesiæ Catholicæ appellationem sibi propriam fecerunt, reliquas omnes Ecclesias quæ ulla in re à se dissentiunt ad Catholicam Ecclesiam non pertinere audacter affirmantes.

Tertiò, Evangelici Concilia antiqua (quæ dogmata fidei contra hæreticos ex Scripturis et ex sensu antiquæ nondumque corruptæ Ecclesiæ stabilierunt, quorumque decreta tanquam pia, sana, et orthodoxa ab universa Ecclesia semper approbata sunt) tanti faciunt, ut eos pro Hæreticis habeant, qui serio & obfirmato animo contra eorum definitiones de rebus fidei insurgunt; utque illorum authoritatem nullo modo præsentis Ecclesiæ judicio subji- 5.

subjiciant, sed contra doctrinam præsentis Ecclesiæ ad ea exigendā et examinandam esse sentiant. At Pontificii nolunt doctrinam præsentis Ecclesiæ ad ea examinari sed contra subjiciunt authoritatem veterum Conciliorum Iudicio præsentis Ecclesiæ dicuntq; eorum firmitatem pendere ab authoritate præsentis Ecclesiæ, & speciatim præsentis Pontificis Romani, ut patet ex ipsorum testimoniis supra a me citatis § 2.

6. Quartò, Evangelici docent Concilium generale et legitimum Ecclesiam Catholicā repræsentans, in se & seclusa Papæ approbatione, esse supremum in terris controversiarum Iudicem *propriè sic dictum*, ejusque *censuræ decisionibus & decretis, omnes fideles cujuscunq; status aut dignitatis etsi papalis existant*, (ut Constantiensis et Basileensis Conciliorum phrasi utar) *necessariò subjici adeoq; se submittere debere*. Dico autem Concilium esse in terris supremum Iudicem *propriè sic dictum*, quia Scriptura Sacra cujus sententia de rebus fidei simpliciter et absolute suprema est, et ad quam Conciliorum decreta examinanda sunt, propriè non est *Iudex* sed *Regula* vel *jus scriptum* (ut recte observant Chamierus tom. 1. lib. 1. cap. 13. Rivetus

Rivetus in ſumma controverſ. tom. 1. tract. 1. q. 8. §. 16. Meiſnerus parte tertia Philoſophiæ ſobriæ, cap. 4. quæſt. 6. etc.) noſtríque Theologi dum cōtra Pontificios contendunt Scripturam eſſe ſupremum controverſiarum judicem, nihil aliud volunt quam eam eſſe *ſupremi judicis, id eſt, DEI ſententiam de rebus fidei*, ſecundùm quam tanquam perfectam regulam tum fidei, tum morum, et judices Eccleſiaſtici judicare, et inferiores ſeu privati, eorundem judicia vel decreta examinarè debent. Si enim Adverſarii hoc nobis concederent (ut ſanè concedere debent) non amplius in Eccleſia audiretur illa controverſia de controverſiarum judice.

At contra Ieſuitæ docent ſupremam poteſtatem judicandi de rebus fidei non eſſe in 7.
Concilio Generali Eccleſiam Catholicam repræſentante, ſed in Papa, qui Eccleſiæ membrum eſt. Item Papam *ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam vniverſam, & ſupra Concilium Generale, ita vt nullum in terris ſupra ſe judicium agnoſcat.* Item *eum nō poſſe ſe ſubjicere ſententiæ coactivæ Concilii Generalis*: vide Bell. lib. 2. de Concil. cap. 17. et 18. Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 1. p. 7. §. 45. Suarezium diſp. 5. de Fide, ſect. 7. §. 11. et diſp. 10. ſect. 6. §. 10.

R Quint

8. Quintò, quia plenam et absolutam fidei certitudinem de Conciliorum infallibilitate non habemus, ideo Conciliorum decreta ad Scripturam sacram tanquam ad *supremam seu principalem fidei regulam*, et ad antiquioris Ecclesiæ doctrinam, tanquam ad *regulam inferiorem seu secundariam* examinare solemus. Qua in re Iesuitæ nobis quadantenus consentiunt. Nobiscum enim dicunt Conciliorum decreta ex se non esse certa et infallibilia: item ea indigere externa aliqua authoritate, ut de eorum veritate infallibiliter constet. Tota dissensio in eo est posita, quod illi ex unius particularis hominis, id est, Papæ testimonio, nos verò ex DEI solius in Scriptura loquentis testimonio, de veritate decretorum Synodicorum primariò et principaliter constare posse dicamus. Item quod illi Conciliorum decreta Papæ judicio, nos verò ea DEI Verbo, tanquam supremæ regulæ fidei subjiciamus. Denique quod illi voci Matris suæ, id est, Ecclesiæ Catholicæ, præferant vocem Papæ, qui filius aut membrum Ecclesiæ est; nos verò voci Matris nostræ, nihil omnino anteferamus, præter Verbum Patris nostri, id est, Scripturam Sacram.

CAPUT IX.

De Pontificiorum arrogantia in labefactanda Conciliorum antiquissimorum & celeberrimorum authoritate.



E Pontificiorum audacia in spernendis et rejiciendis iis Cōciliorum generalium decretis, quæ ipsis displicent, insignis est confessio Lodovici Vivis, in Scoliis in 20. lib. AVGVSTINI, de Civitate DEI, Cap. 26. *Itaque* (inquit) *illa demum eis videntur edicta & Concilia quæ in rem suam faciunt, reliqua non pluris æstimant quam conventū muliercularum in textrina vel thermis*. 1.

Præterea non desunt, mi Turnebulle, clara et illustria indicia seu argumenta vestræ audaciæ in rejiciendis et spernendis Conciliorum etiam generalium et legitimorum decretis: ego ex multis pauca in medium afferam. In Concilio Cōstantinopolitano primo (quod fuit secundum Concilium generale) statuitur, ut Canstantinopolitanæ civitatis Episcopus,

 habeat

habeat primatus honorem post Rom. Episco-pum, propterea quod Constantinopolis sit nova Roma. Vnde sequitur causam cur Rom. Episcopus primatum habeat ante reliquos Patriarchas esse, quod antiqua Roma sedes esset imperii. De hoc Canone dicit Binius in notis super idem Concilium, *Hunc canonem ab Ecclesia Rom. minimè receptum fuisse constat.* De eodem dicit BARONIVS ANNO 381. numero 35. *Hic canon inter acta Concilii furtivè relatus est.* In Concilio Chalcedonensi, act. 15. exstat Canon qui asserit primò, Rom. Eccles. non à CHRISTO, sed à *Patribus* accepisse primatum. Secundò, rationem hujus Primatus non esse quod Papa sit Vicarius CHRISTI, aut Successor PETRI, sed quia Roma fuit sedes Imperii. Tertiò, Episcopum novæ Romæ, id est, Constantinopoleos, ita debere esse secundum à Romano Pontifice, ut tamen habeat *æqualia cum eo privilegia.* Hunc Canonem Binius, Baronius, & alii, dicunt non esse à Concilio compositum, sed instigante Anatolio Episcopo Constantinop., Iudicibus & Papæ Legatis absentibus, ad Cōcilium clanculum & furtim additum. De sexta Synodo generali quæ Honorium Papam damnavit ut Hæreticum, dicunt *eam vel corruptam esse,* vel

vel per errorem Honorium damnasse. Bellarm. libro 4. de Pontif. cap. 11. §. *Ad tertium respondeo.* De septima Synodo dicunt, *Patres istius Concilii deceptos fuisse ex sexta Synodo.* Bell. ibidem. In Concilio generali quinisexto habetur hic Canon: *Quoniam intelleximus Romanam civitatem in sanctis quadragesimæ diebus in ejus sabbatis jejunare præter traditam Ecclesiæ consuetudinem, sanctæ Synodo visum est ut in Romanorum Ecclesia Canon inconcussè vires habeat,* &c. De hoc Can. ita loquitur Caranza in summa Concil. pag. 340. *Propter hunc Canonem aliqui Romani non recipiebant hanc Synodum tanquam universalem.*

Digressio de Concilio Chalcedonensi, deque insigni Adversariorum audacia in deprimenda illius authoritate.

QVoniam Concilii Chalcedonensis præcedenti paragrapho mentionem fecimus, ut omnes sciant quam apertè in eo Concilio Rom. Pontif. suprematus damnatus sit, quamque superbè Pontificii hujus Concilii authoritatem spernant, non alienum à proposito existimavi, si, de actione 15. & 3.

 16. ist

16. istius Concilii ea observarem quæ notatu maximè digna sunt.

In actione 15. istius Concilii, Canone 28.
4. & in actione 16. tria præcipuè consideranda sunt. Primò, id quod sanctissimi illi Episcopi dicunt aut narrant. Secundò, id quod statuunt seu decernunt. Tertiò, eorum concertatio cum Rom. Pont. Legatis. Primò igitur dicunt *Patres dedisse privilegia antiquæ Romæ throno propter imperialem dignitatem civitatis illius*. Ex quo duo colligi possunt. Primò, Papæ primatum non esse à DEO aut CHRISTO, sed à Patribus, id est, ab Ecclesia, *Patres* (inquiunt) *dederunt privilegia antiquæ Romæ throno*. Secundò, rationem hujus Primatus non esse, quod Papa sit Vicarius CHRISTI, aut Successor Petri, sed διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, seu *propter imperium civitatis illius*; ut vertit Caranza.

Secundò, statuunt & decernunt ut Episcopus
5. copus novæ Romæ, id est, Constantinop. ita sit à Rom. Pontif. secundus, *ut paria habeat privilegia & eandem majestatem in Ecclesiasticis negotiis*.

6. Tertiò, Legati Rom. Pontif. cum Canon ille conderetur interesse noluerunt, sed sese de industria è Concilio subduxerunt: postero quidem

quidem die adfuerunt, et huic decreto intercesserunt, Papæ causam strenuè agentes. Sed nihil profecerunt; quamvis enim coram judicibus conquesti sunt, decretum hoc non esse factum sine circumventione & coactione, quamvis etiam protulerunt commissionem Papæ Leonis primi huic decreto reclamantis, tamen efficere non potuerunt, quo minùs obtineret decretum. Illis enim dicentibus Episcopos fuisse coactos subscribere, *Episcopi clamaverũt: Nemo coactus est*. Itẽ cum contra eos sententia prolata esset à judicibus, reverendissimi Episcopi, id est, omnes Patres istius Concilii clamaverunt; *Hæc justa sententia, hoc omnes dicimus, hæc omnibus placent: Quæ constituta sunt valeant: Omnia rectè decreta sunt.*

Ad hoc argumentum tribus ferè modis respondere solent Adversarii. Primò, Gretſ. in Defenſ. præfat. Bell. in lib. de summo Pontif. dicit Græcos Patres in Chalced. Synod. nihil aliud fecisse, *quam quod Papæ socium primatus dederunt: quo* (inquit) *apertè præ se tulerunt se non aversari primatum, sed optare ut eo etiam Constantinop. Episcopus potiatur.* Hæc responsio absurdissima est. Nam dare alicui socium Primatus, est 7.

 Primatum

Primatum ejus Monarchicum penitus tollere. Monarchica potestas nullum admittit parem: ubi enim plures imperant potestate pares, illic non Monarchia, sed Polyarchia viget.

8. Secundò, Fidelis Annosus, lib. 2. Monarchiæ Eccles. cap. 6. §. 28. dicit Concilium Chalcedonēse, nihil dicere vel statuere quod Monarchiæ Romanæ deroget: *Imprimis* (inquit) *non dicit primatum Rom. Pontificis institutū fuisse à Patribus: non enim dicit quod Patres concesserunt privilegia Rom. Pontifici, sed vrbi Romæ. Romano enim Pontifici, nihil potestatis vel Patres, vel Concilia contulerunt.* Secundò, *Cum statuunt* (inquit) *vt nova Roma paria privilegia habeat cum Roma veteri, nihil aliud intelligūt, quam Patriarchatū, vt nimirū ipsius Episcopus Patriarcha sit sicut Romanus*, &c. Hunc respondendi modum amplecti videtur Suarez, disp. 10. de Fide, sect. 2. §. 9. Hæc responsio Annosi ridicula, absurda, & veritati apertissimè contraria est. Primò enim, Legati Pontificis publicè in Synodo profitentur *Romanam sedem* per hunc Canonem *humiliari* seu *deprimi*, & insigni *injuria* affici. Verba eorum hæc sunt: *Sedes*

Apostol

Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet: item, *contradictio nostra his gestis inhæreat, vt noverimus quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, vt ipse, de sedis suæ injuria, vt de Canonis eversione ferre possit sententiam.* Secundò, doctissimi scriptores Pontificii fatentur hunc Canonem derogare Romanæ Monarchiæ, videlicet, Bell. lib. 2. de Pontif. Cap. 17. §. *Quid quod*, et §. *Alterum quod.* Binius in notis in Concilium Chalcedonense, ad illa verba, *Sanctorũ Patrum decreta.* Baronius ad annum 451. §. 141. Tertiò, impudentissime mentitur Annosus, cum affirmat Concil. Chalced. non dicere quod Patres concesserunt privilegia Rom. Pontif. sed tantum urbi Romæ: apertè enim dicit Concilium actione 15. Canone 28. & rursus, actione 16. *Patres dedisse privilegia primatus*, τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρης ῥώμης; id est, Cathedræ Episcopali seu sedi veteris *Romæ*.

Tertiò, Bell. Baronius, Binius, et Becanus aliter respondent: fatentur enim hunc Canonem Romanæ Monarchiæ derogare, ut jam dictum est, negant tamen argumentum nostrum ab hoc Canone petitum esse validũ. 9.

Bell. enim lib. 2. de Pontif. Cap. 17. dicit decretum illud *magni quidem esse Concilii, sed non legitimè factum*, & proinde nullius esse roboris vel authoritatis. Hanc Bellarm. responsionem tuetur ac approbat Gretserus in Defensione istius Cap. Binius verò in notis in Concil. Chalced. act. 15. et 16. Baronius ad annũ 451. §. 134. et 135. et Becanus in Apologia pro judice controversiarum, Cap. 3. §. 86. dicunt hunc Canonem non esse ab ipso Concilio compositum, sed clanculum et furtim ab Orientalibus Episcopis, instigante Anatolio Cõstantinopolitano, decretis Concilii additum esse, idque absentibus judicibus et Legatis Romani Pontificis.

10. Hæc responsio nulli docto aut prudenti viro satisfaciet. Primò enim quam splendidè mentiantur hic Adversarii facilè est percipere ex verbis Aetii Archidiaconi Constantinopolitani, quæ habentur in actione 16. istius Cõcilii, *Rogavimus* (inquit) *dominos Episcopos de Roma ut cõmunicarent iis gestis*, (id est, ut interesse dignarentur, cum Canon iste conderetur) *illi verò recusarunt dicentes se talia non suscepisse mandata* (nempe à Pontifice) *Retulimus & ad vestram magnificentiam* (judices alloquuntur) *& jussistis, ut præsens sanctum Concilium hoc*

ipsum

ipsum inspiceret; id est, ut controversiam illam de privilegiis sedis Constantinopolitanæ determinaret: et infra, *Adsunt hîc Episcopi qui poposcerunt hanc actionem celebrari, neque in occulto gestum est, neque furtim sunt hæc gesta, sed consequenter & canonicè facta*.

Hæc Aetii oratio quam publicè habuit in magno illo Concilio, et cui neque judices, neque Legati Rom. Pontif., nec ullus Episcoporum qui aderant contradixerunt; hæc (inquam) oratio omnes Adversariorum criminationes diluit. Primò, enim ex ea patet Legatos Rom. Pontif., sponte discessisse, idq; invitis Patribus qui obnixè eos rogarunt ut gestis adessent. Secundò, Concilium controversiam illam de privilegiis sedis Constantinop. non sine authoritate judicum determinasse. Tertiò, totam illam actionem *consequenter & canonice celebratam esse*. 11.

Secundò, quamvis verũ esset quod Adversarii dicunt, viz. hunc Canonem claneculum et furtim primò editum esse, non tamen negare possunt, controversiam hanc denuò, coram judicibus, idque præsentibus Rom. Pontif. Legatis, agitatam esse, et legatorum Romanorum objectionibus eventilatis, ac à toto Concilio rejectis, prædictum Canonem ab 12.

omn

omnibus Episcopis in Concilio illo congregatis approbatum et confirmatum esse, ut patet ex iis quæ supra dicta sunt.

13. Tertiò, ex hac Adversariorum responsione multa colligi possunt, quæ observatione dignissima sunt; Primò, Adversarios, quamvis profiteantur se *quatuor Concilia Oecumenica tanquam quatuor Evangelia venerari*, revera tamen eorum decretis nihil tribuere, cum doctrinæ aut sententiæ ipsorum adversantur.

14. Secundò, 630. Patres in hoc Concilio Oecumen. congregatos nobiscũ sensisse Rom. Pontif. primatum non niti jure divino, sed Ecclesiastico, et proinde eum nõ esse à DEO constitutum CHRISTI Vicarium in terris; item ejus primatum non esse jurisdictionis aut potestatis, sed ordinis tantum. Constantinopolitanum enim Patriarcham paria seu eadem cum eo habere privilegia, expressè definiverunt; quod sanè verum non esset si Papa jurisdictionem haberet in Episcopũ Constantinop.; hoc est, si Episc. Constantinop. ei tanqnam principi, subditus esset. Denique rationem primatus illius quem habet Papa, non esse quod Papa sit Successor PETRI in Monarchia Ecclesiastica, sed quod Roma olim fuerit sedes Imperii.

Tert

Tertiò, eos nobiscum sensisse decreta Conciliorum vim habere posse quamvis à Romano Pontif. non approbarentur. Si enim putassent decreta Conciliorum nullius esse roboris aut auctoritatis nisi à Romano Pontif. confirmarentur, proculdubio audita sententia legatorum huic Canoni se opponentium, et ipsius Papæ per mandatum suum (quod publicè in Concilio lectum est) ei reclamantis, decretum illud statim abrogassent, et incæpto destitissent.

Hinc patet quomodo respondendum sit 15. Pontificiis objicientibus decretum illud non esse à Papa approbatum et proinde nullius esse roboris aut auctoritatis. Neganda enim est consequentia, et negationis nostræ ratio petenda est a praxi istorum 630. Patrum, qui senserunt decretũ suum de paritate aut æqualitate Patriarchæ Constantinop. cum Rom. Pontif., posse vim legis Ecclesiasticæ obtinere, etiam invito et reclamante Pontifice.

Denique ex hac Adversariorum sententia 16. sequetur sanctissimos illos Patres graviter in fide errasse, et unum ex primariis fidei articulis funditus evertisse; idque quia non solum negarunt Rom. Pontif. primatũ suum habere ex jure divino, aut ex PETRI successione, sed etiam Monarchiam ipsius penitus sustulere, exæquando ei Episcopum Constantinop


tinopolitanum. Quam gravis autem ſit hic error ex Adverſariorum ſententia, patet ex Bell. verbis in præfat. in libros de ſummo Pontifice, ubi ſic diſſerit, *Etenim* (inquit) *de qua re agitur cum de primatu Pontificis agitur? breviſſimè dicam: de ſumma rei Christianæ. Id enim quæritur debeátne Eccleſia diutius conſiſtere, an verò diſſolvi & concidere?*

18. Hanc meam illationem neque negare poſſunt Adverſarii, neque eam admittere audent. Non poſſunt negare, quia ex Adverſariorum ſententia, dogma de Monarchia Papæ divinitus inſtituta, eſt primarium et principale Chriſtianæ fidei dogma: ſed Concilium generale dogma illud negavit ſeu ſuſtulit. Ergo graviſſimè in fide erravit.

19. At neque eam admittere audent, quia Leo Papa approbavit Concil. Chalced. *in fidei cauſa*, ſeu in iis quæ ad fidem pertinent, vide Baronium ad annum 451. §. 3. et 4. Bell. lib. 2. de Pontif. Cap. 22. et Binium in notis in Concil. Chalced. verbo *approbatum*. Ergo hoc Concilium in fide non erravit. Secundò, ſi Concilium hoc generale et legitimū erravit in fide, ſequetur Concil. generalia et legitima in fide errare poſſe: quod ſanè ridicule admodum cócedit Bellarm. immemor

ſent

ſententiæ ſuæ de infallibilitate Conciliorum quàm contra nos tuetur: *Reſpondeo* (inquit) *Concilium legitimum poſſe errare in his quæ non legitimè agit*: lib. 2. de Concil. Cap. 7. Tertiò, quia ſi hoc Concilium tam perniciosè in fide erraſſet, Patres iſtius ſæculi et Concilia poſt Chalcedonenſe Concilium celebrata, hunc errorem, immò hæreſin (ex Adverſariorum ſententia) proculdubio notaſſent et damnaſſent.



Capvt X.

Papæ judicium de quæſtionibus fidei non eſſe infallibile, & Adverſarios in explicanda infallibilitate judicii Papalis non conſentire inter ſe.



Hîc primò explicabo diſtinctiones aliquot, quibus Adverſarii in hac diſputatione utuntur. Secundò, varias et diſcrepantes Adverſariorum ſententias referam, de Papæ infallibilitate in quæſtionibus fidei. Tertiò, oſtendam ipſos Adverſarios (qui infallibilitatem judicii non 1.

cii non in Concilio, sed in Papa constituunt) fateri Papam judicialiter errare posse.

2. Quod ad primum attinet, distinguunt hîc Adversarii, primò, inter *errare*, & *hæreticũ esse*. Nam *hæreticum esse* est aliquid majus quam *errare*: unde Gretserus in Defensione Cap. 6. lib. 4. de Pontif. *Aliud* (inquit) *est errare, aliud hæreticum esse, & pertinaciter in errore persistere.*

3. Secundò, distinguunt inter *errorem manifestum, & non manifestum*; error manifestus, est error contra exploratam Ecclesiæ fidem, ut loquitur Valentia, tomo 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 41. Col. 233. id est, contra communem et receptam totius Ecclesiæ doctrinam, aut etiam contra expressam ejus definitionem. Error non manifestus, est cum quis errat in quæstione aut controversia aliqua nondum definita ab Ecclesia, seu ut loquitur Valentia loco citato, cum quis errat in rebus alioqui omnino cõtroversis, hoc est, non satis expressè in Ecclesia definitis et determinatis.

4. Tertiò, distinguunt inter errorem *personalem* seu privatum, & *judicialem* seu publicum: unde Stapletonus controversia 3. q. 4. conclus. 1. *Romanum* (inquit) *Pontificem*

acem errare in fide, potest dupliciter intelligi, primùm quod ut persona particularis possit male sentire de fide, & esse hæreticus: altero modo, quod erroneam & hæreticam doctrinam possit publicè sustinere & Ecclesiæ decernendo tradere. Hæc Stapletonus. Alii hanc distinctionem sic explicant, Pontifex personaliter, seu ut privata persona errat, quando non vult alios obligare ad recipiendam falsam suam assertionem, sed tantum privatim apud se, veram esse reputat: errat verò judicialiter quando publicè & ex Cathedra pronunciat id quod falsum est verum esse, obligando alios ad id recipiendum tanquam verum.

Ad secundum quod attinet Pontificii illi qui infallibilitatem judicii non in Concilio, sed in Papa constituunt, nequaquam inter se consentiunt. Primò enim quamvis omnes Pontificii, ut monet Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 2. *in eo conveniant quod Papa personaliter & ex ignorantia errare possit,* quidã tamẽ eorũ negãt eum ullo modo posse esse hæreticũ, id est pertinaciter in errore persistere. Hanc sententiam Pighius defendit ut certam lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiast. cap. 8. Bellarm. dicit eam defendi posse ut probabilem et piam, lib. 4. de Pontif. cap. 6. At Sta- 5.

 ple-

plet. Controv. 3. q. 4. Conclus. 2. Canus lib. 6. de locis, Cap. 8. Respons. ad argum. 11. et multi alii eam rejiciunt, ut apertè falsam: immò ipse Bellarm. lib. prædicto. Cap. 11. Respons. ad arg. 4. fatetur tria Concilia generalia, videlicet 6. 7. & 8. credidisse Papam posse esse hæreticum, seu personaliter errare posse, hæresin profitendo.

6. Secundò, alii dicunt *Papam ut privata persona est, tam in fide esse defectibilem, quam in moribus peccabilem, atque adeo posse esse hæreticum; sed ut publica persona est, id est, quando de fide consultus, ex officio respondet & decernit, non posse tradere hæreticum aliquod dogma.* Ita loquitur Staplet. Controv. 3. q. 4. Conclus. 2. cui astipulantur ANGLO-RHEMENSES, in LVC. 22. 31. et Hartus, in Colloq. cum Rainoldo, Cap. 7. sect. 3. dicentes Papam errare non posse cum sentētiam pronunciat in suis Consistoriis, Curiis, Cōciliis, deliberationibus aut consultationibus initis pro decidendis illis controversiis quæ ei proponuntur. Hic modus explicandi Papæ infallibilitatem vix satis tutus ipsis Adversariis videtur. Vnde quidam ex illis non affirmant absolutè & sine ulla limitatione Papam quandocunque de fide consultus ex officio respondet & controver-

siam

ſiam judicialiter definit errare non poſſe: ſed hanc limitationem expreſsè addunt, *cum totam Eccleſiam docet, & ad ſententiam ſuam recipiendam obligare vult univerſam Eccleſiam*; quib⁹ verbis apertè innuunt Papam etiam judicialiter, id eſt in decidendis controverſiis errare poſſe quando non totam Eccleſiam, ſed aliquam ejus partem docet. Ita docent Bellarm. lib. 4. de Pontif. Cap. 3. §. 1. Suarez. tract. de Fide, diſp. 5. ſect. 8. §. 4. et Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 1. p. 7. §. 40. Col. 226. & 227.

Tertiò igitur Bellarm. Valent. Suarez, et alii dicunt, Papam errare non poſſe, *quando totam Eccleſiam docet*, & ut Suarez loco 7. citato loquitur, *quando aliquid authenticè proponit univerſæ Eccleſiæ tanquam de fide divina credendum*. At neque hic modus explicandi ſatis tutus eſt. Primò, quia antiqui Patres putarunt Papā poſſe errare cum totam Eccleſiam docet, ut patebit ex Capite 12. Secundò, Papam docentem totam Eccleſiam de facto erraſſe probabitur Cap. 14. Tertiò, Turrecremata qui ut ſupra monui, infallibilitatem judicii non in Concilio, ſed in ipſo Papa conſtituit, is inquam lib. 2. ſummæ de Eccleſia Cap. 12. reſpondens ad argumentum 7. quo objiciebatur Papam poſſe

 incide-

incidere in errorem manifestum, seu in hæresin antea damnatam, eamque definire in judicio cum complicibus suis; dicit primò, quosdam dicere, non esse possibile, ut Papa definiat hæresin. Deinde hac responsione rejecta suam proponit: *Nobis* (inquit) *aliter videtur dicendum*, &c. Item lib. 4. part. 2. Cap. 16. *Decimus septimus* (inquit) *modus convincendi specialiter Papam de pertinacia in hæretica pravitate est si errorem definit solenniter & à Christianis asserit tanquam Catholicum esse tenendũ.* Pro hac etiam sententia Valentia loco prædicto citat Sylvestrum in summa, verbo *opinio* eamque dicit *non esse penitus improbabilem*.

Quamobrem quartus modus explicandi infallibilitatem Papæ est quem ex Turrecremata et Sylvestro proponit Valentia loco
8. proximè citato Col. 233. videlicet, Papam posse incidere in errorem manifestum seu hæresin antea damnatam, item *eum posse quantum in se est conari errorem illum manifestum Ecclesiæ obtrudere*, nimirum solenniter eum definiendo, ut loquitur Turrecremata, *fieri tamen non posse ut solenniter definiat errorem non manifestum*, seu

ut de re aliqua controversa, nec apud Catholicos satis explorata judicialiter errorem definiat: ratio hujus assertionis, quam ibidem affert Valentia est, quia si Papa conetur errorem manifestum Ecclesiæ obtrudere, id faciet sine ullo periculo Ecclesiæ utpote quæ cognoscens hujusmodi Papam non pastorem sed lupum et pseudoprophetam esse, facilè sibi à falsa ejus doctrina cavebit. At si in rebus controversis, nec satis expressè in Ecclesia antea determinatis Papa errorem contra fidem definiret, tunc Ecclesia teneretur Papam sic definientem pro Pastore suo agnoscere, (quia videlicet nondum hæresi manifesta notatus est) eumque omnino audire, id est sententiam ejus amplecti: & sic Ecclesia universa, non solum posset sed etiam teneretur errare. Concludit igitur Valentia, *Romanum Pontificem quando aliquid novi in controversiis fidei definiendum est errare non posse.*

Ex his quæ jam dicta sunt patet multos 9. ex iis qui pro Papali infallibilitate strenuè pugnant concedere Papam posse non solum *personaliter*, sed etiam *judicialiter* errare definiendo *errorem manifestum*. Ridiculum autem est commentum quo Adversarii hoc excusare conantur dicentes *Papam hæresi manifesta notatum desinere esse Papam,*

pam, seu ipso facto propter hæresin privari Papali dignitate, & proinde si contingat eum hæresin definire, falsam illam definitionem non Papæ aut sedis Apostolicæ, sed talis privati hominis definitionem dicendam esse: meritò enim eos qui sic respondent ridet Alphonsus à Castro, lib. 1. adversus Hæreses, Cap. 4. *Quod autem* (inquit) *alii dicunt eum qui erraverit in fide obstinatè jam non esse Papam, ac per hoc affirmant Papam non posse esse hæreticum, est in re seria verbis velle jocari. Ad hunc enim modum posset quis citra impudentiam asserere nullum fidelem posse in fide errare, nam cum hæreticus fuerit jam desinet esse fidelis.*

CAPVT XI.

Papæ judiciariam infallibilitatem neq; ex Scriptura, neque ex Traditione non scripta, sufficienter probari posse.

EVAN-


Vangelici non credunt Papã cũ ex Cathedra totam Ecclesiam docet ab errore immunem esse: idque quia nusquam in Sacra Scriptura dicitur Papam judicialiter errare non posse. Nam quod locus ille Lvc. 22. *Rogavi pro te, ne fides tua deficiat*, pro judiciaria infallibilitate Romani Pontificis non faciat, variis rationib' ostendere possumus. Primò enim nihil illo loco dicitur *de docendo*, nihil *de tota Ecclesia docenda*, nihil *de quæstionibus fidei* aut *morum*, nihil *de Papa Romano*. 1.

Secundò, Bellarm. lib. 4. de Pontif. Cap. 3. probat CHRISTVM hîc non orare pro Ecclesia universali, quia illa verba, *Et tu conversus, confirma fratres*, non possunt convenire Ecclesiæ universali, nisi dicamus totam Ecclesiam esse aliquando, pervertendam ut possit converti. Eodem modo nos probamus CHRISTVM non orasse pro omnibus Episcopis Romanis, quia illa verba, *Et tu conversus*, &c. iis convenire non possunt nisi dicamus eos omnes esse aliquando pervertendos ut possint converti. 2.

Tertiò, objicientibus negationem Petri, 3.
etiam

etiam postquam CHRISTUS rogavit ut non deficeret fides ejus, ac propterea nec Successores ejus esse immunes a lapsu; respondet Bellarm. tunc Petrum nõdum summum Pontificem esse cœpisse. Ex hoc ego sic infero; Si Petrus quando CHRISTUM negavit, nondum erat summus Pontifex, profecto multo minus erat summus Pontifex, quando CHRISTUS pro eo rogavit. Igitur rogavit pro Petro, & non pro summo Pontifice. Quid ergo beneficii potest habere summus Põtifex ex oratione quæ pro Petro nondum summo Pontifice fusa est siquidem ille succedit Petro, non ut Petrus est, sed ut summus Pontifex est.

4\. Quartò, Pontificii hunc locum, nunc *de Petro*, nunc *de Pontifice Romano*, nunc *de Ecclesia Romana* interpretantur. Vide Bellarm. lib. 4. de Pontif. Cap. 3. §. *Respondeo primo*. Et aliter de Petro, aliter de Pontifice, aliter de Eccl. Romana. Ajunt enim CHRISTUM hac sua oratione impetrasse, primò, ut Petrus nec *personaliter*, nec *judicialiter* erraret. Secundò, ut Petri Successores etsi errare possint *personaliter* tamen *judicialiter* nunquam errarent. Tertiò, ut Romana Ecclesia ne *personaliter* quidem erraret. Quis non perspicit meras has esse verborum præstigias. Unus enim locus tam varias & con-

trarias expositiones admittere non potest.

Quintò, si DOMINVS orando pro Petro, & Petro & ejus Successoribus judiciariam infallibilitatem impetravit, tunc etiam orando pro reliquis Apostolis, & rogando Patrem suum *ut eos sanctificaret sua veritate*, Ioan. 17. Vers. 17. etiam illis & eorum Successoribus privilegium judicariæ infallibilitatis impetravit. At falsum est posterius ut ipsi Adversarii fatētur ergo et prius. Assumptio manifesta est: probatur propositio, quia nulla firma & solida ratio afferri potest cur vis & efficacia orationis CHRISTI pro Petro ad Successores Petri se extendat, vis verò aut efficacia orationis CHRISTI pro Apostolis ad eorum Successores se non extendat. 5.

Præterea hæc judiciaria infallibilitas Rom. Pontificis Patribus incognita fuit & proinde ex Traditione non scripta probari nequit. Hoc patet primò, quia nusquam in eorum scriptis invenitur hoc axioma Iesuiticum, *Papa in definiendis controversiis fidei cum totam Ecclesiam docet errare non potest*. Legat qui volet Patrum testimonia à Bellarm. allata lib. 4. de Pontif. Cap. 3. ad Papæ judiciariam infallibilitatem probandam; & facile percipiet nihil in iis dici de judiciali & 6.

publica controversiarum decisione, nihil de Rom. Pontificis infallibilitate in decidendis controversiis fidei, nihil de illa limitatione quam ipsi addunt, *cum Papa totam Ecclesiam docet, & ad credendum obligare vult:* Ergo illa testimonia non probant Adversariorum positionem.

7. Secundò, in disputationibus contra Hæreticos nunquam utuntur hac argumentandi forma; *hoc dogma judicialiter à Rom. Pontifice definitum est, ergo est verum:* item, *hoc Concilium à Papa approbatum est, ergo ejus decreta sunt infallibilia.* At si vera sit hæc Adversariorum sententia, non potuerunt uti magis evidenti & efficaci demonstratione ad hæreticos confutandos. Cur igitur hujusmodi argumentis nunquam utuntur? Cur August. lib. 3. cōtra Maximinum Arrianum Cap. 14. authoritate Concilii Ariminensis pressus non respondet illud Concilium à Rom. Pontifice non esse approbatum, & proinde esse nullius authoritatis.

CAPVT. XII.

Papæ judiciariam infallibilitatem antiquæ

tiquæ et sanæ Ecclesiæ cognitam non fuisse, variis exemplis ostenditur.



Robatur hoc primò, ex Historia secundi sæculi nam Victor Papa circa Annum 198. judicialiter determinavit controversiam de celebratione Paschatis, ut docent Bellarm. lib. 3. de Verbo, Cap. 6. & Baronius Anno 198. at nihilominus Polycrates et Asiatici Episcopi ei constanter restiterunt, ergo putarunt ejus judicialem decisionem non esse infallibilem. 1.

2. Secundò, ex Historia tertii sæculi: Cornelius enim Papa cum Nationali Concilio omnium Episcoporum Italiæ statuit, definivit, et decrevit (ut fatetur Bellarm. loco jam citato et lib. 4. de Pontif. Cap. 7. et lib. 2. de Conciliis, Cap. 5. item Gretserus in Defens. lib. 3. de Verbo, Cap. 6. Col. 1326.) Baptisma Hæreticorum esse validum, et ab iis baptizatos, non debere rebaptizari. Eandē etiam approbavit Stephanus Papa, et jussit ut Hæretici non rebaptizarentur. At nihilominus Sanctus Firmilianus, et Sanctus Cyprianus, cum multis Episcopis Asiæ & Africæ, contrarium

rium senserunt, & mordicus defenderunt, etiam post definitionem Stephani & Cornelii, quod proculdubio non fecissent si putassent Papæ sententiam judicialem esse infallibilem. Nec satisfacit quod dicit Bellarm. istos Pontifices non definivisse illud dogma tanquam de fide: quod ex eo probat, quod Stephanus Papa non excōmunicaverit Cyprianum et alios contrarium sentientes, sed tantum excommunicationem comminatus sit.

3. Nam contrà; primò, si excōmunicationem comminatus est, ergo, dogma illud definivit tanquam de fide: quis enim rebus incertis, & dogmate adhuc dubio ac nondum definito audeat minari cuiquam separationem ab Ecclesia. Deinde cum judicialiter damnatur aliquis error vix solet ulla esse pœnæ pronunciatio, sed tantum comminatio. Denique impudens est illud Bellarm. mendacium. Stephanus enim Papa actu excommunicavit Firmilianum et Asiaticos Episcopos cum consentientes, ut patet tùm ex Epistola Firmiliani ad Cyprianum, tum ex Baronio Anno 258. numero 15. & 16. & Spondano in Epitome Baronii, eodem Anno, numero 5. & 9.

4. Tertiò, in Concilio Generali quarto, hoc est in Concilio Chalcedonensi, quod quinto seculo celebratum est, judicium Leonis I. Papæ Romani, contra Eutychetem Hæreticum

fuit

fuit Synodice repetitum et examinatum, ut patet ex actione 4. istius Concilii. Ergo, Patres in illo Concilio Congregati apertè ostenderunt Pontificem Romanum non esse supremum & infallibilem controversiarum judicem. Supremi enim & infallibilis judicis sententia non debet retractari aut examinari ab inferiori judice. Stapletonus Controv. 6. q. 3. art. 5. respondet sententiam Papæ Leonis *non fuisse relectam per modum examinis, sed prorsus per modum sententiæ judicialis, cui cæteri Episcopi parere suasq́; sententias accommodare debebant*. At hujus responsionis falsitas patet tum ex prædicta actione 4. istius Concilii, tum ex Concilio Generali 5. Collatione 6.

Nam quod ad actionem 4. Concilii Chalcedonensis attinet, Iudices illîc jubent ut Patres sentētiam suam de Epistola decretali Papæ Leonis proponant, doceantq́ue utrum ea Symbolis, Actis, & Decretis, priorum Conciliorum consentanea sit, an verò non sit? Huic mandato Iudicum Patres obtemperantes, respondent eam esse priorum Synodorum actis consentaneam, & ideo profitentur se ei subscribere. Verbi causa, Anatolius Episcopus Constantinop. dixit: *Epistola sanctissimi, & DEO amicissimi Archi-* 5.

episcop

episcopi Leonis consonat Symbolo Patrum qui apud Nicæam, & qui apud Constantinopolim collecti sunt: & etiam iis qui in Epheso sub beatißimo & sanctißimo Cyrillo gesta sunt ab universali & sancto Concilio. Quapropter consensi & eidem Epistolæ libenter subscripsi. Similiter Marinianus Episcopus Synnadorum dixit: *Consentire novi Epistolam in omnibus Sanctißimi Romanorum Archiepiscopi Leonis expositioni 318. Patrum, & 150. in Regia Constantinopoli cōgregatorum. Ideo etiam subscripsi ei.* Et Onesiphorus Episcopus Iconii dixit: *Cum Epistolam Sanctißimi Romanorum Archiepiscopi Leonis nulla in re dissentire videam ab exposita fide Sanctorum Patrum. Subscripsi eidem Epistolæ Papæ Leonis.* Reliqui etiam Episcopi de eadem Epistola dixerunt, *Consonat & subscripsi ei.* Ex his patet Chalcedonenses Patres subscripsisse Epistolæ decretali Leonis Papæ non propter infallibilem ipsius authoritatem, sed propter ejus consonantiam cum doctrina tradita & definita in tribus prioribus Conciliis, id est, in Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino.

Idem etiam patet ex Quinto Generali Concilio, Collat. 6. Nam cum in eo Concilio sententiæ Patrum Chalcedonensium de Epistola Leonis Papæ deque ejus consonantia cum priorum Synodorum decretis publicè recitatæ essent, *Sancta Synodus dixit: Ex his quæ recitata sunt manifestum factum est, quomodo Sanctæ Synodi ea quæ apud eas proferuntur probare solent. Cum enim illi Sanctissimi Viri qui recitatas Epistolas scripserunt,* (videlicet, Leo Papa & Cyrillus) *sic splenduerunt, tamen Epistolarum earum comprobationem non simpliciter, nec sine inquisitione fecerunt, nisi per omnia cognovissent consonare eas expositioni & doctrinæ Sanctorum Patrum, ad quam & collatio facta est.* Hæc vide apud Binium tomo 2. Concil. parte 1. act. 4. Concil. Chalced. pag. 218. et parte 2. in Actis Concilii Generalis 5. Collat. 6. pag. 101. Vide etiam Collat. 8. ejusdem Synodi, ubi Patres dicunt se ex gestis Concilii Ephesini et Chalcedonensis circa Epistolas Cyrilli et Leonis Papæ percepisse, *quod non aliter oportet suscipi quæ ab aliquo scribuntur nisi prius rectæ fidei Sanctorum Patrum consonare demonstrentur.* 6.

Quarto

7. Quartò, judiciaria infallibilitas Romanorum Pontificium incognita fuit illis 165. Episcopis in prædicto Concilio 5. Generali, (quod sexto seculo celebratum est) congregatis, ut patet tum ex iis quæ præcedenti §. dicta sunt, tum quia judicialem Vigilii Papæ sententiam, seu Cōstitutum de tribus Capitulis (quod ad Imperatorem & Synodum transmiserat, & in quo Synodali sententiæ de condemnandis tribus Capitulis planè contradicebat; ut docet Binius in Notis in illud Concilium) damnarunt. Imò ipsum Vigilium omnesque alios qui Theodorum Mopsuestenum damnare nolebant, una generali sententia anathematizarunt. *Si quis* (inquiunt) *defendit eundem Theodorum qui talia blasphemavit, & non anathematizat eum, talis anathema sit.* Vide Collationē 8. istius Synodi, Can. 12. Ad hoc argumentum respondent Baronius, Binius, et alii quæstionem in illo Concilio definitam non fuisse quæstionem de Fide, sed tantum de personis, id est, de Ecclesiastica quorundam hominum damnatione post ipsorum obitum: in quo genere quæstionum omnes fatentur Pontificem posse errare. At contrà in hoc Concilio definitum est, *Hæreticos etiam post mortem ab Ecclesia posse damnari*, ut disertè docet

Bin


Binius, in Historia 5. Synodi, et patet ex Collatione 8. pag. 113. §. *Et quid oportet?* Hæc controversia de Hæreticorum excommunicatione post mortem, est ex earum numero quas Adversarii vocant *controversias morum*, et in quibus non minus quam in quæstionibus Fidei Pontificem infallibilem esse contendunt: vide Bellarm. lib. 4. de Pontif. Cap. 5. et Suarezium disp. 5. de Fide, sect. 8. §. 7. Attamen hoc definiverunt Patres, contra judicialem Vigilii Papæ sententiam, quam in suo *Constituto*, Concilio exhibuit, et cui universam Ecclesiam parere voluit. Ergo non putarunt Papæ judicialem sententiam esse infallibilem. Vide *Constitutum* Vigilii apud Binium, tomo 2. parte 2. pag. 25. §. *Quibus omnibus*, & pag. 26. §. *His omnibus*; ubi judicialiter & ex Cathedra, hanc sententiam pronunciat: *His omnibus* (inquit) *& hujusmodi blasphemiis ita à nobis abdicatis atque damnatis hac præsentis* Constitutionis *dispositione quam maximè providemus, ne (sicut supra diximus) personis quæ in pace & communione universæ Ecclesiæ quieverunt, sub hac damnati à nobis perversi dogmatis*

occasione aliquid derogetur. Et infra: *Illis Sacerdotibus qui in pace Catholicæ Ecclesiæ sunt defuncti nulla contumelia generetur.*

8. Iam perpende, mi Turnebulle, quantum prædicti 165. Patres, Apostolico supremi tui Iudicis decreto tribuant Collat. 8. pag. 113. *Et quoniam* (inquiunt) *post hæc omnia impietatis illius defensores injuriis contra Creatorem suam dictis gloriantes, dicebant non oportere eum post mortem anathematizare; licet cognosceremus Ecclesiasticam de impiis traditionem, quod & post mortem Hæretici anathematizantur: tamen necessarium putavimus & de hoc perscrutari, & fertur in gestis quomodo diversi hæretici & post mortem anathematizati sunt, & per multa manifestatum est apud nos, quod qui hæc dicunt* (videlicet, Vigilius Papa, et alii) *nullam curam DEI judicatorum faciunt, nec Apostolicarum pronunciationum, nec paternarum traditionum.*

9. Quintò, si Patres putassent Papam in definiendis Controversiis errare non posse, cum consuluissent non tantum ut privatum Doctorem

ctorem, sed ut supremum & infallibilem Iudicem: eumque obnixè rogassent ut judicialiter et ex Cathedra cum intentione totam Ecclesiam docendi, et omnes obligandi ad credendum, obortas in Ecclesia Controversias determinaret. At hoc non fecerunt nec ullum hujusmodi petitionis exemplum hactenus in medium adferre potuerunt Adversarii. Ergo, Patres non crediderunt Papam esse infallibilem Controversiarum de Fide Iudicem.



Capvt XIII.

Idem ex eo probatur quod Ecclesia antiqua sæpius canones condidit Romano Episcopo refragante.



Ontificii id quod paragrapho ultimo præcedentis Capitis dictum est confutare conantur argumento petito à praxi Conciliorum antiquorum quæ à Romano Pontifice decretorum suorum confirmationem petierunt. Nam petere decretorum confirmationē à Rom. Pon- I.

tifice est eum consulere tanquam supremum et infallibilem Iudicem, et rogare ut judicialiter et ex Cathedra controversias determinet: hic enim est actus maximè judicialis circa Controversias Fidei. Respondeo, illa confirmatio quam illi petebant à Pontifice, nihil aliud fuit, quam ejus consensus aut approbatio: at non tantum ejus assensum expetiverunt, sed et etiam aliorum Episcoporum, quos pro supremis et infallibilibus Iudicibus non agnoverunt. Ergo petere Rom. Pontificis confirmationem non est eum consulere tanquam supremum et infallibilem Iudicem.

2. Instabit aliquis, Pontificis consensus singulari quodam modo expetebatur à Patrib⁹: credebant enim decreta sua irrita esse, nullumque robur aut momentum habere absque ejus approbatione. At hoc de aliis Episcopis non credebant. Ergo, &c. Respond. primò, non verisimile est illos Patres hoc credidisse, cum ne ipsi Pontificii qui post Cōcilium Tridentinum scripserunt, hoc crediderint, ut patet ex Andradio, qui in defensione Fidei Tridentinæ, lib. 1. pag. 76. dicit Conciliorum decreta omni etiam confirmatione (Papali videlicet) destituta esse firmissima; & pag. 75. dicit viros doctissimos in ea esse sententia quod vis & authoritas canonum

Synod

Synodicorum non necessario pendeat à Papæ confirmatione. Secundò, si Patres hoc credidissent non condidissent Canones invito et refragante Episcopo Romano. At condiderunt Canones eo invito, ut patet, primò ex Decreto Concilii Chalcedon. de æqualitate Episcopi Constant. cum Rom. Pontifice; de quo vide Cap. 9. hujus Tractatus.

Secundò, ex Actis Concilii Generalis quinisexti, quod Canones addidit sextæ Synodo & ob id, etiam sexta Synodus vocari solet. 3. Quamvis enim prædictum Concil. Chalcedonensis decretum à Leone Papa pluribus Epistolis damnatum & reprobatum sit; nihilominus tamen 227. Patres, qui in hoc Concilio quinisexto convenerunt, illud renovarunt & confirmarunt Canone 36. Non conabor absolutam omnibus ac singulis hujus Synodi canonibus authoritatem vendicare: verumtamen hoc obiter moneo Adversarios non facilè posse hujus Synodi authoritatem defugere: idque primò quia in Concil. Nicæno 2. (quod iis septimum Generale est) *sæpius vocatur Sancta & universalis Synodus Sexta.* Secundò, Tarasius Patriarcha Constantinop. ibidem Act. 4. *dicit neminem de Canonibus hujus Synodi dubitare debere.* Tertiò, ibidem actione 8. Can. 1. judi-

judicialiter & definitivè approbantur Canones non ſolum quinque primarum Synodorum, ſed etiam Canones ſextæ Synodi, id eſt, Canones à Concilio quiniſexto, editi nomine Sextæ Synodi: nam ſexta Synodus nullos canones edidit. Quartò, Adrianus Papa in Epiſtola ad Taraſium (quæ extat act. 2. prædictæ Synodi Nicænæ 2.) judicialiter & ex Cathedra hæc verba (ſecundùm verſionem Anaſtaſii, quæ Binio maximè probatur) pronunciat: *Et eaſdem Sanctas ſex Synodos ſuſcipio cum omnibus regulis quæ jure ac divinitus ab ipſis promulgatæ ſunt. Inter quas continetur*, (citat Canonem 82. Conc. quiniſexti) In quibuſdam venerabilium, &c. Hîc Adrianus canones Concilii quiniſexti ad ſextã Synodum refert eoſq; non minus quam prçcedentium Synod. can. amplectitur. Nã illa verba, IURE AC DIVINITUS (in quib⁹ nõnulli ſubterfugiũ quærunt) laudantis potius quam hæſitantis ſpeciem præ ſe ferunt: nec magis coarctant & limitant ſententiam Papæ, de canonibus ſextæ Synodi, quam de canonibus priorum Synodorũ. Sed hæc miſſa facio, & hoc unum urgeo (quod ad rem præſentem maximè facit) videlicet, hos 227. Orthodoxos & Cathol

tholicos Patres non eum Pontificiis sensisse, Canonum Ecclesiasticorum authoritatem à Papæ approbatione simpliciter, pendere. Si enim in hac sententia fuissent, non renovassent & confirmassent illud Conc. Chalcedonensis decretum, quod à Romana sede sæpius damnatum esse sciebant.

Tertiò idem datet ex Historia 5. Concilii Generalis, in quo contra expressam Vigilii Papæ sententiam, immò contra Apostolicum ejus decretum, seu *Constitutum*, ut illic vocatur, quod ad Imperatorem & Concilium transmiserat damnātur tria Capitula, omnesq; trium Capitulorum defensores; et proinde ipse Vigilius Papa (qui pertinaciter tria Capitula defendebat) anathematizātur Collatione 8. vide acta hujus Synodi apud Binium, item apud Baronium, ANNO 553. 4.

Quartò, ex actis Concilii Francofurdiensis, quod ipso Baronio fatente annalium tomo 9. Anno 794. numero 1. fuit plenarium & universale Concilium: in eo enim contra Synodum Nicænam secundam ab Hadriano Papa confirmatam, atque adeo cōtra expressam Papæ sententiam definitum est, (idque Legatis Papæ contradicentibus) *Imagines non esse adorandas*. Nec verisimile est quod dicit Bellarm. lib. 2. de Concil. Cap. 8. Patres il- 5.

lius Concilii putasse Papam Hadrianum isti decreto Concilii Nicæni, de adorandis Imaginibus, non assensisse: idque primò, quia res tanti momenti non potuit esse incognita tot Episcopis, qui teste Baronio, loco citato, ex Italia, Germania, & Gallia, frequentes Francofurti convenerunt. Deinde Legati Pontificis Rom. ut narrat Baronius eodem anno, numero 28. et adfuerunt, et vehementer contradixerunt iis quæ adversus Synodum Nicænam secundam ibi decreta sunt. Proculdubio igitur indicarunt Patribus Francofurtensibus Synodum illam à Papa esse cõfirmatam: item Papæ sententiam, de adorandis Imaginibus iis exposuerunt. At illi ea spreta et rejecta contrarium definierunt, videlicet Imagines non esse adorandas. Ergo non putarunt aut Papæ judicium, de rebus Fidei, esse infallibile, aut Concilii Nicæni secundi decreta ob Papæ confirmationem esse certa et indubitata, aut ipsorum decreta fore irrita si Papæ displicerent. Si enim in ea fuissent sententia, non edidissent decreta Papæ judicio adversantia:

Quintò, ex actis Concilii Parisiensis cele-
9. brati anno 825. in quo decretum secundæ Synodi Nicænæ pro cultu Imaginum, et Hadriani Papæ confirmatio et defensio istius decreti, examinantur, dijudicantur, et repre-

hendunt

hendunter, et sic *judex totius mundi judicatur*, ut loquitur Bellarm. in Appendice ad Tract. de Imaginibus, *Cap.* 3. Hoc patet ex Epistola à Patribus istius Concilii ad Lodovicum et Lotharium Imperatores missa, in qua non procul ab initio hæc verba habentur: *Et ideo primùm Epistolam Domini Hadriani Papæ quam pridem pro* Imaginibus *erigendis Constantino Imperatori & Irenæ matri ejus ad eorum deprecationem in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus: & quantum nostræ parvitati res patuit, sicut justè reprehendit illos qui Imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere & penitus abolere præsumpserũt,* SIC INDISCRETE NOSCITVR FECISSE QVOD SVPERSTITIOSE EAS ADORARI IVSSIT. *Pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & sua authoritate sub jurejurando censuit ut erigerentur & adorarentur, & sanctæ nuncuparẽtur, cum eas erigere licitum, adorare verò nefas sit.* Hanc Epistolam lege apud Baronium Anno 825. §. 5. De eadem vide Bell. in Appendice ad tractatum de cultu Imaginum: et ne putes horum Conciliorum Francof. videlicet,

et Parisiensis decreta piis et doctis Viris displicuisse quod Papæ judicio adversarentur, consule Baronium, qui Anno 794. à numero 39. ad 42. docet multos viros eruditione conspicuos et magni in eo seculo nominis, videlicet, Ionam Aurelianensem, Walfridum, Hincmarum, et alios scripsisse contra Imaginum cultum, et secundæ Synodi Nicænæ à Papa confirmatæ adversarios fuisse.



CAPVT XIV.

Papam de facto judicialiter errasse demonstratur.



1. RIMÒ hîc nobis occurrit Liberius Papa, qui cum Arrianis communicavit, & confessioni ab iis editæ in Conc. Sirmiensi subscripsit; unde sic argumentor: Errare in approbãdis Conciliorũ Generalium Actis, Cõfessionibus, aut Decretis, est judicialiter errare: nam inter omnes actus qui Rom. pontifici ascribi possunt, hic maximè judicialis est. At papa sic errare potest, imò de facto sic erravit, ut patet ex

ex hoc exemplo Liberii papæ. Primò enim ſententiam Concilii Sirmienſis, contra Athanaſium Orthodoxæ Fidei profeſſorem pronunciatam *ſuo ſuffragio comprobavit*, ut loquitur Binius in Notis in 7. Epiſt. Liberii, Tomo 1. Conciliorum, parte 1. pag. 470.

Secundò, primam fidei confeſſionem ab Arrianis in Concilio Sirmienſi editam *approbavit tanquam Catholicam*, ut loquitur Binius in Notis in 7. Epiſtolam Liberii Papæ. At ea revera non eſt Catholica, & graviter errant qui eam Catholicæ veritati conſentaneam eſſe affirmant, videlicet, Bellarm. lib. 4. de pontif. Cap. 9. Baronius Anno 357. §. 9. Binius in Notis in Concilium Sirmienſe, & alii. Primò enim edita fuit ab hæreticis Arrianis. Secundò fuit ambiguè propoſita ad palliandã hæreſin, ſeu ut Binii verbis utar loco citato, *veteratoriè & per ſummã ſimulatione edita fuit*. Tertiò, nomẽ Consvbstantialis in magna Synodo Nicæna probatũ, quod ut loquitur Baronius Anno 344. §. 5. ſolidum fidei robur eſt, de induſtria omiſit, illudque omittẽdo tacitè negavit conſubſtantialitatem CHRISTI cum PATRE. Vnde Binius in notis in Conc. Sirmienſe, pag. 480. dicit hoc nomen *ad fidem Nicænam explodendam omiſſum eſſe*. Quartò, ipſi Adverſa- 2.

rii

rii dicunt Athanasium & Occidentales Episcopos hanc confessionem & alias ei similes, *ut futiles erroneas & hæreticas meritò abdicasse, & rejecisse, quia consubstantialitatem Filii cum Patre dolosè reticebant.* Vide Binium, in Notis in Conc. Mediolanense primum, sub Iulio Papa, pag. 422. & in tertiam confessionē Conc. Sirmiensis; Baronium Anno 344. §. 4. & 359. §. 10. & Spondanum Anno 344. §. 2. & 359. §. 4. Ex his patet Liberii error & turpissimus lapsus in actu maximè judiciali. Si enim Athanasius primam Confessionem Concilii Sirmiensis, ut *hæreticam meritò abdicavit*, (verba Binii sunt) quo pacto potuit Liberius eam ut Catholicam approbare. Sique Occidentales Episcopi in Conc. Mediolanensi congregati Confessionem secundi Conc. Antiocheni, *sapientissimè rejecerunt ut futilem sive superfluam & erroneam* (verba Baronii sunt) quia nomen CONSVBSTANTIALIS non fuit in ea expressum; proculdubio Liberius debuit primam Confessionem Conc. Sirmiensis rejicere, ut futilem & erroneam, quia videlicet illud ipsum nomen in ea non fuit expressum. Quintò, Patres illā fidei formulā cui Liberius subscripsit *hæresin* vocant, ut disertè fatetur

BELL.

Bellarm. lib. 4. de Pont. Cap. 9. *Athanasius verò* (inquit) *& Hieronymus locis citatis apertè dicunt eum tædio exilii inflexum tandem fuisse ad subscriptionem hæreseos.* Sextò, cum controversia inter Catholicos & Hæreticos agitatur de nomine Consubstantialis, utrum videlicet in Confessionibus Fidei exprimi debeat; illæ Confessiones in quibus illud nomen de industria omittitur, simpliciter & absolutè repudiari debent ut hæreticæ. Ergo non debent simpliciter & absolutè approbari, & multo minus debent omninò, seu omni ex parte approbari, ita videlicet *ut in nullo iis contradicamus.* At Liberius hoc modo approbavit Concilii Sirmiensis Confessionem, ut patet ex 7. ejus Epistola ad Episcopos Arianos: *Itaque* (inquit) *amoto Athanasio super quo statuta omnium vestrum à me cum sede Apostolica suscipienda sunt; dico me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, pacem & unitatem habere. Nam ut verius sciatis me veram fidem per hanc Epistolam meam proloqui: Dominus meus & communis frater Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia,* fidem

veram

veram & Catholicam *exponere quæ Sirmii à pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata exposita & suscepta est; hãc ego libenti animo suscepi* IN NULLO CONTRADICENS. Hîc Liberius cum dicit se *in nullo contradicere*, apertè profitetur se nihil in ea Confessione damnare, & per consequens, non damnare omissionem vocis *Consubstantialis*, quæ ut loquitur Binius, *ad fidem Nicænam explodendam omissa est*.

3. Secundò, Vigilius Papa decretum Quinti Conc. Generalis, de Hæreticis post mortem excommunicandis damnavit, ut ex ipsius *Constituti* verbis supra citatis patet. Ergo judicialiter erravit in reprobatione decreti Synodici ad mores pertinente. Ratio consequentiæ est quia hoc decretum fuit pium & orthodoxum, ut patet primò ex rationibus & argumentis quibus Patres in Collatione 8. id confirmant. Secundò, quia multi Pontifices Romani hanc Synodum approbarunt v. g. Pelagius, Gregorius I, Adrianus I, imò ipse Vigilius tandem abrogato seu revocato suo *Cõstituto, eam sua auctoritate Põtificia cõfirmavit*, ut loquitur Binius in Notis in Cõcil. 5. Oecumenicum.

Tertiò,

Tertiò, Honorius Papa errorem suum Monotheliticum ob quem in duobus Conciliis Generalibus damnatus est, non privatim dũtaxat tradidit, sed apertè et publicè professus est, eundemq; fidelibus sequendũ tradidit. Stapletonus Controv. 3. quæst. 4. Conclus. 2. dicit Papam judicialiter sentẽtiam suam proponere, *quando de fide consultus ex officio respondet:* idem etiam docet Hartus, in Colloquio suo cum Rainoldo, Cap. 7. sect. 3. pag. 471. editionis latinæ: unde sic argumentor; Sergius Patriarcha Cõstantinopolitanus consuluerat Honorium, non ut privatam personam, sed *vt Papam Romanum*, ad quem imprimis tanquam primarium Patriarcham pertineret cura conservandæ veritatis & pacis in universali Ecclesia. Idcirco ait Sergius in Epistola sua ad Honorium Papam, (quæ publicè lecta est in Conc. 6. Act. 12. apud Binium tomo 3. parte 1. pag. 143.) se *rationabile simul & necessariũ judicasse*, ut eum de illa controversia rerumque statu certiorem redderet, expetens ejus judicium & rogans, *vt si quid imperfectè ab ipso dictũ sit, id per datam sibi à DEO gratiam supplere dignetur:* quibus verbis, ut monet Binius in Notis in Epistolas Honorii, tomo 2. parte 2. pag. 339. *se suaq; omnia censuræ* 4.

Ecclesiæ

Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ subjecit. De hac gravissima quæstione consultus à Sergio Honorius qua Papa Romanus, eidem qua Papa respondit, *& impia ejus dogmata confirmavit*, ut loquitur prædicta Synodus 6. act. 13. Ergo, non tantum erravit personaliter, sed etiam judicialiter. Ratio consequentiæ petenda est ex Stapletoni verbis supra citatis, quia quando Papa de Fide consultus ex officio respondet, tunc judicialiter et ex Cathedra sententiam suam pronunciat. Hîc quidam ex Adversariis Actis publicis Conciliorum, & Decretalibus Epistolis Pontificum, fidem derogant, corruptiones ac imposturas Hæreticorum causantur, & ut uno verbo dicam, omnia subvertunt, ne Honorium hæreseos damnatum esse concedant. At littus arant, nam ut monet Staplet. Controv. 3. quæst. 4. Resp. ad argumentum 7. *de damnato Honorio quæ scribuntur maximæ authoritatis & fidei sunt*. Alii verò (inter quos est Stapletonus loco citato) fatentur quidem hanc Historiam de damnatione Honorii verissimam esse; sed dicunt Patres sextæ Synodi ex falsa informatione, et non intellectis Honorii Epistolis, Honorium hæreticis immeritò connumerasse, et proinde in eo judicio errasse. At primò Adversarii præcipitem et immanem suam audaciam

daciam nimis manifeſtè produnt, cum eorum ſcriptorum defenſionem ſuſcipiunt, quæ à legitimis et Orthodoxis Conciliis Occumenicis ex matura diuturnaque deliberatione, cum totius orbis Chriſtiani unanimi et conſtanti per tot ſecula applauſu damnata ſunt. Secundò, non parum Conciliorum Generalium, et Summorum Pōtificum authoritatem elevant, cum dicunt eos errare poſſe in damnandis vel approbandis eis ſcriptis, in quibus fidei dogmata tractantur. Hinc enim ſequitur eos poſſe ea ſcripta ut orthodoxa fidelibus commendare quæ revera peſtiferis et deteſtibilibus hæreſibus ſcatent: ſequitur item Pontificem poſſe errare in approbandis vel reprobandis eis ſcriptis in quibus Concilii alicujus Canones vel Decreta proponuntur. Non minus enim poſſibile eſt ut malè intelligat Conciliorum Canones, quam ut malè intelligat prædeceſſorum ſuorum Decretales Epiſtolas.

Quartò, Stephanus VI. & Sergius III. 5.
non ſolum errarunt in præcepto ad mores pertinente, jubendo eos iterum ordinari qui à Formoſo Papa ordinati fuerant, ut ſuprà docui hoc ipſo Tractatu *Cap.* 5. §. 4. ſed etiam decreverunt ordines ſacros quos ille contulerat non eſſe ratos (quia videlicet à Papa Iohanne VIII. depoſitus ac degradatus

fuit) qui est error manifestus contra Fidem ut omnes fatentur. Bellarm. lib. 4. de Pontif. Cap. 13. nimis impudenter negat eos tale decretum edidisse. Nam primò, non poterant jubere eos iterum ordinari quos Formosus ordinaverat nisi prius judicialiter declarassent ordines ab eo collatos non esse ratos. Secundò, clarissimi historici contrarium testantur. Verbi causa: Sigebertus in Chronico, pag. 74. Anno 902. ea de re sic loquitur: *Hic* (supple Stephanus) *primùm à Formoso Papa Episcopus Anagninæ Ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & ordinationis ejus omnes irritas esse debere decernit*. Martinus Polonus in Supputationibus, pag. 158. Anno 898. *Hic* (inquit) *à Formoso Papa Episcopus Anagniæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & omnes ordinationes ipsius irritas esse debere decrevit*. Platina in vita Iohannis X. de Stephano Papa sic loquitur; *Qui* (supple Stephanus) *censuit eos iterum ordinandos esse quos Formosus Papa ad sacros ordines asciverat*.

6. Quintò, de errore Cœlestini Papæ, circa Matrimonii dissolutionem per hæresin, sic disserit Alphonsus à Castro, lib. 1. adversus hæreses,

resses, Cap. 4. *Neque hic Cælestini error talis fuit qui soli negligentia imputari debeat: ita vt illum errasse dicamus velut privatam personam, & non vt Papam: quoniam hujusmodi Cælestini definitio habebatur in antiquis decretalibus in* Capite Laudabilem, *titulo* de Conversione Infidelium, *quam ego ipse vidi & legi.*

Capvt XV.

Ex eo quod Papa potest errare personaliter evidenter probatur eum errare posse judicialiter.



Vppono quæstionem illam in qua Pontifex privatim et personaliter errat, esse in Ecclesia determinandã et definiendam judicio et authoritate Romani Pontificis: et quæro quid in hoc casu facturus sit Pontifex, seu qualem sententiam sit publice & ex cathedra pronunciaturus? Vtrum videlicet publica & judicialis Papæ personaliter errantis sententia futura sit 1.

 conform

conformis propriæ & privatæ ipsius sententiæ? An verò futura sit ei contraria, ita videlicet ut Pōtifex aliud loquatur, aliud sentiat? An denique, DEO intus mentem ipsius illustrante, subitò cum cathedram conscēdit sententiam mutaturus sit, ita videlicet ut non solum publica et judicialis, sed etiam privata et personalis ejus sententia sit vera?

2. Si primum dixeris (quod sanè reliquis duobus probabilius est) apertè sequetur Papam judicialiter errare posse. Nam qui personaliter errat, et secundū privatum seu personalem suum errorem sententiam judicialiter pronunciat, is etiam judicialiter errat.

3. Secundum dici non potest: qua enim ratione adduci poterit Pontifex, ut id quod privatim apud se putat esse falsum publicè et judicialiter dicat esse verum. Respondent Pontificii: *Quemadmodum Caiphas prophetavit, nesciens quid diceret, cum esset Pontifex illius anni: ita summus Pontifex hæreticus, quamdiu fungitur officio Pontificis poterit definire veritatem contra propriam sententiam ex instinctu Spiritus Sancti: immò summus Pontifex hæreticus intelliget id quod definit, esse contrarium propriæ sententiæ, & nihilominus definiet illud ordinante*

dinante Spiritu Sancto, qui aßistit officio summi Pontificatus. Sed qui sic respondent insigni injuria afficiunt Spiritum Sanctum, eumque mendacii, & proinde peccati authorem faciunt. Qui enim in re maximè seria dicit id esse verum, quod putat esse falsum, is mentitur: nam mentiri est contra mentem ire: item is reluctante & contradicente conscientia controversiam definit, & proinde in ea definienda graviter peccat. ROM. 14. 23.

Si tertium dixeris, sequetur Papam in casu hæreseos non debere ab Ecclesia deponi & 4.
in ordinem redigi. At absurdum est posterius & apertè contrariũ Canoni *Si Papa*, distinct. 40. et sermoni 2. Innocentii de consecratione Pontificis: item sententiæ Hadriani Papæ, & Concilii Romani sub eo celebrati; & quod majus est, sententiæ Concilii 8. Generalis: vide Bellarm. lib. 2. de Pontif. Cap. 30. §. *Tertia opinio*. Ergo etiam absurdũ est prius.

Probatur propositio major: quia ridiculum, immò impium & charitati Christianæ 5.
contrarium est, eum ob hæresin deponere qui facillimè ab hæresi revocari potest, ut patet ex dicto Apostoli, in Epist. ad TIT. cap. 3. v. 10. At nemo mortaliũ ità facilè ab errore revocari potest quàm Papa. Si enim de illa ipsa cõtroversia in qua errat ab Ecclesia cõsulatur, si ro-

getur ut sententiam suam de ea judicialiter et ex cathedra pronunciet statim errorem suum deponet, et veritatem amplectetur. Quæ sanè est facillima et expeditissima ratio revocandi Pontificem ab errore.



CAPVT XVI.

Confutatur responsio Gregorii de Valentia, ad argumentum superiori capite propositum.



1. Gregorius de Valentia, Tomo 3. Disp. 1. Quæst. 2. Punct. 7. §. 41. hoc ipsum argumentum proponit, & ad illud respondere conatur; verba ejus hæc sunt; *Rursus sicut liberè potest (vt admittunt Turrecremata & Sylvester locis paulò superius citatis) velle quantum in se est obtrudere Ecclesiæ privatū errorem suum manifestum: ita etiam videtur posse eadē libertate velle ipsi obtrudere errorem aliquem non manifestum. Fieri igitur potest*

test aliquo casu, ut de re alioqui controversa, nec satis apud Catholicos explorata, errorem definiat.

Atque id rursus ea re confirmatur. 2.
Nam potest accidere, ut quo tempore Pontifex errore non manifesto imbutus esset, eodem tempore necesse esset in Ecclesia determinari controversiam circa materiam illius erroris. Quo casu ut apparet, Pontifex erroneam sententiam suam definiret.

Respondeo ad hoc argumentum, fidelitatem DEI, qua is ex promissione tenetur 3.
communem Ecclesiæ errorem impedire, tunc obstare, quo minus Pontifex errore non manifesto imbutus vellet Ecclesiam ad illum recipiendum obligare: teneretur enim illa tunc errorem ejusmodi recipere, si res esset planè controversa; atque ita teneretur errare, quod est absurdissimum.

Ad confirmationem autem illius argumenti respondeo, similiter ad fidelitatem 4.
DEI erga Ecclesiam spectare, ut impediret in eo casu quo minus per Pontificem illum controversia falsò definiretur. Id quod facere DEVS posset, aut Pontificem de medio

medio tollendo, ne ipse, sed successor potius rem decerneret: aut interna mentis illustratione, vel alio aliquo modo Pontificem ab errore revocando. Neque verò hujusmodi providentia DEI in similibus casibus miraculosa esset censenda, sed esset potius quidam effectus ejus legis ordinariæ, qua DEVS per promissiones de veritate factas, sese obstrinxit Ecclesiæ.

5. Ac sanè hujus rei exemplum illud proferri potest, quod cum Ioannes 22. existimaret, Sanctorum animas ante diem judicii divinam essentiam non videre, idque eo tempore, quo in Ecclesia (sicut Canus etiam lib. 6. de locis Theologicis, cap. ult. ad 1. argum. notavit) nondum erat satis explicata hæc controversia, & ad rem definiendam sese compararet; priusquam id faceret, è vita excessit. Quod & illius successor Benedictus XI. refert in Extravaganti BENEDICTVS, de qua Extravag. lege Alphonsum à Castro, lib. 3. adversus Hæreses, verbo BEATITVDO, Hæres. 6.

6. Hæc Valentiani responsio multis modis peccat

peccat, primò enim principium petit cum dicit Ecclesiam in re nondum judicialiter definita teneri recipere sententiam Papæ judicialiter errantis. Sunt miserrima Papæ mancipia, qui hoc statuunt, et Papa qui hoc sibi arrogat profitetur palam et præ se fert diabolicam tyrannidem.

Secundò, DEI providentia & fidelitas erga Ecclesiam passa est multos Pōtifices Romanos Rempublicam & Ecclesiam turbare, 7.
& ut habetur Dist. 40. Can. *Si Papa*, innumerabiles populos catervatim secum ad Gehennam ducere. Item passa est Marcellinum Papam sacrificare Idolis, Liberium communicare cum Arrianis & Hæreticam fidei confessionem ab iis editam suo suffragio confirmare, ut patet ex iis quæ dicta sunt Cap. 14. Denique providentia DEI passa est Arrianam hæresin ita universum orbem occupare, ut scriberet Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, *ingemuisse totum orbem, & se Arrianum esse, miratum esse* &c. Vide Stapleт. lib. 2. princip. doctrin. Cap. 18. ubi fatetur non prorsus à veritate aberrare dictum Lutheri asserentis, *vix quinque toto orbe Catholicos Episcopos reliquos fuisse, eosq́; suis sedibus pulsos, regnantibus ubique Arrianis publico nomine & officio Ecclesiæ.*

Cum igitur summa DEI fidelitas erga Ecclesiam suam passa sit hæc fieri quæro ex Valentiano, unde sciat ad DEI fidelitatem erga Ecclesiam suam spectare ut impediret in casu prædicto quo minus per Pontificem illum controversia falsò definiatur.

8. Tertiò, multi Scholastici Doctores (ut infrâ patebit) affirmant DEVM salva omnium suarum promissionum veritate quibus Ecclesiæ se obstrinxit, permittere posse ut tota Ecclesia repræsentativa, id est Papa & Episcopi omnes cum eo in Concilio Generali congregati in definiendis fidei controversiis errent.

9. Quartò, quod dicit Valentianus de interna mentis illustratione qua Pontifex ab errore revocari potest id supra à me confutatum est.

10. Quintò, ridiculè etiam dicit DEVM tollendo Papam hæreticum de medio impedire quo minus in definiendis controversiis judicialiter erret. Frustra enim is de medio tollitur ne judicialiter erret qui eam habet Sancti Spiritus assistentiam ut nunquam judicialiter errare possit. At Papa ex Adversariorum sententia hanc Spiritus Sancti assistentiam habet. Ergo is frustra è medio tollitur. Propositio manifesta est, quia frustra adhibentur media præsertim extraordinaria et violenta ad id impediendum quod planè impossibile est.

Ineptè

Ineptè et absurdè quis dixerit aliquem de medio tolli ne in aere volet, aut super aquas ambulet, aut montes transferat: idque quia hæc impossibilia sunt. Ineptè etiam quis dixerit Petrvm aut Pavlvm, aut aliquem alium ex Apostolorum numero repentina morte extinctum esse ne schismata faceret, aut hæreses disseminaret, aut pacem Ecclesiæ turbaret, idque quia omnes norunt Apostolos hoc modo in DEVM & Ecclesiam peccare non potuisse. Ergo pari ratione absurdum & ineptum est dicere Papam qui judicialiter errare non potest è medio tolli ne judicialiter erret.

Sextò, hoc Valentiani effugium de Papa hæretico è medio tollendo ne hæresin suam judicialiter & ex Cathedra Ecclesiæ obtrudat, Papæ judiciariam infallibilitatem funditus evertit. Quicunque enim judicialiter erraret si diuturnior lucis hujus usura ei concederetur is judicialiter errare potest, at Papa personaliter errans si diuturnior lucis hujus usura ei concederetur ex Valentiani sententia judicialiter erraret. Ergo is judicialiter errare potest. Major manifesta est: patet etiam minor nam Valentianus dicit Papam de medio tolli ne judicialiter erret. Ergo si non de medio tolleretur, sique sententiam pronunciare permitteretur procul dubio judicialiter erraret. 11.

Sep-

12. Septimò, Pontificii egregiam Sancti Spiritus assistentiam Papæ ascribunt & divinum Papalis infallibilitatis privilegium pulcherrimè explicant cum dicunt Papam personaliter errantem à DEO percuti & occidi ne judicialiter erret. Hoccine est privilegiũ aut donũ quod CHRISTVS oratione sua LVCÆ 22. Vicariis suis impetravit, ut videlicet si privatos suos errores Ecclesiæ obtrudere conentur, violento & tragico mortis genere in medio dierum suorum abripiantur.

13. Concludo igitur hoc commentum de Papa hæretico è medio tollendo, esse ridiculum & absurdum, immò æternæ & inevitabili contradictioni obnoxium. Quam enim dissona et repugnantia sunt hæc dogmata: *Ne tota Ecclesia erret Papa Romanus cum suprema authoritate & judicandi infallibilitate Ecclesiæ toti præficitur.* Et rursus: *Ne tota Ecclesia erret, à Papa videlicet seducta, Papa cum tota sua authoritate & infallibilitate è medio tollitur.* Item, *Papa eam habet Sancti Spiritus assistentiam ut judicialiter & in Cathedra errare non possit*: et rursus: *Papa si diutius inter homines ageret, non obstante speciali illa Sancti Spiritus assistentia, judicialiter & in cathedra erraret.*

CAPUT XVII.

Consideratur Parisiensium Doctorum sententia de authoritate Concilii Generalis, & quatenus ea admitti possit docetur.

SUperioribus sectionibus confutavi Iesuitarum doctrinam de authoritate Ecclesiastica, & sufficienter demonstravi Papæ judicialem sententiam (quam Turnebullus suprêmam Ecclesiæ definitionem appellat) non esse infallibile DEI Verbum. Nunc consideranda venit sententia Parisiensium Doctorum, qui dè authoritate Ecclesiastica cautiùs & prudentiùs loqui videntur. Dicunt enim supremam potestatem judicandi de controversiis fidei non esse in Papa, sed in Eclesia, sive Concilio Generali: item sententiam Concilii Generalis ex se & ante Papæ cõfirmationem esse infallibilem. Hanc sententiam sicut omni ex parte non damnamus, ita simpliciter & absolutè probare non possumus. 1.

Primò enim fatemur supremam potesta- 2.

temEcclesiasticam judicandi de cōtroversiis fidei esse in Concilio Generali & legitimo: quæ quidem potestas quamvis non sit ex se infallibilis, nec à DEO instituta sit, ut sit suprema & principalis fidei nostræ regula, & proinde non possit per se & sua authoritate obligare fideles ad id credendū quod in Cōcilio definitum est, valet tamē ad eum finem consequendum in quem instituta est: hoc est ad vitandam confusionem & Ecclesiarum dilacerationem. Patet hoc primò, quia Concilium potest eos, qui ipsius decretis palā contradicunt excōmunicationi & aliis censuris Ecclesiastasticis subjicere. Secundò, Cōciliorum legitimorum auctoritas insignē vim & efficaciam, præ multis aliis fidei motivis, habet ad persuasionem de veritate doctrinæ in Concilio definitæ, hominum animis ingenerandā. Nam (ut rectè monet doctissimus noster Camero, Tom. 1. Prælect. de Eccl. Tract. de infallibilitate Ecclesiæ) quoties aliquid decretum est à cœtu quodam hominum, qui in aliqua authoritate constituti sunt in Ecclesia, facit hoc ut ne temere, et non adhibita accurata et gravi observatione id rejiciatur.

3. Ex iis quæ dicta sunt patet, Scriptores Pontificios impudenti calumnia petere Ecclesias Reformatas, cum dicunt eas Cōciliorū utilitatem non agnoscere, et nō pluris facere decret

decretum Conc. generalis, quam sententiam privati alicujus Doctoris. Non tam inique de Concil. generalibus judicamus. Nam in iis agnoscimus, 1. Autoritatem divinitus datam definiendi controversias fidei, quam nemo sanę mentis privatis Doctorib⁹ tribuet. 2. Potestatem subjiciendi omnes, qui ipsius decretis repugnant, censuris Ecclesiasticis. 3. Assistentiam Spiritus S. peculiarem, atque adeo majorem ea, quæ Doctoribus seorsum judicantibus competit. 4. Certiora etiam media investigandi veritatem, viz. præcipuorū pastorum totius Ecclesiæ orationes, jejunia, disputationes, etc. 5. Meliorem rationem cognoscendi, quæ sit de orta aliqua quæstione totius Ecclesiæ sententia, et quā traditionem servent Ecclesiæ, ut loquitur Bell. Lib. 4. de Pont. Cap. septimo. 6. Faciliorem rationem reducendi Ecclesiæ decreta et constitutiones ad praxin. Nam, ut monet Bell. loco citato, *quando fit generale Concilium omnes Episcopi subscribunt, & profitentur se amplecti illud decretum, & sic deinceps in suis Ecclesiis prædicaturos: quando autem non fit generale Concilium, non est tam facile reducere ad praxin decretum de fide factū.*

4. Deniq. potest quivis palam contradicere sententiæ privati alicujus Doctoris, si vel de ea dub

ea dubitet, vel ob leves et probabiles rationes eam falsam esse putet. At longe aliter sentimus de Conciliorum generalium decretis. Nam qui dubitant de veritate sententiæ à Synodo pronunciatæ, aut ob leves et probabiles rationes eam falsam esse putent, atq; adeo non certò sciunt eam esse talem, tenentur decreto Synodico præstare obedientiam quandam *imperfectam*, quæ, distinctionis causa, *obedientia congrua*, id est, ordini & decoro in tali casu consentanea appellari potest: quæque nihil aliud est, quam Christianæ humilitatis et modestiæ obsequium, quo fideles in hujusmodi casu abstinent à publica seu aperta, tum professione suæ sententiæ, tum damnatione vel confutatione sententiæ à Synodo pronunciatæ: et interim, solicitè scrutando Scripturas, veritatem indagant, DEUMque orant ut veritatem suam hominibus manifestet, et Synodi lapsus seu errores detegat iis, quibus Ecclesiæ cura commissa est, ut, illis agnitis, contraria doctrina in alio saniore Concilio stabiliatur. Hanc obedientiam probant et fidelibus commendant, Occam Part. 3. Dial. Tract. 1. Lib. 3. Cap. 6. Gerson Part. 1. Tract. de Exam. Doct. Sect. 1. Cons. 2. Item doctissimi quidam Theologi Ecclesiæ ANGLICANÆ, quorum labo-

ribus

ribus plurimum debet universa Ecclesia Reformata. Vide Doctorem RICHARDUM FIELD, Lib. 5. de Eccles. Cap. 51. Pag. 666. Authorem Respons. ad Relationem FISHERI Iesuitæ de tertio suo Colloq. Pag. 47. & IACSONUM Lib. 2. Comment. in Symb. Sect. 1. Cap. 4. 5. & 6.

Vt autem hæc melius intelligantur; Notandum est in decretis Ecclesiæ duo respicienda esse, videlicet, *veritatem* & *authoritatem*: veritatem *divinam*, et authoritatem *humanam seu Ecclesiasticam*. Præcipuè quidem respicienda est *veritas*. Nam 1. ei non solum debetur *obedientia exterior*, sed etiam *interior* illa quam Apostolus *obedientiam fidei* vocat, ROM. 16. 26. 2. Veritatem manifestam recipere et amplecti tenemur quamvis sit sine authoritate Ecclesiastica, immò quamvis sit Ecclesiasticæ authoritati contraria. At authoritati Ecclesiasticæ, si sit manifestè contraria veritati, nequaquam debetur obedientia: Vnde Panorm. in Cap. Significasti, de Electione, dicit, *vnius privati sententiam, præponendam esse sententiæ Papæ si iste privatus moveatur melioribus authoritatibus Testimenti Veteris & Novi*: & Gerson, Part. 1. de Exam. 5.

Doct. Sect. 1. Cōs. 5. asserit *quemcunq. hominem doctū posse & debere toti Concilio resistere, si videat illud ex malitia vel ignorantia errare.*

6. At suo loco et gradu etiam respicienda est authoritas. Nam primò semper et in omni casu debemus ei *reverentiam*, etiam quando falsa et impia decernit: tunc enim *pius Ecclesiæ filius non perperam ei insilit, sed ab ea reverentiali quodam pudore percussus abscedit*, ut loquitur Waldensis, Tomo 1. Lib. 2. Cap. 27. Secundò, debemus illi etiam *obedientiam externam*, nisi quando evidenti aliquo argumento percipimus eam falsa et impia præscribere vel definire: tunc enim sequenda est illa aurea regula quæ habetur ACT. 5. 29. *DEO potius quam hominibus obediendum est.* Dixi *nisi quando evidenti aliquo argumento*, &c. quia non licet ob leves aut probabiles rationes judicio Pastorum Ecclesiæ refragari.

Patet hoc. Primò, quia, quando ut obediamus decretis Ecclesiæ suadet certa et manifesta authoritas, cui, DEO ipso jubente, obtemperare debemus, ut verò iisdem adversemur suadent conjecturæ et incertæ vel probabiles rationes, tunc communis regula est

sequend

equenda, *Tene certum, relinque incertum*. Vide Gerardum Tom. 6. Part, 2. §. 399. Secundò, qui putant laicos et privatos doctores posse ob probabilia et minus evidentia argumenta decretis Ecclesiæ palam refragari, illi effrænem iis dant et infinitam licentiam contradicendi quibuslibet decretis Ecclesiasticis. Nam nullum ferè est decretum Ecclesiæ contra quod non possint adferri argumenta aliquam probabilitatis speciem habentia.

Quæret aliquis quid hic intelligamus per argumentum evidens, cum dicimus *obedientiam externam* deberi authoritati Ecclesiasticæ, nisi quando evidenti aliquo argumento constat eam falsa et impia præscribere? Resp. Argumentum evidens (definiente Valent. Tom. 3. Disp. 7. Quæst. 3. Punct. 2.) est *non quod ipsi soli subdito ex passione forte videbitur, sed quod judicio aliorum prudentium, & proborum, & peritorum, judicabitur, aut judicari poterit esse tale*. Si igitur aliquis quærat, quis de isto argumento, ejusque evidentia & pondere judicare debeat; Respondeo ex Valentiano, alios pios et doctos viros de eo judicare debere, qui si privatim & apud se censeant illud argumentum magnam evidẽtis veritatis speciem præ

 se ferre,

se ferre, summa ope niti debent, ut in alio paris auctoritatis Concilio illa ipsa controversia quæ prius definita est diligentius tractetur & dijudicetur. Nam, ut rectè monet Augustinus, Lib. 2. contra Donatistas, Cap. 3. Concilia plenaria priora posteriorib⁹ emendari possunt.

7. Secundò, non damnamus simpliciter et absolutè id, quod Parisienses de Conciliorum infallibilitate docent. *Piè* enim et *probabiliter* credi potest Concilia verè generalia et legitima, hoc est, legitimè convocata, et procedentia, ita gubernari et dirigi à Spiritu S. ut non errent in dogmatibus fundamentalibus. Vide doctissimi Episcopi Norwicensis librum, qui inscribitur *Orthodoxa fides & via ad Ecclesiam*, Cap. 3. §. 1. Item Respons. R. B. ad Fischeri Iesuitæ relationem de tertio suo Colloq. Pag. 52. Dico hoc *credi posse*, quia certò constat talia Concilia nunquam hactenus errasse in dogmatibus fundamentalibus. Dico hoc *piè* et *probabiliter* credi posse, quia plena et perfecta fidei certitudo de Conciliorum infallibilitate in ejusmodi rebus ex S. Scriptura haberi non potest.

8. Tertiò, id etiam in Parisiensium sententia probamus & laudamus, quod dicant decretis

Conciliorum ſuam apud omnes conſtare debere authoritatem, ſive à Papa confirmentur, ſive non. Item quod aſſerant CHRISTVM peculiarem Spiritus ſui aſſiſtentiam in determinandis fidei controverſiis, non Papæ, ſed Eccleſiæ ſeu Concilio Generali promiſiſſe. Quam enim abſurdum eſt, omnium dogmatum firmitatem à Romani Pontificis authoritate et judicio arceſſere, et ultimam fidei analyſin in unius hominis pectus facere?

Verumtamen in eorum ſententia, prout à modernis Pontificiis concipitur, hæc damnamus. Primò, quod per Concilium Oecumenicum ſeu Generale intelligant Concilium ex ſolis Epiſcopis Romano Patriarchæ ſubjectis conflatũ, excludentes reliquos omnes Patriarchas et Epiſcopos iis ſubjectos; cum tamen plenarium ſeu univerſale Cõcilium *ex quinq. Patriarchalibus ſedib⁹ colligatur*, ut loquitur Cardinalis Cuſanus, lib. 2. Concord. Catholicæ, Cap. 3. Secundò, quod aſſerant Concilium Generale in nulla controverſia, vel fidei, vel morum errare poſſe. Tertiò, quod hoc dogma de Conciliorum infallibilitate teneant tanquam dogma certum certitudine fidei, et conſequenter dicant determinationem Concilii Generalis per ſe et ſua authoritate obligare nos ad id credendum fide divina quod à Concilio definitum eſt. 9.

CAPVT XVIII.

Conciliorum infallibilitatem non esse de fide ex eo probatur, quod Patres eam aut ignorarunt, aut apertè negarunt.



Atet hoc primò, quia Patres
1. in suis disputationibus contra Hæreticos in Conciliis Generalibus & legitimis damnatos, nunquam eos nuda illorum Conciliorum authoritate premunt, sed argumentis ex Scriptura & perpetua Ecclesiæ traditione petitis corū hæreses semper confutant. Quæro igitur cum nihil à sanctissimis illis & doctissimis Patribus prætermissum sit, quod ad rem faceret ut hæreticos ad sanam mentem revocarent, cur nunquam in tot libris & scriptis polemicis de infallibili & divina Conciliorum authoritate ullum verbum faciunt? Cur item hoc principium Pontificium, *Concilium generale & legitimum errare non potest*, nunquam aperte & in ipsis terminis proponunt? Cur denique non

clam

clamant Conciliorum decreta esse Spiritus Sancti oracula, iisque non minus quam Sacræ Scripturæ credẽdum esse? Certè si hoc dogma tunc temporis passim in orbe Christiano receptum fuisset, Patres id subinde ad hæreticorum audaciam comprimendam inculcassent: nam nulla aut brevior, aut facilior via seu ratio confutandi hæreses excogitari potest, si vera sit adversariorum sententia de Conciliorum authoritate.

Secundò, hoc etiam patet ex eorum scriptis, nam Athanasius libro de Synodis sic disserit contra Arianos: *Frustra igitur circuncursitantes prætexunt ob fidem se Synodos postulare, cũ sit divina Scriptura* omnibus potentior. *Quod si ad hãc rẽ usus Synodi desideratur, supersunt acta Patrũ: nam neque in hac parte negligentes fuere qui Nicææ convenerunt, sed ita accuratè scripserunt, vt qui sinceriter eorum scripta legat, facilè reminiscatur ejus in CHRISTVM religionis quæ à Sacris Literis annunciatur.* Hîc Athanasius, primò, peculiarem Scripturæ usum in stabilienda & fundanda fide agnoscit, eamque hac in re, id est, in determinandis controversiis de fide, omnibus Conciliis potentiorem esse dicit. Se- 2.

 cundò,

cundò, non urget authoritatem Concilii Nicæni tanquam divinam et infallibilem, sed illud hoc uno nomine commendat, quod diligenter, accuratè, & conformiter Sacris Literis primariam illam de CHRISTI Deitate controversiam definiverit.

3. Optatus Milevitanus contra Parmen. lib. 5. sic disputat adversus Donatistas qui Catholicos ad se venientes rebaptizabant: *Vos dicitis* licet: *nos* non licet. *Inter* licet *vestrum, &* non licet *nostrum, nutant & remigant animi populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices: si Christiani, de vtraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex: si Paganus, non potest nosse Christiana secreta: si Iudæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris nullum de hac re reperiri poterit judicium: de Cælo quærendus est judex. Sed vt quid pulsamus ad Cælum, cum habeamus hîc in Evangelio testamentum.* Hîc Optatus primò dicit nulli hominum cœtui, sive Catholicorum, sive hæreticorum, propter se, propriámve ipsorum authoritatem, credend

dendum esse; *Nemo* (inquit) *vobis* Donatistis; *nemo nobis* Catholicis *credat*. Longè alia hodie Pōtificiis mens est, qui quamvis Ecclesiæ Catholicæ tantum pars sint, eaque exigua & morbis gravissimis affecta, volunt tamen omnes credere ea esse vera quæ ipsi docent, ob hanc præcipuè rationem, quia ipsi sic docent. Secundò, ut omnes sciant eum nulli Concilio Episcoporum, infallibilem authoritatem ascribere, apertè asserit, nullum in Ecclesia haberi posse istius controversiæ judicem, supple *infallibilem & irrefragabilem*, cui videlicet ob propriam ipsius authoritatem sine ulteriori examine credendum est, ut patet ex illis verbis præcedentibus, *Nemo vobis credat, nemo nobis*: & ex ratione ei addita, *omnes contentiosi homines sumus*, quam hic repetit illis verbis, *quia studiis veritas impeditur*.

Ex his patet quam inepta sit Gretseri cavillatio, qui in Defensione Cap. 10. lib. 3. de Verbo, Col. 1460. dicit Optatum hoc dixisse non assertivè, et ex sua sententia, sed per modū concessionis, *ob mores, genium, & conditionem adversariorum, qui jam olim à Melchiade Romano Pontifice, quamvis injustissimè, ad alios judices appellarant.* 4.

Primò enim qui dicit aliquid per modum concessionis, et ex adversariorum sententia, non solet id probare quod asserit. At Optatus probat id quod asserit, & probationem suam ingeminat; imò verbis immediatè sequentibus omnes ingenii sui nervos intendit in peculiari Scripturæ Sacræ tum utilitate, tum necessitate præ omni judicio Ecclesiastico, ad determinandas fidei controversias explicãda per egregiam et pulcherrimam similitudinem quam his verbis proponit: *Quia hoc loco rectè possunt terrena cælestibus comparari; tale est quod quivis hominum habens numerosos filios. His quamdiu pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentũ. Sic & CHRISTVS quamdiu præsens in terris fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quidquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortẽ suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum. Et*

qui

qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur vivus. Cujus est testamentum, in Cælo est. Ergo voluntas ejus velut in testamento, sic in Evangelio inquiratur. Ecce hîc confirmat id quod supra dixerat, docens CHRISTI voluntatem, atque adeo dogmatum fidei veritatem, non in definitionibus judicum ecclesiasticorum, sed *in CHRISTI testamento, in Evangelio* inquirendam esse. Quis tam impudens est, ut dicere audeat Optatum hæc omnia ex adversariorum sententia dixisse?

Deinde id etiam parum satisfacit quod dicit Gretserus de moribus et genio Donatistarum, qui jam olim à Melchiade Papa appellarant. Quamvis enim Papæ judicio non acquieverunt, non tamen à Concilio aliquo Generali (cujus determinatio est supremum judicium Ecclesiæ) appellaverant. Vnde Augustinus, Epist. 162. de hac ipsa Donatistarum causa sic scribit: *Putemus illos Episcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc Ecclesiæ universæ Concilium vbi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, vt si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* His verbis August. innuit sententiam 5.

Concil

Concilii Generalis non solum esse *medium evidentius & illustrius ad compescendos importunos hæreticos, quam unius supremi Pastoris decretum* (ut loquitur Stapletonus, Controv. 6. quæst. 3. artic. 5. Resp. ad 4. argumentum) *sed etiam esse simpliciter & absolutè superiorem judicio Papæ*. Apertè enim dicit, *sententiam Papæ posse solvi à Concilio Generali, si male judicasse convincatur*. Potuit igitur Optatus suadere Donatistis ut quamvis à Papa olim appellassent, tamen definitioni Cōcilii Generalis, tanquam supremæ & infallibili fidei regulæ, se suamque fidem subjicerent: imò hoc procul dubio fecisset, si Conciliorum decreta esse ipsius Spiritus Sancti oracula putasset.

6. Sufficiunt, ut opinor, ea quæ dicta sunt, ad insignem hunc locum Optat. Milevitani, ab adversariorum cavillis vindicandum: progredior ad Augustinum, qui plurimis in locis dicit solas Scripturas Sacras esse divinæ et infallibilis authoritatis: unde manifestè sequitur infallibilem illam authoritatem neque Papæ, neque Conciliis Generalibus competere. *Ego* (inquit) *solis eis scriptorum qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullū eorum*

scrib

scribendo errasse audeam credere, alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; polleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserũt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à veritate non abhorreat, persuadere potuerunt. Hæc August. Epist. 19. ad Hieronymum.

Tannerus, et reliqui Collocutores Pontificii in Colloquio Ratisbonensi, Sessione 8: item Gretserus, in Defensione, Cap. 10. lib. 1. de Verbo, Col. 189. ad hoc Augustini testimonium respondent, cum hoc loco non conferre Scriptores Canonicos, cum Cõcilio Generali, aut cum Pontifice Romano; sed cum scriptoribus non canonicis, hoc est, cum singulis Patribus et Doctoribus seorsum scribentibus. Hæc Adversariorum subtilitas facillimè retunditur. Primò enim Augustinus confert Scriptores Canonicos non cum quodam genere scriptorum non canonicorum, hoc est, cum Patribus seorsum et per se scribentibus; sed cum scriptoribus non canonicis quibuscunque, ut patet ex particula exclusiva *solis*: *Ego* (inquit) *solis eis scriptoribus qui Canonici appellantur*, etc. At Papa decretalem Epistolam scribens cum intentione totam Ecclesiam obligandi, item Epi-

Episcopi in Concilio cum decreta sua scripto tradunt; seu ut loquitur Vincentius Lerinensis contra Hæreses Cap. 32. *cum ea posteris per scripturæ chirographum consignant*, sunt Scriptores; et non sunt canonici. Ergo honor ille infallibilis authoritatis, de quo loquitur Augustinus, eis tribuendus nō est. Oggannit Gretserus loco citato, Concilium Generale definiendo non obtinere locum scriptoris, sed definitoris aut judicis. Resp. ridiculè admodum ea hîc opponuntur, quæ non repugnant: nam esse scriptorem, & esse controversiarum definitorem, non magis repugnant, quam esse scriptorem & Prophetam, vel esse scriptorem & Apostolum. Concilium igitur Generale habere potest, imò revera habet rationem utriusque: nam cum controversias definit, sententiam suam per Scripturæ chirographum posteris consignat, ut ait Lerinensis.

8. Secundò, Augustinus non solum Scriptores Canonicos, cum non canonicis, sed etiam Scripturam Sacram, cum omnibus aliis scriptis, sive Patrum, sive Pontificum, sive Conciliorum confert, dicitque se nullum omnino scriptum, præter Scripturam Sacram, tanquam infallibilem fidei regulam sequi. Hoc patet ex ejus verbis eadē Epist. 19. Cap. 3.

Quan

Quanquam (inquit) *sicut paulò ante dixi, tantummodo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem, qua eas solas ita sequar, vt conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem.* Idem etiam patet ex aliis ejus operibus; nam lib. 2. contra Cresconium, Cap. 31. dicit, *nos secundum scripturas de cæteris libris, vel fidelium* (quales sunt libri continentes Conciliorum decreta, & Pontificum rescripta) *vel infidelium, liberè judicare posse*. Item lib. de Natura et Gratia, Cap. 61. dicit, *se esse liberum in quorumlibet hominum scriptis:* & hanc rationem addit; *quia* (inquit) *solis Canonicis debeo sine vlla recusatione consensum.* Libro etiam 11. contra Faustum, Cap. 5. dicit, *opuscula posteriorum quæ innumerabilibus libris continentur, nullo modo sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquari:* item sublata Scriptura ejusque authoritate, *nullam esse paginam qua humana imperitia regatur infirmitas:* hoc est, nullam remanere regulam scriptam, quæ ex se infallibilis sit; quod sanè non dixisset, si Conc

ſi Conciliorum decreta eſſe infallibilia putaſ-
ſet. Denique Epiſt 112. aſſerit, nulla teſti-
monia eſſe certa & infallibilia, præter ea
quæ ex ſcriptura petuntur: *Si* (inquit) *di-
vinarum Scripturarum, earum ſcilicet
quæ Canonicæ in Eccleſia nominantur,
perſpicua aliquid firmatur authoritate, ſi-
ne ulla dubitatione credendum eſt.* Aliis
verò teſtibus vel teſtimoniis *qui-
bus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi
credere vel non credere liceat*, &c. Hîc
non loquitur Auguſt. de ſolis privatis teſti-
bus eorumque teſtimoniis (ut fingit Gretſerus
loco ſupra citato) nam verba illa, *aliis verò
teſtibus vel teſtimoniis* generalia ſunt, et ſuo
ambitu complectuntur omnia teſtimonia
quæ ex Scripturis non petuntur.

Tertiò, quod Auguſt. locis ſupra citatis
9. generaliter dixit de omnibus teſtimoniis &
ſcriptis præter Scripturas Sacras, id aliis in
locis ſpeciatim & nominatim dicit de Conci-
liis. Nam libro ad Donatiſtas poſt collatio-
nem Cap. 15. dicit Concilia non eſſe ſcriptu-
ris comparanda: *Quaſi* (inquit) *Epiſcopo-
rum Cōcilia Scripturis Canonicis aliquan-
do fuerint comparata.* Item lib. 3. contra
Maxim

Maximinum sic scribit: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus*, &c. Similiter lib. de Vnitate Ecclesiæ, Cap. 18. & 19. sanctissimus hic Pater, non ex hæreticorum quos oppugnabat sententia, aut ob eorum genium & mores, (ut aiunt Theologi Pontificii in Colloquio Ratisb. Sessione 8.) sed manifestissimè ex sua sententia, dicit gravissimam illā quæstionem, *Vbi & quænam sit vera Ecclesia*, neque ex Conciliis, neque ex Patribus, sed ex sola Scriptura determinandam esse. Patet hoc primò, quia Cap. 18. instāter petit à Donatistis ut Ecclesiam suam demonstrent *non in sermonibus & rumoribus Aphrorum, nō in* CONCILIIS *Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, &c. sed in præscripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Evāgelistarum predicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis Sanctorum Librorum authoritatibus*. Secundò, quia Cap. 19. hanc suam petitionē repetit, eamque

hac ratione confirmat: *Quia* (inquit) *nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia CHRISTI sumus, quia ipsam quam tenemus commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut quia nostrorum collegarum* CONCILIIS *ipsa prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis quæ frequentat nostra communio tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt*, &c. Postea ad Scripturæ testimonia accedens, de eis sic loquitur: *Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.* Quasi diceret: non ea de quibus supra loquebar, id est, Patres, Concilia, Miracula; sed sola Scriptura, fidei nostræ in hac & in aliis controversiis primarium fundamentum esse debet.

10. Denique nusquam magis perspicuis & disertis verbis Conciliorum infallibilitatem negat, & Scripturæ Canonicæ peculiarem eminentiam prædicat, quam celebri illo loco qui habetur lib. 2. de Bapt. cõtra Donatistas, Cap. 3. *Quis autem* (inquit) *nesciat Sanctam Scripturam Canonicam, tam Veteris, quam*

Novi

Novi Teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamq́ omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poßit, vtrum verum vel rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit. Epiſcoporum autem literas (obſervet hîc, Lector, Auguſt. ſententiam de Epiſc. Romani decretalib' Epiſtolis) *quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonẽ forte ſapientiorẽ cujuſlibet in ea re peritioris, et per aliorũ Epiſcoporũ graviorẽ authoritatem, doctioremq́ prudẽtiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in iis forte à veritate deviatum eſt. Et ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniverſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere: ipſaq́ plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat* (quod fit in quæſtionibus facti) *& cognoſcitur quod latebat,* (quod in controverſiis fidei evenire ſolet) *ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata cervice arrogantiæ, ſine vlla contentione lividæ in-*

vidia, &c. Tria hîc notanda sunt: primum est quod Augustinus comparans Scripturæ authoritatem, cum omni alia authoritate cui aliquid in controversiis fidei tribui solet, non facit specialem aliquam mentionem authoritatis Papalis: quod argumento est Papæ judiciariam authoritatem de rebus fidei ei incognitam fuisse. Secundum est quod dicat *Episcoporum literas quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur*, corrigi & reprehendi posse. Vnde sequitur ipsius Episcopi Romani decretales Epistolas reprehendi posse, nam & hæ post confirmatum canonem scriptæ sunt. Tertium est quod asserat ipsa Concilia *plenaria* seu Oecumenica priora *emendari* à posterioribus.

XI. Hic locus Augustini tam apertè Conciliorum Generalium infallibilitatem tollit ut Adversarios non leviter pungat, idéoque Bellarm. lib. 2. de Conciliis, *Cap.* 7. & Stapleт. Controv. 6. quæst. 3. art. 4. Resp. ad argumentum primum, omni contentione eum nobis eripere conantur. Primò igitur Bellarm. ait fortè loqui Augustinum de Conciliis illegitimis. Sed hæc responsio est conjecturalis & incerta, imò & parum probabilis. Primò enim scopus Augustini loco citato, ut ex ejus verbis patet, est distinguere authoritatem

Script

Scripturæ, ab omni alia authoritate, sive Patrum, sive Conciliorum; & peculiarem quandam dignitatem Sacræ Scripturæ tribuere: idque ut ostendat Donatistarum argumĕtum ab authoritate Cypriani et Concilii Carthaginensis petitum, non esse validum. Secundò, cum loquitur de Episcopis eorumq́ue literis, loquitur generaliter, et non de solis hæreticis: item cum loquitur de nationalibus Conciliis, loquitur generaliter, et non de solis illegitimis. Ergo etiam cum loquitur de plenariis Conciliis, loquitur generaliter et illimitatè. Tertiò, cum dicit in præcedenti membro gradationis, Concilia nationalia cedere plenariis, præcipuè intelligit plenaria legitima. Ergo in hoc membro immediatè sequenti loquitur etiam de Conciliis plenariis legitimis.

Secundò, Bellarm. et cum eo Stapletonus dicunt Augustinum loco citato, non loqui de quæstionibus fidei, sed vel de quæstionibus facti, vel de quæstionibus circa eos ritus & mores qui ex natura sua indifferentes sunt, et juxta temporum, locorum, et personarum mutationes, mutari possunt: nam in his solis Concilia legitima errare concedunt. Bellarm. hanc responsionem (quam ipse in duas partes dividit) duplici ratione confirmat. Prior est quod præcipua quæstio Augustini & aliorum 12.

 Cathol.

Catholicorum cum Donatistis fuerit de Cæciliano, libros ne sacros tradidisset hostibus fidei, an non? Posterior est, quod August. dicat tunc emendari Cocilia priora à posterioribus, quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat. *Experimento enim* (inquit) *aperiuntur quæstiones de facto, vel de moribus, non quæstiones juris universales.* Sed hæc responsio facillimè confutatur. Primò enim, prior illa ratio qua Bellarm. eam confirmat apertè falsa est: nam quæstio quam tunc Augustinus habuit cum Donatistis, erat quæstio fidei seu dogmatica, non verò ritualis, aut de facto. Donatistæ asserebant apud Hæreticos, non esse verum Baptismum, & proinde baptizatos ab hæreticis, cum ad Ecclesiam veniunt, esse in Ecclesia baptizandos: atq; hanc suam sententiam confirmabant authoritate Cypriani, et Concilii Carthaginensis, quod cum Cypriano hunc errorem definivit, ut patet ex eodem hoc libro 2. de Bapt. contra Donat, Cap. 1. Ad hæc respondens Augustinus, ut ostenderet eorum argumentum ab authoritate Cypriani, et Concilii Carthaginensis petitum non esse validum, docet Sacram Scripturam esse præponendam omnibus scriptis, tum Patrum, tum Conciliorum; idque ob hanc rationem, quia de veritate

tate eorum quæ in Scriptura traduntur, *dubitari aut disceptari non potest*; cum tamen scripta Patrum, & Conciliorum tum nationalium tum plenariorum decreta reprehendi ac emendari possint. Secundò, posterior ratio qua Bellar. suam responsionem confirmat, parum solida est: nam Augustinus dicit Concilia plenaria priora emendari à posterioribus, non solum quando *experimento aliquo aperitur quod clausum erat*, quod fit in quæstionibus facti, sed etiam *quando cognoscitur quod latebat*, quod in quæstionibus fidei evenire solet, ut rectè observat Staplet. Controv. 6. quæst. 3. art. 4. ad 1. argum. Tertiò, si Augustinus hîc docet Concilia esse errori obnoxia tantummodo in quæstionibus facti, & in constitutionibus de rebus adiaphoris, non appositè respondet, nec satisfacit Donatistis, qui in controversia dogmatica (ut supra monui) eum premebant authoritate Cypriani, & Concilii Carthaginensis. Objicere enim potuissent, Patrum & Conciliorum authoritatem, quamvis in quæstionibus facti, aut de ritibus, minoris momenti sit, non tamen in quæstionibus fidei defugiendam esse.

Tertiò, Stapletonus loco citato prædi- 13.
ctæ responsionis infirmitatem percipiens,

 aliam

Catholicorum cum Donatistis fuerit de Cæciliano, libros ne sacros tradidisset hostibus fidei, an non? Posterior est, quod August. dicat tunc emendari Cocilia priora à posterioribus, quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat. *Experimento enim* (inquit) *aperiuntur quæstiones de facto, vel de moribus, non quæstiones juris universales.* Sed hæc responsio facillimè confutatur. Primò enim, prior illa ratio qua Bellarm. eam confirmat apertè falsa est: nam quæstio quam tunc Augustinus habuit cum Donatistis, erat quæstio fidei seu dogmatica, non verò ritualis, aut de facto. Donatistæ asserebant apud Hæreticos, non esse verum Baptismum, & proinde baptizatos ab hæreticis, cum ad Ecclesiam veniunt, esse in Ecclesia baptizandos: atq; hanc suam sententiam confirmabant authoritate Cypriani, et Concilii Carthaginensis, quod cum Cypriano hunc errorem definivit, ut patet ex eodem hoc libro 2. de Bapt. contra Donat. Cap. 1. Ad hæc respondens Augustinus, ut ostenderet eorum argumentum ab authoritate Cypriani, et Concilii Carthaginensis petitum non esse validum, docet Sacram Scripturam esse præponendam omnibus scriptis, tum Patrum, tum Conciliorum; idque ob hanc rationem, quia de veri-

tate

tate eorum quæ in Scriptura traduntur, *dubitari aut disceptari non potest*; cum tamen scripta Patrum, & Conciliorum tum nationalium tum plenariorum decreta reprehendi ac emendari possint. Secundò, posterior ratio qua Bellar. suam responsionem confirmat, parum solida est: nam Augustinus dicit Concilia plenaria priora emendari à posterioribus, non solum quando *experimento aliquo aperitur quod clausum erat*, quod fit in quæstionibus facti, sed etiam *quando cognoscitur quod latebat*, quod in quæstionibus fidei evenire solet, ut rectè observat Stapleт. Controv. 6. quæst. 3. art. 4. ad 1. argum. Tertiò, si Augustinus hîc docet Concilia esse errori obnoxia tantummodo in quæstionibus facti, & in constitutionibus de rebus adiaphoris, non appositè respondet, nec satisfacit Donatistis, qui in controversia dogmatica (ut supra monui) eum premebant authoritate Cypriani, & Concilii Carthaginensis. Objicere enim potuissent, Patrum & Conciliorum authoritatem, quamvis in quæstionibus facti, aut de ritibus, minoris momenti sit, non tamen in quæstionibus fidei defugiendam esse.

Tertiò, Stapletonus loco citato prædi- 13.
ctæ responsionis infirmitatem percipiens, aliam

aliam excogitavit. Dicit enim verborum Augustini sensum esse, *quod Concilia plenaria posteriora* emendāt, *id est, perfectius explicant fidem in semine antiquæ doctrinæ latentem quam priora:* ut verbi gratia, Concilium Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum tertium (quod fuit sextum Generale) perfectius & explicatius proposuerunt doctrinam de persona & naturis CHRISTI, quam Cōcilium Nicænum I. Putat igitur Stapletonus verbum *emendari* illo loco, non significare *corrigi*, sed *explicari*, aut *illustrari*. Hæc etiam responsio absurda est, & tanto Doctore indigna. Primò enim violenta est, & peregrinam ac impropriam significationem verbo *emendari* affingit. Secundò, scopus Augustini est ostendere omnia scripta, exceptis Canonicis, sive ea sint Patrum, sive Conciliorum, esse errori obnoxia, & proinde argumentum Donatistarum, ab authoritate Cypriani, & Cōcilii Carthaginensis petitum, non esse validum. Tertiò, Augustinus dum assignat discrimen inter authoritatem Canonicam Scripturæ, & authoritatem Ecclesiasticam Patrum, & Conciliorum omnium, id est, & nationalium & plenariorum, hoc privilegium Scripturæ attribuit tanquam quid ei proprium & peculia-

ſe, quod de veritate eorum quæ in ea traduntur *omnino dubitari & diſceptari non poſſit.* Ergo putavit hoc privilegium neq; Patribus, neque ulli Concilio competere; & proinde per eum dubitare & diſceptare licet de veritate eorum quæ à Conciliis etiam plenariis definita ſunt: quod ſanè non *explicationem* tantùm, ſed & *emendationem* propriè dictam importat. Quartò, cum Auguſtinus in primo membro gradationis dicit, *Epiſcoporum literas per Cōcilia poſſe reprehendi*, intelligit eas eſſe errori obnoxias: item cum in ſecundo membro dicit, *Concilia nationalia plenariis cedere*, indicat Concilia nationalia errare poſſe. Ergo etiam cum in tertio gradationis membro dicit, *plenaria Concilia priora à poſterioribus emendari poſſe*, intelligit, errata priorum à poſterioribus corrigi poſſe. Nam alioqui gradatio hæc non erit uniformis, ejuſque membra non cohærebunt. Quintò, ſi *emendari* hîc accipitur pro *explicari*, ſequetur unam Scripturæ partem ab alia ejuſdem parte emendari, & per conſequens Scripturam in hoc non differre à Conciliis plenariis, quod & in ſe abſurdum eſt, et ſcopo Auguſtini contrarium. Nam verbi cauſa, Novum Teſtamentum hoc

sensu *emendat* Testamentum vetus, vel ut Stapletoni verbis utar, *perfectius explicat fidem in semine doctrinæ* veteris Testamenti *latentem*. Præterea ex puerili hac et ridicula glossa Stapletoni, sequetur ipsam Scripturam à Patribus et Conciliis *emendari*, quia quod obscurius in Scripturis proponitur, id perfectius ab eis explicatur.

14. Ex iis quæ dicta sunt patet Augustini sententia, de infallibilis authoritatis honore, quod videlicet *solis scriptoribus Canonicis* deferendus sit. Patet item quod per scriptores *alios*, seu *non Canonicos*, intelligat, non solum privatos Doctores, (ut Tannerus, Gretserus, & alii in Colloquio Ratisbonensi, Sessione 8. opinantur) sed etiam Romanos Pontifices, et Episcopos in Concilio congregatos, quatenus sententiam suam, de rebus fidei, scripto ad posteros transmittunt. Hoc jam tribus argumentis (quæ ob Adversariorum pervicaciam paulò altiùs prosecut⁹ sum) efficaciter demonstravi: eis Lectoris gratia coronidis loco addam Gulielmi Ockam Nominalium Scholasticorum Principis sententiam de hoc ipso Augustini dicto: *Notandum autem* (inquit) *quod Augustinus in auctoritate illa loquens de scriptoribus aliis*

à script

à scriptoribus Bibliæ, inter hos scriptores non Canonicos, & illos, non distinguit. Et ideo sive fuerint summi Pontifices, sive alii; sive scripserint aliquid in Concilio Generali, sive extra; consimile de eis judicium est habendum, ut in his quæ scientiæ vel juris sunt, non ideo aliquid putetur certitudinaliter modo prædicto esse verum quia ipsi ita scripserunt, nisi id vel per Scripturam divinam, vel rationes irrefragabiles, aut operationem miraculorum, aut per approbationē universalis Ecclesiæ persuadere valuerint. Hæc ille parte 3. Dial. tract. 1. lib. 3. Cap. 24.

Solent Adversarii quædam ex Augustino pro Conciliorum infallibilitate testimonia 15. adducere: sed ea multum discrepant à tumore et grandiloquentia styli Pontificii (non enim dicunt Conciliorum decreta esse Spiritus Sancti oracula, aut quoad authoritatem & certitudinem esse Sacræ Scripturæ æqualia) & revera nihil probant præter ea quæ nos libenter concedimus: videlicet primò, sententiam Concilii Generalis esse *totius Ecclesiæ sententiam*, Lib. 1. de Baptismo, contra Donatistas, Cap. 18. & lib. 2. Cap. 1. et 4. quod quo sensu verum sit docet Spalatensis Lib.

Lib. 7. de Rep. Ecclesiastica. Cap. 3. §. 6. Secundò, Conciliorum Generalium *saluberrimam esse in Eccles. authoritatē*, Epist. 118. Tertiò, Cyprianum ab hæresi excusandum esse quia ejus error de rebaptizatione Hæreticorum (qui certè fundamentalis non fuit) nondum erat in Concilio plenario damnatus, lib. 1. de Bapt. contra Donat. Cap. 18. Quartò, se audacter sentire contra Cyprianum aliosque Africanos *propter universæ Ecclesiæ concordissimam authoritatē*: ibidem lib. 2. Cap. 4. Quintò, *Non esse tutum in ea progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt*; ibidem lib. 7. Cap. 53. quod procul dubio intelligēdum est de iis quæstionibus quæ sunt circa res ad salutem minus necessarias, et in Scripturis non satis apertè revelatas; tales enim sunt illæ quæstiones de quibus ibi disserit Augustinus ut ex principio istius Capitis patet. Sextò, supremum Iudicium Ecclesiæ non esse Papæ, sed Concilii Generalis sententiam, Epist. 162. ad Donatistarum Episcopos. Hæc omnia nostræ doctrinæ, de Cōciliorum authoritate optimè consonant: & tamen hæc sunt præcipua, imò nisi fallor, omnia testimonia quæ Bellarm. lib. 2. de Conciliis, Cap. 2. &

& 3. et Staplet. Controv. 6. quæst. 3. art. 4. adversus nos ex Augustino proferre potuerunt.

Ab Augustino ad Vincentium Lirinensem me confero, qui in libello suo verè aureo contra Hæreses, Cap. 1. hanc quæstionem ex professo tractandam proponit, *quonam modo possit Christianus Catholicus, certa quadam & quasi generali via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere:* dicitque se hanc quæstionem, *quamplurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris proposuisse, & hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retulisse: quod sive ipse, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet. Primò scilicet divinæ legis auctoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Hîc neque Pontificis Romani, neque Concilii Generalis ulla mentio facta est. Ergo Vincentius, et *quamplurimi illi sanctitate & doctrina præstantes* Patres quos ipse se *sæpè* consuluisse affirmat non putarunt Papæ et Conciliorum authoritatem pertinere ad *certam* illam 16.

lam et *generalem viam* discernendi fidei veritatem ab hæresi. Vt autem insignis hic locus Vincentii melius intelligatur, et ab Adversariorum cavillationibus vindicetur, duæ quæstiones hîc explicandæ sunt. Prior est; Quid hîc *per Ecclesiæ Catholicæ traditionem* intelligat Vincentius? Posterior est; quo sensu eam addat divinæ legi, seu Sacræ Scripturæ?

17. Ad priorem quæstionem respondeo, Vincentium per Ecclesiæ Catholicę traditionem, non intelligere definitionem novi alicujus Concilii Generalis, aut Pontificis pro tempore sedentis, sed partim universalem omnium membrorum præsentis Ecclesiæ consensum, partim constantem & perpetuam antiquæ ac sanæ Ecclesiæ doctrinam, vel professionem. Patet hoc primò, ex ipsis verbis hujus Authoris Cap. 3. *In ipsa item* (inquit) *Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè propriéq; Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniversaliter comprehendit. Sed hoc ita demũ fit. si sequamur* Vniversitatẽ,

Antiq

Antiquitatem, Consensionem. *Sequemur autem Vniversitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus sensib⁹ recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiásque sectemur.*

Secundò idem patet ex Cap. 4. ubi quæstionem proponit, de ratione discernendi novarum hæresewn falsitatem à fidei Catholicæ veritate; et ad eam respondens, neque Romanæ Ecclesiæ, neque Papæ pro tempore sedentis, neque novi Concilii universalis meminit, sed ad *Patrum sententias recurrendum*, & *antiquitati inhærendum esse* docet: *Quid* (inquit) *si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Similiter 18.

Cap.

Cap. 41. *Deinde* (inquit) *si qua nova exurgeret quæstio, ubi id* (videlicet, antiquæ Ecclesiæ de ea quæstione decretum) *minimè reperiretur, recurrendum est ad sanctorum Patrum sententias*, &c. Observa hîc (candide Lector) quam rudis sit Vincentius Lirinensis, & Theologiæ Pontificiæ penitus ignarus. Si enim quæras ex Theologo aliquo Pontificio; Quæ sit tutissima, & certissima ratio discernendi novarum hæresean falsitatem? aut quo pacto infallibiliter quis scire possit, quid credendum & tenendum sit in quæstionibus seu controversiis recens ortis? is procul dubio responderet, solam præsentis Ecclesiæ definitionem in hoc casu nobis plenè satisfacere posse: item id solum firmiter credendum esse quod præsens Ecclesia Romana docet, quod præsens Pontifex credendum proponit, aut quod novum Concilium Oecumenicum ad illas controversias determinandas celebratum, definit. At hic modus respondendi Vincentio Lirinensi, & *quamplurimis illis sanctitate & doctrina præstantibus Patribus*, quos ipse consuluit, nunquam in mentem venit. Nam de infallibilitate præsentis Ecclesiæ, Concilii, aut Pontificis in determinandis ejusmodi controversiis altũ apud eum est silentium: nec unquam

fide

fideles ablegat ad definitiones seu decreta illius regulæ, quam Turnebullus Cap. 4. & 5. *animatam* vocat, quamque esse supremam seu principalem fidei regulam sæpiùs affirmat.

Quæro igitur ex Adversariis undenam sit, quod doctissimus & sanctissimus hic Pater, ex professo per totum hunc aureum libellum differens de recta ratione discernendi veram doctrinam à falsa, illam rationem quæ ex sententia Pontificiorum omnium certissima & tutissima est alto silentio prætermiserit? Gretserus in Defensione, Cap. 8. lib. 3. de Verbo, Col. 1396. audacter respondet, rationem illam non esse à Vincentio Lirinensi prętermissam, idque confirmat quia Vincentius Cap. ultimo sui libelli, Xysti & Cœlestini Romanorum Pontificum meminit, eorumque edicta contra Hæreticos recitat, & probat: quia item palam scribit per *Apostolica definita*, hoc est, per Romanorum Pontificum sanctiones, & per *Ecclesiastica decreta*, supple Conciliorum, cunctos semper hæreticos damnatos esse. Sed frigida et jejuna est hæc cavillatio: nam ex verbis Vincentii loco citato id tantum colligi potest quod in confesso apud omnes est, videlicet Pontifices et Concilia controversias definivisse, et hæreses 19.

damnasse. Loquitur enim de Pontificum, et Conciliorum decretis: at de eorum infallibilitate in decernẽdo ne verbum quidem apud eum inveniet oculatissimus Lector. Nusquam dicit Papalia & Synodica decreta de rebus fidei esse ex se aut per se infallibilia: nusquam dicit firmam et plenam certitudinem de veritate doctrinæ ex iis haberi posse. Sed contra, cum de *generali* illa et *regulari via* discernendi veram doctrinam à falsa verba facit, solam Scripturam et perpetuam Ecclesiæ traditionem nobis commendat. Vide Cap. 1. 2. 38. 39. et 41. istius libelli.

20. At dicit aliquis; commendat etiam nobis Conciliorum decreta suadetque ut *unius, sive paucissimorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponamus*, Cap. 38. Respondeo; Quæ à Vincentio dicta sunt, de Conciliorum universalium decretis, ea Pontificiorum doctrinam de præsentis Ecclesiæ infallibilitate in definiendo, manifestissimè evertunt. Primò enim, non commendat nobis Concilia præsentis Ecclesiæ, neque Papæ pro tempore sedentis judicialem definitionẽ; sed *Cõcilia Catholicorum Sacerdotum antiquitus celebrata*, Cap. 39. Secundò, ea nobis commendat non ob infallibilem ipsorum

rum authoritatem (nihil enim tale ex ejus verbis colligi potest) sed quia ex eis facillimè percipimus, quænam fuerit Patrum istius seculi communis et recepta sentẽtia: eam enim *vnius sive paucissimorum temeritati* (qui videlicet isto seculo aliter senserunt) *præponere* debemus, ut ipse docet Cap. 38. sub finem: quia item eorum authoritas eò major est quod constantem et perpetuam totius Eccles. orthodoxæ approbationẽ per tot secula consecuta sint. Tertiò, hunc solũ eorum usum esse dicit, ut *hæreseωn prophanitates antiquitus convictas damnatásque vitemus*, Cap. 39: et proinde non vult ea valere ad novarum hæreseωn falsitatẽ detegendam. Quartò, novas igitur hæreses alia ratione detegendas esse docet, dumque hoc explicat, neque Pontificis pro tempore sedentis, neque Concilii Oecumenici ab eo confirmati, vel confirmandi, meminit; sed ad sanctorum Patrum sententias recurrendum esse asserit Cap. 41. Vnde evidenter sequitur, eum Papæ et Conciliorum infallibilitatem ignorasse, nihilque de eis accepisse *à quam plurimis illis sanctitate & doctrina præstantibus viris*, quos de gravissima hac quæstione consuluit.

Ne autem hęc temerè de Vincentio dixisse videar, et quia hic libellus omnibus ad ma- 21

num non est, ex locis citatis in medium affe-ram verba ipsius authoris, qui Cap. 38. sic scribit: *In ipsa item* vetustate, *vnius sive paucißimorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt, vniversalis Concilii decreta præponant. Tunc deinde, si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum.* Item Cap. 39. *Atque ideo quascunque illas* antiquiores, *vel schismatum, vel hæresewn prophanitates, nullo modo nos oportet, nisi aut sola, si opus est, Scripturarum authoritate convincere, aut certè jam* antiquitus *vniversalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas damnatásque vitare.* Et Cap. 41. *Item diximus, in ipsa Ecclesiæ vetustate, duo quædam vehementer studioséque observanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunque hæretici esse nolint. Primum si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus vniversalis Concilii authoritate decretum. Deinde, si qua nova exurgeret quæstio, vbi id minimè reperiretur,*

recurr

recurrendum ad ſanctorum Patrum ſententias eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus & locis in vnitate communionis & fidei permanentes, Magiſtri probabiles extitiſſent. Et quidquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe invenirentur, id Eccleſiæ verum & Catholicum abſque vllo ſcrupulo judicaretur.

Ad poſteriorem quæſtionem breviter reſpondeo, illam *Catholicæ Eccleſiæ traditionem*, quam ad Scripturarum canonem adjungi debere affirmat Vincentius, non eſſe ex numero earum Traditionum, quas adverſus noſtram ſententiam de Scripturæ perfectione propugnant Pontificii. Illi enim tuentur, & propugnant Traditiones *perfectivas canonis*, id eſt complentes & perficientes fidei canonem: dicunt enim regulam fidei, quatenus Sacris Scripturis continetur, eſſe imperfectam & *partialem*, quia videlicet *non continet totam doctrinam neceſſariam ſive de fide, ſive de moribus*, & ideo ad complendum fidei canonem, unamque regulam *totalem* ſeu integram conſtituendam, Scripturæ adjiciunt Traditiones non ſcriptas, hoc eſt dogmata de fide & moribus diverſa ab eis quæ in ſacro codice proponuntur. 22.

tur. At Vincentius Scripturarum canonem perfectum esse affirmat, docetque traditiones illas quas fidelibus commendat, non esse *perfectivas*, sed *explicativas canonis*, eique subservientes ad verum ejus sensum manifestandum; hoc est, docet eas non esse dogmata de fide aut moribus diversa ab eis quæ Sacris Literis continentur, sed esse explicationes vel expositiones eorum quæ obscurius illîc proponuntur. Hoc aperte patet ex ejus verbis Cap. 2. *Hîc* (inquit) *forsitan requirat aliquis: cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia* satis superque sufficiat, *quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa sua altitudine non vno eodemque sensu universi accipiunt*, &c. Et Cap. 41. hanc ipsam responsionem repetens, *Non quia* (inquit) *canon solus sibi ad vniversa non sufficiat, sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipiant*. Idem etiam patet ex Gretsero in Defens. Cap. 11. lib. 4. de Verbo DEI, col. 1837. ubi ad hunc locum respondere conatur, sed revera ita respondet, ut cōcedat

Vin

Vincentium nobiscum dicere, fidei canonem quatenus Sacris Literis continetur, *non indigere ullius traditionis ope ad sui constitutionem, sed sibi ad hoc satis superque sufficere*.

CAPVT XIX.

Idem ex Pontificiorum Theologorum scriptis probatur.



DOctrinam præsentis Ecclesiæ Romanæ, de Conciliorum infallibilitate; nõ fuisse cõmunem & receptam totius Ecclesiæ doctrinam eo seculo quo scripsit Gulielmus Ockam, manifestè patet ex ejus verbis prima parte Dialogi, lib. 5. Cap. 1. ubi sic scribit: *Nunc autem postquam quæsivi, quomodo potest convinci quis esse hæreticus, indagare propono qui possint pravitate hæretica maculari. Et quia* omnes Christiani *sentire videntur quod tota multitudo Christianorum* I.

hæreticari non potest: quidam *autem secundò quod nec Concilium generale: aliqui verò tertiò quod nec Rom. Ecclesia: nõnulli autem quartò quod nec Collegium Cardinalium: aliqui verò quintò quod nec etiam Papa potest hæretica pollui pravitate. Ideo de istis quinque*, &c. Hîc dicit inerrabilitatem (ut ita loquar) totius multitudinis Christianorum credi ab *omnibus* fidelibus, Conciliorum verò inerrabilitatem seu infallibilitatem tantùm à *quibusdam* defendi. Præterea Cap. 25. ejusdem libri asserit duas esse assertiones seu opiniones contrarias de generali Concilio. *Vna* (inquit) *est quod hæreticari non potest; alia est, quod hæretica potest labe aspergi.* Hanc posteriorem sententiam ipse amplectitur: ut patet partim ex isto Capite 25, item ex 26 & 28 ejusdem libri; partim verò ex libro tertio primi tractatus tertiæ partis, ubi 23 Capitibus, hoc est, à Cap. 4. ad finem libri, hanc sententiam explicat & confirmat: omnésque rationes quæ pro Conciliorum infallibilitate afferri solent doctè & perspicuè diluit.

Multa eaque notatu dignissima contra
8. Conciliorum infallibilitatem ex locis citatis istius Dialogi in medium adferri possunt: ego

brev

brevitatis causa unum tantum aut alterum ex istis locis testimonium proferam. Libro quinto, primæ partis, Cap. 25, docet hic Author, infallibilitatis privilegium non competere Concilio generali, sed tantum toti multitudini fidelium. *Una* (inquit) *sola est Ecclesia militans quæ contra fidem errare non potest; quia de sola universali Ecclesia militante invenitur in Scripturis authenticis, quod errare non potest. Concilium autem generale licet sit pars Ecclesiæ militantis universalis, tamen non est Ecclesia universalis. Igitur temerarium est dicere, quod Concilium generale contra fidem errare non potest.* Similiter parte 3. tract. 1. lib. 3. Cap. 4. *Est quædam* (inquit) *opinio quæ viam eligens mediam prædictis omnibus in aliquo adversatur: tenens quod Scripturæ divinæ contentæ in Biblia, & ejusdem Sacræ Scripturæ scriptoribus, & universali Ecclesiæ, atque Apostolis, absque ulla dubitatione in omnibus est credendum. Nullis verò aliis, quantacunque doctrina vel sanctitate præpolleant, est in omnibus absq; omni exceptione fides necessario adhibenda. Ita quod nec in Concilio generali, si esset*

congregata universalis Ecclesia, nec decretis aut decretalibus vel assertionibus summorum Pontificum, nec Doctorum dictis, (sive fuerint ab Eccl. approbati, sive nō fuerint approbati) est necessariò credulitas in omni dicto & casu absque omni exceptione præstanda, &c. Item Cap. 9. ejusdem libri; *Et* (inquit) *si quæratur quis habet judicare, an Concilia fuerint Catholicè celebrata? Respondetur, quod quia non definirent aliquid nisi quod potest elici ex Scripturis divinis, ideo periti in Scripturis, & habentes aliarum sufficientem intelligentiam Scripturarum, habent judicare per modum firmæ assertionis, quod definita ab iis sunt Catholicè definita.*

3. Petrus ab Alliaco Cardinalis Cameracensis, non solum testatur contrarias fuisse suo sæculo Theologorum sententias, de Conciliorum authoritate, sed ipse eam sententiam quæ Concilia etiam generalia esse errori obnoxia asserit, ut probabiliorem amplectitur. Prius patet ex quæstione Vesperiarum, art. 3. ad literam O, ubi dicit *omnes fideles in eo communiter consentire, videri, quod tota Ecclesia, sive multitudo omnium Christianorum*

norum hæreticari non potest, sive contra fidem errare. At de Conciliorum authoritate utrum videlicet infallibilis sit, an verò non sit, contrarias esse assertiones affirmat. Et infra sic scribit: *Octava assertio est, quod etiam Concilium generale potest contra fidem errare, quia ipso sic errante, adhuc staret aliquos extra Concilium non errare, & per consequens fidem Ecclesiæ non deficere.*

Posterius etiam patet primò, quia in prædicta quæstione Vesperiarum, art 3, ad literam P, hanc assertionem proponit: *Ex Sacra Scriptura* (inquit) *non convincitur, quod sit aliqua Ecclesia particularis quæ regulæ legis CHRISTI semper conformetur,* hoc est, quæ errori obnoxia non sit. Et infra docet se per Ecclesiam particularem intelligere *quamcunque Ecclesiam* seu Christianorum multitudinem *distinctam ab Ecclesia universali,* seu à tota multitudine fidelium. At Concilium generale est multitudo Christianorum distincta à tota multitudine fidelium. Ergo secundùm Cameracensem ex Scriptura non convincitur Concilium generale esse infallibile. Secundò, idem manifestius patet ex quæstione sequenti, quæ in- 4.

scrib

ſcribitur, *Quæſtio de reſumpta*, ubi à litera Q, ad finem quæſtionis, has tres aſſertiones tuetur. Primò, *Concilium generale poteſt difformari legi CHRISTI*; hoc eſt, poteſt errare. Secundò, *Eccleſia Romana quæ diſtinguitur à tota Congregatione fidelium ſicut pars à toto, poteſt hæreticari*. Tertiò, *Tota multitudo Clericorum & Laicorum virorum poteſt à vera fide deficere*. Et in fine iſtius quæſtionis ſententiam ſuam proponit apertiſſimè his verbis: *Intentio autem mea cõcluſionis, ſicut patuit ex dictis meis, erat, quod data quacunque Eccleſia particulari certæ denominationis quæ non ſit toti cõgregationi fidelium generalis, verbi cauſa, Eccleſia Clericorum*, (quæ eſt, tota multitudo Epiſcoporum et Presbyterorũ) *Eccleſia Italicorum, Eccleſia Gallicorum, &c. ex Scriptura Sacra non convincitur quod ſemper ſit aliqua talis, ſive conſimilis denominationis, quæ regulæ legis CHRISTI conformetur*.

5. Thomas Valdenſis multa de Eccleſiæ authoritate tradit, ex quibus facillimè colligi poteſt eum iſto errore quem jam impugno neutiquam imbutum fuiſſe. Primò enim is

tomo

tomo 3. doctrinalis fidei, qui est de Sacramentalibus, titulo 7, Cap. 63. dicit Ecclesiæ authoritatem esse multò inferiorem authoritate Scripturæ. *Hæc ipsa* (inquit) *fides & authoritas Ecclesiæ, quantum hominum supergreditur rationem, tantum fateor divinæ legis authoritati succumbit.* Et infra: *Media ergo est inter supremam auctoritatem Scripturæ, & infimam rationem, fides Ecclesiæ Scripturas venerabiliter attollens & exhibens, & rationem vagam hominis ad hanc geminam auctoritatem quasi alligans zona Pauli.* Secundò, docet præsentem Ecclesiam non habere authoritatem approbandi et determinandi Sacræ Scripturæ libros, tomo 1, doctr. Fidei, lib. 2, Cap. 19, 20, et 21. Vnde graviter de eo conqueritur Melchior Canus, lib. 2, de Locis, Cap. 7, quia videlicet hæc ejus assertio nimium deprimit authoritatem præsentis Ecclesiæ infra authoritatem primæ seu Apostolicæ Ecclesiæ quæ Scripturas canonicas consignavit, & à non canonicis discrevit. *Ad Concilium* (inquit) *universale præcipuè pertinet definire qui liber sit canonicus. Quam quidem propositionem æquo animo paterer ab hæreticis non admitti. Sed illud tamen doleo*

leo vehementer quod eam nonnulli fideles inficiantur, in quibus Thomas Valdensis esse videtur, lib. 2, Doctrinalis fidei antiquæ, cap. 19. Tertiò, docet (quod maximè notandum est) Ecclesiam eam quæ infallibilis regula fidei est, non esse præsentem Ecclesiam, sive in Concilio, sive extra Concilium dogmata fidei proponentem; sed esse seriem Patrum omnium & fidelium ab Apostolis usque ad nostra tempora succedentium. Sic enim scribit tomo 3, de Sacramentalibus, doctrina 3, folio 5, de hac fidelium serie; *Hæc est sola machina Christiana, quæ cunctas hæreses semel abolevit: ipsa scilicet professio concors sanctorum Patrum, secundùm suorum temporum intervalla reddentium testimonium CHRISTI Verbis, & consuetudini primitivæ.* Similiter Tomo 1, Lib. 2, Cap. 19: *Ecclesia universalis* (inquit) *habet fidem indefectibilem, non quidem in generali Synodo congregata quam aliquoties errasse percepimus*, etc.

6. Nicolaus Archiepisc. Panormitanus, super 1 parte 1 libri Decretalium, tit. *De electione*, cap. *Significasti*, dicit Ecclesiam quæ non potest errare, non esse Concilium gener

generale, sed totam collectionem fidelium. *Puto tamen* (inquit) *quod si Papa moveretur melioribus rationibus & authoritatibus, quam Concilium, quod standum esset sententiæ suæ. Nam & Concilium potest errare, sicut alias erravit super matrimonium contrahendum inter raptorem & raptam.* Et infra: *Nam & in concernentibus fidem, etiam dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus veteris & novi Testamenti, quam Papa. Nec obstat si dicatur quod Concilium generale non potest errare, quia CHRISTVS oravit pro Ecclesia sua vt non deficeret,* etc. *Quia dico quod licet Concilium generale representet totam Ecclesiam universalem, tamen in veritate ibi non est verè Ecclesia universalis, sed representativè, quia universalis Ecclesia constituitur ex collectione omnium fidelium: vnde omnes fideles orbis constituunt istam Ecclesiam universalem, cujus caput & sponsus est ipse CHRISTVS.* Et infra: *Et ista est Ecclesia quæ non potest errare. Vnde poßibile est quod vera fides CHRI-*

STI

STI remaneret in vno solo: ita quod verum est dicere quod fides non deficit in Ecclesia: sicut jus universitatis potest manere in vno solo aliis peccantibus.

7. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in Summa Summarum, parte 3, Tit. 23, de Cōciliis generalib9, Cap. 2, § 6, hęc omnia quę à Panormitano dicta sunt de Papa, Conciliis, et Ecclesia universali, amplectitur ejusque verba prout à me citata sunt fideliter in suum librum transcribit.

8. Cardinalis Cusanus, in Conciliis generalibus, ad hoc ut eorum decreta à nobis acceptentur tanquam certa et infallibilia, quasdam conditiones requirit, ex quibus apertè sequitur decreta Concilii Tridentini, et aliorum Conciliorum quæ nunc à Pontificiis pro verè generalibus habentur, non esse certa et infallibilia. Primò enim requirit *vt ex 5. Patriarchalibus sedibus plenum vniversale Concilium colligatur* Lib. 2, de Concordantia Catholica, Cap. 3. Secundò, ut ritè et legitimè celebretur: hoc est (ut ipse explicat) *vt palam non clandestinè celebretur*, et ut in eo *quisque liberam habeat loquendi facultatem:* ibidem. Tertiò, in decretis Cōciliorum hoc requirit, *vt ex concordantia, & com*

& communi omnium consensu (nullo videlicet contradicente) *pronuncietur:* ibidem Cap. 4. Hoc rarissimè, et ut putat Bellarm. Lib. 2, de Conciliis, Cap. 11. §. *At objiciunt*, nunquam contingit: unde sequitur paucissima admodum decreta Conciliorum etiam generalium et legitimorum esse ex se certa et infallibilia. Quartò, in eisdem requirit ut Sacræ Scripturæ & antiquorum Conciliorum decretis consona sint; & tum demum dicit ea esse certa & infallibilia. Verba ejus notatu dignissima sunt: *Debet* (inquit) *sacrum Concilium universale regulis Sancti Spiritus apertis jam in canone Sacræ Scripturæ, ac præteritis Conciliis dirigi, maximè in negotio fidei, & tunc definitio ex allegatis sumpta absque errore erit. Vnde si ea non servantur, maximè libera omnium audientia, ac vbi aliqua attentarentur in Synodis quæ obviarent fidei Romanæ Ecclesiæ, protestatio justè, ac simul & appellatio ad aliud futurum Concilium fieri potest.* Hæc ille Lib. 2 Concordant. Catholicæ, Cap. 4. Quintò, quia hæc non semper in Conciliis observantur, ideo Cap. 5. ejusdem libri ex celebri illa Augustini sententia, *ipsa Concilia plenaria priora*

posterioribus emendari possunt, hanc observationem colligit: *Similiter est notandum experimento rerum, Concilium universale plenarium posse deficere: quomodo etiam varia talia Concilia fuerunt quæ judicando errarunt.*

9. Nicolaus de Clemangis in disput. cum Scholastico Parisiensi, quædam etiam tradit quæ cum doctrina Pontificiorum de Conciliorum infallibilitate, manifestè pugnant. Primò enim dicit, Concilium generale errare posse in controversiis morum, Collatione priori, pag. 61, & posteriori, pag. 66 & 67. Secundò, dicit CHRISTI *assistentiam per directionem, seu internam in agendis instructionem*, quæ promittitur illis verbis MATTHÆI 18, *Vbi duo vel tres*, &c. pertinere ad solos Sanctos: item illam promissionem quæ habetur IOHAN. 16, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, pertinere ad solos spirituales, seu ut ipse se explicat, ad eos *qui non sunt in carne, sed in spiritu*, Collat. poster. pag. 67. Ex hac positione Nicolai de Clemangis maxima oritur perplexitas & incertitudo de authoritate decretorum Synodicorum: idque quia de Episcoporum sanctitate qui ea ediderunt, null

nullam certitudinem habere possumus. Tertiò, non obscurè innuit eam persuasionem seu fiduciam de Conciliorum infallibilitate qua multi tumescunt, esse Ecclesiæ admodum perniciosam. Sic enim loquitur Collat. priori, pag. 64: *Non debent insuper, vt videtur, qui Concilium agunt, pro fiducia ac libertate agendi quæcunq; libuerit, nimis inniti illi æstimationi*, GENERALE CONCILIVM SVMVS, FIDENTER AGAMVS, ERRARE NON POSSVMVS. Et pag. 73, Collat. poster. *Solebant antiqui Patres Cōcilium celebraturi, jejuniorum abstinentia, orandi instantia, lachrymarū inundantia, &c. sancti Spiritus aßistentiam suffragiúmque implorare, &c. quid autem necessaria erat tanta diligentia, si exploratum habebant se non posse falli aut deficere in his propter quæ fuerant congregati.*

Caput XX.

An rectè dicat Bellarminus omnes Pontificios in eo convenire, quod Papa cum Concilio generali errare non possit.



1. Quidam Pontificii iique ferè rudes & laici, neque Iesuitarum sententiam qui in solo Pontifice, neque Parisiensium qui in solo Concilio generali infallibilitatem judicii de rebus fidei constituunt, defendere audent; sed id solum se firmiter credere profitentur in quo omnes Catholici (ut ait Bellarm. Lib. 4, de Pontif. Cap. 2) conveniunt, videlicet quod Papa cum Concilio generali errare non possit. Vt igitur sciamus num Adversarii qui huc confugiunt, fidum & tutum hîc receptum habeant, duo nobis consideranda sunt. Prius est; num Adversarii verè & perfectè consentiant in generali illo dogmate de infallibilitate *totius Ecclesiæ representativæ*, quæ non solum Concilium generale, sed etiam summ

summum Pontificem in se complectitur? Nam si in eo non consentiunt, nulla planè inter eos est consensio circa ipsam supremam fidei Pontificiæ regulam, à qua Romanæ Ecclesiæ unitas (quam tam insolenter jactant Adversarii) necessariò pendet. Posterius est; num generale illud dogma, in quo Bellarminus omnes Pontificios convenire asserit, sit certum & de fide? Nam si de eo plena & perfecta fidei certitudo haberi non potest, nemo negabit vastam illam fidei Pontificiæ molem fundamento parum stabili inniti.

Ad quæstionem priorem tribus assertionibus respondebo. Prima sit hæc; Pontificii ne verbo quidem tenus in generali illo dogmate consentiunt. Nam testimonia ex eorum scriptis à me citata capite præcedēti, manifestè docent totam Ecclesiam repræsentativam, imò quod majus est, totam multitudinem Clericorum errori obnoxiam esse: item Ecclesiam illam quæ infallibilis fidei & morum regula est, non esse Ecclesiam repræsentativam, sed Ecclesiam universalem propriè sic dictam; id est, totam multitudinem fidelium. Vnde patet Authores istos quorum testimonia in medium attuli, videlicet, Gulielmum Ockam, Petrum ab Alliaco, Valdensem, Panormitanum, Anton. Florentinum, Cardinalem Cusanum, & Nicolaum 2.

 de

de Clemangis in quæstione hac de infallibilitate judicii Ecclesiastici ab aliis Ecclesiæ istius Theologis dissensisse.

3. Secunda assertio sit hæc: Plerique Pontificii illudunt orbi Christiano, cum dicunt se credere quod Papa cum Concilio errare non possit. Non enim putant subjectum infallibilitatis judiciariæ esse totam Ecclesiam representativam, id est, Papam simul cum Concilio, ita videlicet ut firmitas decretorum Ecclesiasticorum sit & à Papa, & à Concilio, vel partim à Papa, & partim à Concilio; sed contrà, Iesuitæ volunt infallibilitatis illius subjectum esse Pontificem solum, Parisienses verò Concilium solum: & hi à solo Concilio, illi vero à solo Pontifice decretorum Ecclesiasticorũ firmitatem esse asserunt. Hoc patet ex Bellarm. qui Lib. 4 de Pontif. Cap. 3, discertè affirmat *totam firmitatem Conciliorum legitimorum esse à Pontifice: non partim à Pontifice, partim à Concilio.* Item ex Stapletono, qui Controv. 6, quæst. 3, art. 5, in explicatione articuli, dicit *Papam adjuncto Concilio nullam potestatem, vel authoritatem, vel etiam certitudinem in judicando novam acquirere, &c.* Et Valentia Tomo 3, Disp. 1, quæst. 1, puncto 7, § 45, dicit *munus infallibiliter definiendi*

esse

esse solius potestatis in Ecclesia supremæ; id est, Papalis potestatis: & *Conciliorum authoritatem ut est quidem infallibilis, non esse aliam quandam authoritatem per se distinctam ab authoritate Pontificis, sed eandem planè*; quia nimirum totam eorum infallibilitatem à Papali confirmatione esse putat. Non minus igitur verum est ex Iesuitarum sententia, *Papam cum Georgio Turnebullo errare non posse*, quam, *Papam cum Concilio generali errare non posse*. Item ex Parisiensium sententia non minus verum est, *Concilium generale cum Episcopo Rhemensi errare non posse*, quam *Concilium generale cum Papa errare non posse*.

Quare sicut illi nos riderent, si diceremus *Concilium cum Scriptura, cum Prophetis, cum Apostolis errare non posse*: ita meritò, sed non sine stomacho, ridemus, cum audimus eos dicentes *Papam cum Concilio errare non posse*. Concludo igitur, consensionem illam Pontificiorum, de qua loquitur Bellarm. Lib. 4 de Pont. Cap. 2, non esse firmam & solidam, imò non esse veram & realem: nam hoc modo non solum inter Iesuitas & Parisienses, sed etiam inter 4.

nos & omnes Pontificios de infallibili controversiarum judice convenit. Omnes enim fatemur Papam cum Scriptura & Concilio generali errare non posse. Imò si Iesuitis sic nugari placet, dicere possunt se cum Mahumetanis in hoc consentire quod Papa cum Alcorano, aut Alcoranum cum Papa, errare non possit.

Tertia assertio: Quamvis consensio illa,
5. de qua loquitur Bellarminus, firma, vera, & realis esset, non tamen in omni casu sufficeret ad conservandam illam Romanæ Ecclesiæ unitatem, de qua tantopere gloriantur Adversarii. Quid enim si in decisione alicujus controversiæ Papa à Concilio dissentiret? quod sanè non solum est possibile, sed etiam sæpius accidit. Quid hîc facerent Pontificii qui cum Bellarmino Lib. 4, de Notis Ecclesiæ, Cap. 10, dicunt in *Ecclesia Catholica esse certam regulam componendarum controversiarum?* Profectò non solùm circa ipsam *rem controversam*, sed etiam circa *regulam componendarum controversiarum* dissentirent & digladiarentur inter se. Quidam enim ex iis judicio Pontificis, alii verò judicio Concilii standum esse dicerent: et sic, ut verbis Suarezii utar disp. 5, de Fide, sect. 7, § 11, *magna esset perplexitas, & magnum*

num scandalum Ecclesiæ, si Pontifex & Concilium inter se dissentirent.

CAPUT XXI.

An certum sit & de fide, Papam cum Concilio generali errare non posse?



Espondetur negativè ob has rationes: primò, quia id neque apertè est revelatum in Scripturis, neque ex iis quæ apertè revelata sunt evidenter colligi potest. Secundò, quia nihil tale in Patrum scriptis habetur: imò Patres, ut patet ex Cap. 18, infallibilitatem judicii Ecclesiastici, aut ignorarunt, aut apertè negarunt, nullamque infallibilem fidei regulam agnoverunt præter Sacram Scripturam & perpetuam Ecclesiæ traditionem. Tertio, multi Theologi Pontificii putarunt totam Ecclesiam repræsentativam, imò quod majus est, totam multitudinem Clericorum errori obnoxiam esse. Vide Guliel. Ockam, parte 1 Dialogi, Lib. 5, Cap. 29, & 31; ubi hanc conclusionem ponit & tuetur; *Tota multitudo Clericorum potest contra fidem Catholicam errare,* I.

rare, & per consequens totus Clerus non est illa Ecclesia quæ contra fidem errare non potest. Vide etiam Cameracensem Quæst. de resumpta, Conclus. 3, à litera S, ad literam T; ubi istam assertionem Gulielmi Ockam de tota multitudine Clericorum, proponit & defendit. Quartò, variæ hodie sunt & olim fuerunt opiniones de authoritate totius Ecclesiæ repræsentativæ, nec adhuc de ea re ulla habetur Ecclesiæ definitio. Ergo infallibilitas totius Ecclesiæ repræsentativæ non est de fide. Hoc argumentum est ad hominem ut loquuntur: nam Adversarii docent dogmata controversa nondumq; ab Ecclesia definita non esse de fide. Quintò, Liberius Papa cum generali Concilio Sirmiensi erravit, ut patet ex iis quæ dicta sunt Cap. 14. Ergo Papa cum Concilio errare potest.

2. Denique Papa judicialiter errare potest, ut supra fusè probavi. Ergo errare potest in approbandis Conciliorum generalium decretis, & per consequens approbare potest errorem à Concilio definitum: & sic simul cum Concilio errabit. Confirmatur hæc nostra illatio, quia fieri potest ut Pontifex personaliter erret cum Concilio; hoc est ut privatim in mente sua illum ipsum errorem foveat qui à Concilio definitus est: accedente igitur

Con

Concilii definitione magis in eo errore obfirmabitur: & sic procul dubio eum publicè definiet, & cum Concilio judicialiter errabit. Non habent hîc Adversarii quod respondeant nisi fortè cum Valentiano tomo 3, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 41, ad arcana providentiæ divinæ confugiant, dicentes fidelitatem DEI qua is ex promissione tenetur communem Ecclesiæ errorem impedire, in ejusmodi casu obstare, quominus Ecclesia repræsentativa propriè & simpliciter sic dicta erret: hoc est quominus Pontifex erroneæ sententiæ a Concilio pronunciatæ assensum præbeat, & sic unà cum eo erret. Sed gratis hoc asserunt: nam nihil tale vel ex promissionibus Ecclesiæ datis, vel ex aliis quibusvis Scripturæ testimoniis evidenter colligi potest.

Patet hoc primò, quia Patres ex iis Scripturæ testimoniis quæ Adversarii pro infallibilitate Ecclesiæ repræsentativæ adferre solent nunquam eliciunt hanc conclusionem, *Papa cum Concilio errare non potest*, aut *Concilia à Papa confirmata sunt infallibilia*. 3. Secundò, Theologi Pontificii qui duobus aut tribus ab hinc seculis scripserunt, dilucidè et perspicuè ostendunt, Ecclesiæ repræsentativæ infallibilitatem neq; ex dicto illo CHRISTI

STI, MATTH. 18; *Vbi sunt duo aut tres in Nomine meo congregati, illîc sum in medio eorum*; neque ex promissione illa quæ exstat 28 ejusdē EVANGELII, *Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*; neque ex illis Apostolorum verbis ACTORVM 15; *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, sufficienter probari posse. Vide Gulielm. Ockam, parte 3 Dialogi, Tract. 1, Lib. 3, Cap. 9; et Cardinal. Camerac. Quæst. de Resumpta, tit. R. Docent etiam infallibilitatem Ecclesiæ repræsentativæ non posse colligi ex iis Scripturæ testimoniis quibus Theologi probare solent Ecclesiam Catholicam, seu totam multitudinem fidelium, non posse errare. Vide Panormitanum, 1 parte 1 libri Decretalium, tit. *De Electione*, CAP. *Significasti*; et Antoninum Florentinum, tomo 3, titulo 23, CAP. 2, § 6. Tertiò, quidam scriptores moderni Ecclesiæ Romanæ jugulant et destruunt præcipua argumenta quæ alii ex prædictis Scripturæ locis adferre solent: ne autem temerè hoc asserere videar ipsorum verba hîc in medium afferam.

4. Ex iis Scripturæ locis quæ probare videntur Ecclesiam non posse errare, neque in credendo, neque in docendo: qualia sunt illa,

Super

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, MATTH. 16: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, MAT. 28: *Ecclesia DEI vivi est columna & firmamentum veritatis*, 1 TIM. 3, ex iis inquam Bellarm. Lib. 2, de Conciliis, Cap. 2, sic argumentatur: *Concilium generale repræsentat Ecclesiam universam, & proinde consensum habet Ecclesiæ universalis: quare si Ecclesia non potest errare, neque Concilium Oecumenicum legitimum & approbatum potest errare*. Hanc consequentiam seu illationem sic evertit Canus, Lib. 5, de locis Theologicis, Cap. 5, quæst. 1, pag. 259: *Nec contraria argumenta quicquam efficiunt: nam primum sic refellitur. Fateor equidem quodcunque Cõcilium generale universalem Ecclesiam repræsentare: sed dum vrges Ecclesiam errare non posse, verum est id in eo sensu qui à fidelibus accipitur. Intelligimus enim* TOTAM SIMVL ECCLESIAM, HOC EST FIDELES OMNES, NON ERRARE. *At nihil obstat cur major*

Eccl

Ecclesiæ pars non erret. Sic igitur non ego admitto ut totum Concilium cum legatis errare possit. At errare potest major pars Concilii. Similiter Valentianus, tomo 3, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 45: *Deinde* (inquit) *si maximè concederemus Concilium ἀκέφαλον Ecclesiam simpliciter repræsentare, tamen ex ea re solum consequetur, omnes Patres Concilii ad unum usque errare non posse,* SICVT NEC ERRARE POSSVNT SIMVL OMNES FIDELES. *At posset tamen nihilominus errare major illorum pars, atque adeo ipsum etiam Concilium, quippe cum ex sententia majoris partis congregatorum decreta Concilii confici soleant.*

5. Ex his verbis Cani et Valentiani patet quam infirmum sit hoc Adversariorum argumentum: *Cætus ille judicum Ecclesiasticorum qui ex Papa & Episcopis in Concilio congregatis constat, Ecclesiam Catholicam perfectè repræsentat. Ergo errare non potest.* Facilè enim respondeo negando consequentiam, meæque negationis rationem afferendo ex verbis Melch. Cani, & Gregorii de Valentia. Nam sicut major pars

Eccl

Ecclesiæ Catholicæ errare potest, ita major pars istius cœtus qui ex Papa et reliquis Episcopis in Concilio congregatis constat, errare potest: et per consequens istius cœtus decreta (quæ ex sententia majoris partis congregatorum confici solent) non sunt certa et infallibilia. Ex eo igitur quod Papa et Episcopi in Concilio congregati Ecclesiam Catholicam repræsentant, solùm consequitur esse aliquem aut aliquos in eo cœtu qui rectè de rebus controversis sentiunt, sicut semper in Ecclesia Catholica sunt aliqui Orthodoxi. At non sequitur Papam cum majori parte Concilii rectè sentire, ut manifestè patet ex istorum Authorum verbis.

Solent etiam Adversarii Conciliorum infallibilitatem probare ex illa promissione CHRISTI quæ exstat Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum.* At Stapletonus Controv. 6, quæst. 3, art. 4, apertè asserit Conciliorum firmitatem propriè non inniti iis verbis: *Ad tertium* (inquit) *dicendum quod firmitas Conciliorum illis CHRISTI verbis propriè non innititur; quia nec CHRISTVS ibi de Conciliis Episcoporum loquitur, sed de quavis fidelium vnanimi congregatione; nec etsi* 6.

CHRIST

CHRISTVS adsit in medio talium, tamen ad omnem effectum adest, aut ad hunc qui est judicare de fide. Valentia etiam tomo 3, disp. 1, quæst. 1, puncto 7, § 45, de eisdem Apostolorum verbis sic loquitur: *Hoc argumentum facillimè expeditur. Non enim ad infallibilem certitudinem alicujus sententiæ, in quam plures in Nomine CHRISTI consentiant locus hic Evangelii propriè accommodari debet, sed ad efficaciam consensionis plurium ad id impetrandum, quod vnanimiter in CHRISTI Nomine petunt, si id quidem ad eorum salutem expediat. Secus enim, non modo ex illo loco probabitur, infallibilem esse sine Pontificis assensu definitionem Cõcilii vniversalis, sed etiam provincialis, imò & Episcopalis, imò & aliorũ quorumcunque duorum aut trium in Nomine CHRISTI convenientium ad aliquid statuendum.*

7. Stapletonus loco citato dicit Conciliorum firmitatem præcipuè inniti exemplo primi Concilii Apostolici, seu verbis illis Apostolorum, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, ACT. 15. At Ferus in explicatione istius capitis docet exemplum Concilii Apostol

stolici ineptè adhiberi ad eorum Conciliorum quæ in Ecclesia Romana celebrari solent firmitatem demonstrandam. *Vides igitur* (inquit) *quomodo conveniunt Apostoli. Simpliciter conveniunt, nihil nisi DEVM quærunt, & aliorum salutem expetunt: denique omnia prudenter perpendunt. Quid igitur mirum si in hoc Concilio fuerit Spiritus Sanctus, &c. Nos aliter convenimus, nempè cum magna pompa, nósque ipsos quærimus, atque nobis pollicemur, nihil nobis nō licere de plenitudine potestatis.*

Et quomodo Spiritus Sanctus eiusmodi conventus probare possit? Hæc ille.

Vides jam (candide Lector) quam manifestè quidam Pontificii moderni evertant & destruant ea argumenta quæ ex Scripturis adferri solent ad demonstrandam Ecclesiæ repræsentativæ infallibilitatem: vides etiam quam variæ & discrepantes hac de re sententiæ inter Scholasticos olim fuerint. Id enim apertè patet ex Ockami, Cameracensis, & aliorum testimoniis à me citatis Cap. 19, quibus coronidis loco hîc adjiciam verba Ioan- 8.

 nis

nis Fransici Pici Mirand., qui sæpius in libro Theorematum testatur nihil certi suo seculo definitum fuisse de infallibilitate judicii Ecclesiastici. Sic enim scribit in Expositione Theorematis 4: *Theologorum MVLTI, etiam juris interpretum PLERIQVE,* (non dicit hanc sententiam esse omnium, sed multorum) *voluere Concilium ipsum, si una cum Pontifice Maximo in iis controversiis, quæ aut ad essentiã fidei, aut ad necessarios benè Christianèque vivendi mores pertinent, sententiam ferat, nullo pacto errare posse* ——-—— ——. *Restiterunt alii affirmantes errare posse Concilia & jam errasse* ——-——. *Quod autẽ Pontifex ipse errare in judicando possit asseverantissimè à plerisque pronunciatur: aiunt enim notissimum esse, Pontificem summum hæreticum fieri posse & deponi à sede.* Et infrâ: *Authoritatem verò illam Evangelii* (quæ videlicet habetur LVCÆ 22, 32) *multipliciter interpretantur: de fide primum eam intelligi debere aiunt quam Petrus confessus est, inquiens,* Tu es CHRISTVS, Filius DEI vivi: *de vltima quoq; ipsius Petri fide, qui quanquã negaturus*

vus CHRISTVM fuerat, ad eum tamen rediturus erat, & in ejus gratia stabiliendus. Et quamvis de perseverantia fidei in Ecclesia Romana intelligi posse non negent, propriorem nihilominus hunc Evangelii sensum credunt, cum ob alia, tum ob id quod A PLERISQVE NEGATVR ex Scripturis divinis colligi, fidem CHRISTI necessariò in Ecclesia Romana, ut particularis Ecclesia est ab universali distincta, adusq; finem seculi perpetuandam. Et qui hoc asserunt, sententias quoque illas quæ in Decretorum libro ad hoc ipsum confirmandum ponuntur, nihil adstruere putant. Inter quos Petrus Alliacensis in quæstione Vesperiarum hoc sensit. Abbas quoq; Panormitanus primæ ferè auctoritatis inter professores Pontificii juris, super titulo De sententia excommunicationis, *in Capitulo eo cujus initium est,* A nobis *asseverat universalem duntaxat Ecclesiam in fide & ejus articulis errare non posse* ——————— *Ex quibus omnibus liquet varias de firmitate judicii Conciliorum & Pontificis sententias à Doctoribus*

ferri, nec adhuc aliquid (quod sciam) promulgatum est cujus vi ad alterutrum credendum obstringamur. Idem etiam Theoremate 8, dicit, *determinationibus quæ a Concilio vel Pontifice summo fiunt, super iis dubitationibus quæ substantiam fidei concernunt, quoad dum universalis Ecclesia non reclamaret, necessariò credendam esse.* Et in expositione istius Theorematis sic loquitur; *Diximus in Theoremate* quoad dum universalis Ecclesia non reclamaret, *quam particulam ob eorum opinionem addidimus qui credunt posse fieri ut Pontifex summus & Concilium aberret.* Et infra; *Sed esto, inquies, reclamabunt aliqui adversus Pontificem, Conciliumve, aut utrumque,* &c. Ibidem etiam de Panormitano sic scribit; *Panormitanus Abbas affirmat solã universalẽ Ecclesiam* (nõ repræsẽtativã) *non posse errare in fide aut ejus articulis.* Et de Cardinale Cameracensi idem asserit; *Sed multa alia* (inquit) *quoque ad propositum afferri possent: præsertim Cardinalis Cameracensis qui putavit solã universalem Ecclesiam in fide errare non posse.*

CAPVT

Capvt XXII.

Quod Ecclesiæ testimonium non sit formale fidei objectum, ubi argumenta ad hoc probandum allata sectione 7, à Turnebulli cavillis vindicantur.



X iis quæ præcedentibus capitibus de Papæ & Cōciliorum authoritate dicta sunt, facilè percipere potes, Iesuita Turnebullie, nimis audacem & temerariam esse istam tuam assertionem qua affirmas *Cap. 7, § 6,* veterem revelationem in Sacris Literis nobis manifestatam, & definitiones Papæ ac Conciliorum ab eo confirmatorum pariter pertinere ad formale objectum, seu principale fundamentum fidei. Probavimus enim authoritatem Ecclesiæ fidei controversias difinientis non esse *divinam*, aut *humanam divinitus inspiratam*, sed humanam simpliciter, & errori obnoxiam, nisi quatenus Sacræ Scripturæ actu conformis est, nam tunc ejus definitio dici potest Verbum DEI, seu Testimonium di- I.

vinum. Vnde evidenter sequitur Ecclesiæ definitionem simpliciter & absolutè non pertinere ad formale objectum fidei. Idem etiam patet ex argumentis ad hoc probandum allatis sect. 7, quam Lectori exhibui initio hujus 5 Tract. à pag. 193, ad 200. Quia autem in Replicatione tua ad sectionem illam 7, argumenta illic proposita diluere conaris, ideo à tuis cavillationibus ea vindicabo priusquam extremam huic tractatui manum admoveam.

2. Quærebam in confirmatione primi argumenti, unde constet primum canonem quartæ Sessionis Concilii Tridentini esse infallibile DEI Verbum? et primò probabam istum canonem non posse *per se* nos certos reddere de divina sua authoritate; deinde removebam omnia alia principia fidei, ex quibus Adversarii dicunt, vel dicere possunt, certitudinem de infallibilitate hujus canonis haberi. Respondes Cap. 8, § 2, afferendo duas acceptiones particulæ *per se*, & earum una rejecta, alterā admittis, dicisq; hunc canonem per se, id est, *non per aliam ulteriorem regulam* nos de divina sua authoritate certos reddere. Sed dum hoc explicas, apertè tibi contradicis: dicis enim Ecclesiam quæ istum canonem condidit, quæque semper parata est respondere dubitantibus de suorum canonum

num sensu & authoritate, nos certos reddere de istius canonis divina & infallibili authoritate. Dico te hîc apertè tibi contradicere, quia si certitudo de hujus canonis infallibilitate habetur non ex ipso hoc canone, sed ex Ecclesia quæ eum condidit, evidenter sequitur te ineptè dixisse hunc canonem *per se* nos certos reddere de infallibili sua authoritate: sequitur item certitudinem de ejus infallibilitate haberi per *vlteriorem regulam*, hoc est, per regulam ab ipso hoc canone distinctam. Nam Ecclesiam esse quid distinctum à quolibet decreto Ecclesiastico & res ipsa clamat, & tu etiam fateris Cap. 8, § 8, ubi dicis *nos distinguere debere personam Ecclesiæ testantis vel decernentis quæ semper est eadem CHRISTI sponsa, materq; credentium, uniformiter de fide respondens, ab ipso ejus responso seu decreto quod varium & multiplex datur pro varietate dogmatum quæ in controversiam adducuntur*.

Præterea manifestè principium petis cum dicis Ecclesiam quæ istum canonem condidit nos certos reddere de illius veritate. Nam initio primi hujus argumenti quæsivi primò generaliter unde constet Ecclesiæ testimonium esse infallibile, seu Ecclesiam in testifi- 3.

cando esse infallibilem? Deinde speciatim quæsivi unde constet illud particulare testimonium Ecclesiæ, videlicet primum canonem quartæ Sessionis Concilii Tridentini, esse infallibile DEI Verbum? Ad priorem illam quæstionem nihil omnino respondes; sed ad posteriorem statim accedis, & ad eam respondes per id quod prima quæstione in dubium vocatum est, id est, per authoritatem infallibilem ipsius Ecclesiæ *quæ decretum illud per suos Pastores primùm tulit, & etiamnum ratum habet, semperq́; habebit.* Nondum igitur sublata est argumenti nostri difficultas. Primò enim, quamvis Ecclesia ratum habeat illud decretum, non tamen inde sequitur decretum illud ex se, & sua, ut ita dicam, natura esse infallibile: potest enim Ecclesia approbare & ratum habere scriptũ alicujus privati Doctoris: non tamen inde sequitur scriptum illud ex se esse infallibile. Secundò, quamvis Ecclesia aliud decretum pronunciaret quo testaretur prius istud decretum esse infallibile, nondum tamen dubitantibus satisfaceret. Nam etiam de posteriori illo decreto quæri potest, unde constet illud esse divinum & infallibile? & sic dabitur progressus in infinitum, si videlicet semper opus est posteriori aliquo decreto ad authoritatem prio

prioribus decretis conciliandam. Hanc rationem, aut saltē aliam huic simillimā, proposui parte 1 disp. sect. 7, § 2, & parte 2, quæst. 1, § 9; sed tu data opera eam transiliisti. Tertiò, quamvis Ecclesia millies diceret aut doceret sua decreta esse infallibilia, nemo tamen ei fidem adhibebit, nisi prius credat Ecclesiam ipsam esse in testificando infallibilem. At unde hoc constare potest? seu quo fundamento nititur hæc persuasio de Ecclesiæ infallibilitate? Ad hanc quæstionem nondum respondere potuisti, Turnebulle, quod sanè maximo argumento est fidem tuam qua credis Ecclesiæ infallibilitatem parum firmam & certam esse.

4. At (inquis) otiosa est hæc quæstio qua quæritur, unde constat Ecclesiam esse infallibilem: *nam Ecclesia est mulier amicta sole, vltimaq́ regula omnium credibilium, cujus proinde dictamen in omni credito tanquam diurnum solis lumen, id est ipsius DEI Verbum est omnibus CHRISTI tam agnis, quam ovibus primum, cognitum.* Resp. primò: hîc apertè principium petis. Dicis enim Ecclesiam esse ultimam credendi regulam, ejusq́ue dictamen esse DEI ipsius Verbum & *primum cognitum*, seu primum principium fidei Christianæ: et proinde otio-

ſam eſſe prædictam quæſtionem. At hæc omnia controverſa ſunt, & nunc quæſtio de iis movetur, unde videlicet conſtet ea eſſe vera. Secundò, quæro quid intelligas per *Eccleſiæ dictamen* cum dicis id eſſe *primum cognitum*, ſeu primum fidei principium? An communem doctrinam ſeu conſenſionē omnium Paſtorum Eccleſiæ? At neque ea eſt Chriſtianis omnibus primum cognitum, (nam multi Chriſtiani, præſertim laici, neq; ſciunt, neque explicitè & certò ſcire poſſunt, quænam ſit communis doctrina omnium Paſtorum Eccleſiæ, ut patet ex iis quæ dicta ſunt tractatu 1, Cap. 3) neque ad præſentem quæſtionem pertinet: nunc enim non de communi Eccleſiæ conſenſu, ſed de ejus infallibilitate in determinandis fidei controverſiis diſputamus. An *particulare decretum de aliquo dogmate prius inter Chriſtiani nominis profeſſores controverſo*, ut tu loqueris, Cap. 8, § 5? At id te ipſo fatente non poteſt eſſe Chriſtianis primū cognitum: dicis enim loco citato, *à fidelibus jam habitu & generatim omnia revelata credentibus ſemper prius præcognoſcendam, credendamque etiam fide divina veram Eccleſiam cum ſuis notis, quam ejuſdem Eccleſiæ teſtimonium eſſe*

poſſit

possit regula noviter aliquid credendi ex eadem fide. Præterea Ecclesiæ testimonio aut decreto de quacunque re creditur propter ipsius Ecclesiæ in testificãdo infallibilitatem: nam (ut sæpius monui in disputatione mea) nos non possumus assentiri Ecclesiæ decretis tanquam certis & infallibilibus testimoniis, nisi prius saltem ordine naturæ credamus Ecclesiam in decernendo errare non posse. Ergo ante dictamen Ecclesiæ creditur ejus infallibilitas, & per consequens dictamen seu decretum Ecclesiæ non est Christianis primum cognitum. An denique per dictamen Ecclesiæ intelligis non ipsum decretum Ecclesiæ, sed ejusdem in decernendo auctoritatem, ita ut fidei Christianæ primum principium, seu primum credibile sit, *Ecclesia in definiendo errare non potest*, seu *DEVS per Ecclesiam definientem semper & immutabiliter loquitur*. At hoc asserendo tuam vel inscitiam vel impudentiam apertè prodis.

Primo enim falsò asseris Ecclesiæ in decernendo infallibilitatem esse primum fidei Christianæ principium: nam infra tract. *de primo credibili* contrarium fusè probabitur. 5.
Secundo, id non potest esse primum Christianæ fidei principium quod multi Catholici & Orthodoxi, tum Patres, tum Pontificii Theolog

logi, aut negarunt, aut in dubium vocarunt: nam prima principia certa & indubitata esse debent. At Ecclesiæ in definiendo infallibilitas est talis, ut patet ex hoc ipso tractatu, à capite 10, ad hoc 22 caput. Ergo ea non est primum fidei principium. Tertiò, tu cum reliquis tuæ societatis Theologis, cum dicitis Ecclesiam in definiendo errare non posse, per Ecclesiam intelligitis Papā Rom., nam in eo solo & non in corpore Concilii infallibilitatem judicandi constituitis. At de infallibilitate Papali in definiendo usque ad hunc diem quæstio inter ipsos Pontificios superest, ut patet ex Bellarm. lib. 4, de Pontif. Cap. 2. Ergo ea non potest esse primum fidei principium. Quartò, vel creditis DEVM per Ecclesiam loqui quia ipsa Ecclesia hoc de se testatur, vel quia in decretis & definitionibus Ecclesiæ sunt clara et manifesta divinitatis indicia, vel quia communia fidei motiva hoc suadent, vel denique quia in alia aliqua ulteriori regula fidei, infallibilitas Ecclesiæ revelata est. At neque ex ipsius Ecclesiæ testimonio, neque ex iis divinitatis indiciis quæ insunt aut inesse videntur decretis Ecclesiæ, neque ex communibus fidei motivis, haberi potest certitudo fidei de veritate istius propositionis, *DEVS per Ecclesiam loquitur*. Ergo oportet ut probetur ex alia ulteriori regula

gula, id est ex Scriptura vel Traditione: et per consequens, non est primum cognitum in Theologia, seu primum fidei principium. Nam in primo credendi principio fides sistit et acquiescit, nec ad aliud ulterius principium progreditur, ut ex eo de veritate primi principii certitudinem acquirat. Patet major, quia isti propositioni assentiri non possumus nisi aliquo modo ejus veritas nobis manifestetur. At nullus modus excogitari potest quo veritas ejus manifestetur, præter eos quos in majore propositione expressi. Nam quod *Cap.* 14, § 5, dicis te credere *Ecclesiam* esse columnam et firmamentum veritatis propter increatam DEI revelantis authoritatem, id nullo modo meæ quæstioni satisfacit. Cum enim nuda DEI authoritas absque externa revelatione non sufficiat ad fundandum fidei assensum, ut ipse fateris *Cap.* 2, § 11, docere debes quomodo, vel per quid, Devs revelet *Ecclesiam* esse columnam, etc. *Ecce* jam tuum tibi eripui subterfugium, et necessitatem tibi imposui respondendi ad quæstionem illam quam dicis esse otiosam. Quod ad minorem nostri syllogismi attinet, ea fusè probabitur in Tractatu *de primo Credibili*, *Cap.* 5 et 6. Quintò, denique si otiosa est quæstio qua quæritur unde constet Devm per *Ecclesiam* loqui, seu *Ecclesiæ* testimonium

nium esse DEI ipsius Verbum, multò magis otiosa est quæstio vestra, qua ex nostris Theologis quærere soletis, unde cõstet Scripturam esse DEI Verbum. Ratio manifesta est, quia Scriptura (ut ipse fateris Cap. 4, § 4) *est divinitus inspirata, & tot tum miraculis, tum vaticiniorum adimpletionibus confirmata, & sanctißimis institutis atque doctrinis* per se ita illustris, *vt de infallibili ejus authoritate nulla prudenti supersit ratio dubitandi.* Præterea de infallibilitate Ecclesiæ in definiendo multi Catholici dubitarunt, imò multi eam apertè negarunt. At de infallibili authoritate Sacræ Scripturæ, nemo unquam Catholicus seu Orthodoxus dubitavit. Ergo tolerabilior est nostra quæstio de authoritate Ecclesiæ, quam vestra de authoritate Scripturæ. Tergiversaris igitur, mi Turnebulle, vestræque causæ te diffidere ostendis, cum quęstionem de ratione credendi infallibilitatem Ecclesiæ, tanquam otiosam & superfluam declinas. Multa aliá tuæ responsionis vitia hîc notare & confutare possum, sed me cohibeo, tibique parco, ne in fatiscentem & prostratum hostem sęvire videar.

6. Progredior ad secundum argumentum Sect. 7 à me propositum, in cujus confirmatione probabam doctrinam de natura, notis &

& auctoritate *Ecclesiæ* in genere, non credi propter *Ecclesię Romanę* testimonium, quia hęc necessariò creditur antequam fidem habeamus *Ecclesię Romanę* testimonio, ut ibidem probavi § 3. Cum ad hoc argumentum respondes *Cap.* 8, § 5, primò distinguis inter accedentes ad fidem seu credere incipientes & fideles jam habitu & generatim omnia revelata credentes: dicisque non opus esse ut accedentibus ad fidem applicetur unum vel alterum particulare decretum de aliquo dogmate prius inter Christianos controverso, sed sufficere ut ostendatur ipsa Ecclesia tanquam civitas cœlitus dimissa, & universa ejus doctrina saltem quoad præcipuos fidei articulos tanquam divinitus accepta proponatur. At si infallibilis *Ecclesiæ* propositio est *conditio simpliciter necessaria ad credendum*, ut vestri communiter docent, sique *prudens & Catholica fides Christianorum, nec stare, nec concipi potest sine conformatione cum judicio Ecclesiæ, tanquam cum exemplari causa fidei Catholicæ*, ut ipse asseris *Cap.* 8, § 13, necesse est ut etiam accedentibus ad fidem proponatur aliquod judicium seu testimonium *Ecclesiæ* cui fidem suam conformare possint. Quod autem dicis sufficere ut incipientibus credere proponatur Ecclesia tanquam civitas cœlitus dimissa, id parum solidum est, Quæro enim ex te utrum

Past

Pastores Ecclesiæ qui proponunt Ecclesiam Romanam tanquam veram CHRISTI Ecclesiam & infallibilem fidei regulam, tantum debeant asserere seu affirmare eam esse talem, an verò debeant ex generali doctrina de natura, notis, & authoritate Ecclesiæ, in Verbo DEI revelata, demonstrare seu ostendere eam esse talem? Si prius dixeris sequetur eos qui apud vos credere incipiunt, non ad prudentem & Catholicam, sed ad brutam & cæcam fidem accedere: sequetur etiam fidem eorundem qua credunt Romanæ Ecclesiæ & veritatem & authoritatem, nullo fundamento niti, præter asseverationẽ paucorum Sacerdotum qui id asserunt, sed non ex Verbo DEI demonstrant. At asseveratio Sacerdotum seorsum prædicantium non est infallibilis, ut vestri Theologi communiter docent. Vide ea quæ à me dicta sunt Tract. 1, Cap. 3. Si posterius dixeris, sequetur eos proponere Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem non tanquam supremam fidei regulam, et primum in Theologia principium, sed tanquam regulam inferiorem ab alia superiori regula in esse credibilis pendentem, hoc est ab alia superiori regula, quæ prius natura credi debet, authoritatem suam emendicantem; & sic habemus propositum.

Secund

Secundò dicis veritatem (adde, & infallibilitatem) Ecclesiæ Romanæ non necessariò credi antequam assentiamur Ecclesiæ Romanæ testimonio & doctrinæ quam ea se credere profitetur, idque quia fidelium intellectus *simul & semel generalem præbet assensum utrique propter ejusdem revelãtis authoritatem*, &c. At primò hîc falsò asseris eos qui credere incipiunt simul tempore assentiri omnibus credendis. Pastores Ecclesiæ non simul, sed successivè proponunt credenda. Neophyti & Catechumeni successivè ea discunt: Denique, DEVS successivè hominum intellectum de credendis illuminat interna operatione Spiritus sui ut fusè probabitur Tract. sequenti Cap. 6. Ergo non simul tempore, sed successivè credunt ea quæ iis credenda proponuntur, primusque actus fidei quem eliciunt non est generalis assensus quo omnibus credendis ob DEI revelantis authoritatem confusè assentiuntur; sed est specialis assensus quam præbent huic vel illi dogmati cujus veritas ex Verbo DEI primò iis manifestata est. Quod autem addis primum fidei actum præsupponere in pia voluntate generale imperium credendi omnia quæ à DEO ad nostram salutem revelata sunt, id minimè sufficit ad tuam sententiam de simultate credendi stabiliendam. Quamvis enim in vo- 7.

luntate ejus qui credere incipit, sit pius quidam credulitatis affectus, seu inclinatio non solum ad id credendum quod jam actu credit, sed etiam ad credenda ea omnia quæ similiter à DEO ad nostram salutem revelata sunt, quàm primùm scire poterit ea esse talia, hoc est, esse à DEO revelata; quia tamen objecta fidei non simul, sed successivè, & cum quadam temporis mora ei proponuntur, & manifestantur ut divinitus revelata, quia item is *successivè discit quid sit credendum*, ut ipse loqueris eodem Cap. 8, § 11, ideo dicendum est voluntatem ejus non simul & semel determinare seu movere ejus intellectum ad omnia fidei dogmata actu credenda, sed primò eum inclinare ad hoc dogma credendum, deinde ad illud, & sic deinceps.

8. Secundò, quamvis id verum esset quod asseris de simultate credendi, negare tamen non potes, inter objecta fidei esse aliquem ordinem naturæ, seu dependentiæ *in esse credibilis*, ita videlicet ut unum fidei dogma prius natura credatur, quam aliud quod ab eo dependet *in esse credibilis*. Sic igitur, ad vitandam omnem ambiguitatem, tuumq; subterfugium tibi eripiendum, argumentũ meum propono. Quod secundùm naturæ ordinem necessariò creditur antequam fidẽ habeamus Ecclesiæ Romanæ testimonio, illud non creditur propter Ecclesiæ Romanæ testimonium.

At generalis doctrina in Verbo Dei expressè revelata, de natura, notis, & authoritate Ecclesiæ in genere, et illa specialis doctrina de veritate & infallibilitate Ecclesiæ Romanæ, secundùm naturę ordinem necessariò creduntur antequam fidem habeamus Ecclesiæ Romanæ testimonio. Ergo non creduntur propter ejus testimonium. Patet Major, quia ea credibilia quæ natura priora sunt, non dependent *in esse credibilis*, ab iis quæ ordine naturæ posterius creduntur, hoc est non creduntur propter ea: nam si propter ea crederentur fide divina, tunc præsupponerent ea ut prius credita fide divina, juxta generalem illam regulam; *Propter quod aliquid scimus aut credim⁹, illud ipsũ prius à nobis sciri & credi oportet:* & sic ea quæ sunt posteriora creditu, essent priora & contrà priora essent posteriora. Minor etiam manifesta est, quia propter generalem doctrinam in Verbo Dei revelatam de natura, notis, & authoritate Ecclesiæ, Pontificii fide divina (ut ipsi opinantur) credunt Romanam Ecclesiam esse veram, imò unicã CHRISTI Ecclesiam, eamq; in definiendis dogmatibus fidei errare non posse: item quia Romana Ecclesia est vera Ecclesia, & in definiendo errare non potest firmum et plenum fidei assensum ejus testimonio præbent. Ergo utraque hæc doctrina

prius secundùm naturæ ordinem creditur, ut patet ex prædicta illa regula, *Propter quod aliquid credimus, illud ipsum prius credi oportet.*

Tertiò asseris inter Credibilia esse aliquem ordinem etiam temporis respectu fidei, non quidem divinæ, sed alterius quæ *inferioris ordinis* est, et *in humanis ac creatis motivis fundatur:* dicis enim *Ecclesiam hac fide prius ex suis notis æstimari, quam universa ejus doctrina admittatur.* Sed primò malè assertionem tuam restringis ad fidem illam inferioris ordinis: nam ut ex dictis patet, et ex Tractatu sequenti magis patebit, inter objecta fidei, etiam quatenus fide divina creduntur, datur ordo cum temporis, tum naturæ. Secundò, quæro quas notas Ecclesiæ intelligas, cum dicis Ecclesiam ex suis notis æstimari fide illa inferioris ordinis priusquam universa ejus doctrina admittatur? Verum videlicet intelligas notas Ecclesiæ à vobis ipsis excogitatas, an verò in Verbo DEI revelatas? Si prius dixeris, sequetur illam prævíam æstimationem Ecclesiæ de qua loqueris esse incertam & fallacem: non enim possumus certò judicare de Ecclesiæ alicujus veritate, nisi ex notis Ecclesiæ in Verbo DEI revelatis. Si posterius dixeris, tunc malè illam

lam prævîam æstimationem ad fidem inferioris ordinis refers: nam ex notis *Ecclesiæ* in Verbo DEI revelatis, certitudo fidei divinæ de hujus aut illius *Ecclesiæ* veritate habetur, immò ea aliunde nunc haberi non potest, ut patebit ex Tractatu de primo Credibili.

9. Quartò, rectè fateris à fidelibus jam habitu & implicitè omnia credentibus veram Ecclesiam cum suis notis necessariò credi, antequam novo alicui decreto istius Ecclesiæ fidem habeant. At primò non minus rectè dixisses fideles jam habitu & implicitè omnia credentes, prius saltem ordine naturæ credere Ecclesiæ & veritatem, & authoritatem, quam ulli decreto aut testimonio *Ecclesiæ* (sive illud vetus, sive novum sit) fidem habeant. Nam quicunque apud vos intrepidè, & sine prævio examine, testimonio *Ecclesiæ* Romanæ assentiuntur, illi hoc faciunt quia credunt Romanæ *Ecclesiæ* in testificando infallibilitatem. Ergo illa Romanæ Ecclesiæ infallibilitas prius vel tempore vel natura creditur, quam ejus testimonio fides adhibeatur. Secundò hinc sequitur, Ecclesiam definiendo controversiam de infallibitate judicii Ecclesiastici (quæ inter Catholicos & Pontificios agitatur) non posse istam litem dirimere, aut de *Ecclesiæ* authoritate dubitantibus satisfacere. Cum enim *Ecclesiæ* infallibilitas in de-

finiendo præcognoſcenda & credenda ſit, priuſquam novæ alicui definitioni Eccleſiaſticæ fides adhibeatur, manifeſtè patet eos qui hac præcognitione & prævia perſuaſione de judiciaria infallibilitate Eccleſię nondum imbuti ſunt, non poſſe judicio Eccleſiæ hanc controverſiam definientis intrepidè acquieſcere. Hæc difficultas vobis eſt inexplicabilis, nec habetis quod reſpondeatis: nam neque dicere poteſtis hanc controverſiam per novam aliquam Eccleſiæ definitionem componi poſſe, ut jam probavi; neque dicere audetis eam aliter poſſe dirimi, quia de dogmatibus fidei, præſertim ſi dubia & controverſa ſint, nulla fidei certitudo, ſecundum vos, haberi poteſt niſi per Eccleſiæ definitionem aut infallibile teſtimonium ut fusè probavi Cap. 4. hujus Tract. § 1, 2, & 3.

10. In confirmatione tertii argumenti aſſerebam fidem Epiſcoporum in Cōcilio difinientium quæſtionem de fide nunquam antea definitam, nullo Eccleſiæ teſtimonio aut decreto niti, quia videlicet nullum ea de re præceſſit Eccleſiæ decretum: & inde colligebam primo, Eccleſiæ teſtimonium non eſſe adæquatum fidei fundamentum, quia videlicet fides omnium credentium eo non nititur. Secundò, fidem iſtorum Epiſcoporum in Concilio, ſpecie differre à fide eorum qui poſtea

prop

propter Concilii definitionem credunt id verum esse quod à Concilio definitum est: idque quia fides horum nititur Ecclesiæ testimonio ut principio & fundamento suo principali. At illorum fides non hoc, sed alio credendi principio nititur.

Ad posterius hoc consequens primò respondes, dicísque fidem Laicorum & aliorum qui propter Concilij definitionem credunt, non differre specie à fide Episcoporum definientium quæstionem nunquam antea definitam: idque quia & horum, & illorum fides nititur increata Primæ Veritatis authoritate tanquam integra formali ratione credendi. Vt autem hoc confirmes, audacter repetis tuum dilirium de *temporali signo*, hoc est, de externa revelatione *per quam increata Veritas mentibus fidelium applicatur*, & asseris eam per se non pertinere ad formalitatem objecti fidei. Sed quam falsa et absurda sit hæc tua assertio, satis superque patet ex Tract. 3 hujus operis, ideoque eam nunc iterum confutare non dignabor. 11.

Secundò respondes ad prius consequens, & asseris, *vnitatem Ecclesiæ definientis & testantis sufficere ad fidem eorum qui præcedunt novam aliquam Ecclesiæ definitionem, cum fide subsequentium in communi* 12.

 regula

regula credendi vniendam. At certè non video quo pacto fides Iudicum Ecclesiasticorum quæ præcedit ipsorum decretum, in regula authoritatis Ecclesiasticæ uniri possit, cum fide eorum qui postea isti decreto assentiuntur. Horum enim fides Ecclesiæ judicio tanquam regulæ et causæ exemplari credendi conformis est: eorum verò fides non Ecclesiæ judicio, sed alia aliqua credendi regula nititur, videlicet Scriptura, aut Traditione non scripta.

13. At (inquis) *semper aliquod Ecclesiæ testimonium supponitur à Pastoribus ante creditum quam hi ex aliquo fidei principio quidpiam noviter definiant. Siquidem nec Scriptura possunt vti tanquam principio, nisi ab Ecclesia prius didicissent, quæ sit Scriptura Canonica, & quis verus ejus sensus*. Respondeo: Quamvis generale aliquod Ecclesiæ testimonium ab iis supponatur non tamen ideo dicendum est eorum fidem infallibili Ecclesiæ testimonio niti, aut ejus judicio tanquam exemplari causæ credendi conformari. Primò enim generale ejusmodi Ecclesiæ testimonium ab iis supponi potest qui graviter in materia fidei errant, aut saltem vobis errare videntur, ut, verbi gratia, ab iis qui docent Papam judicialiter errare

posse. At nemo dixerit horum fidem niti infallibili Ecclesiæ præsentis testimonio, aut ei tanquam regulæ conformari. Secundò, niti Ecclesiæ testimonio, aut ejus judicio tanquam exemplari causę credēdi conformari, est hoc, vel illud dogma credere quia Ecclesia id credit, et nobis id ipsum speciatim credendum proponit: specialis enim hæc propositio Ecclesiæ, qua credenda speciatim proponit, ex vestra sententia est conditio necessariò ad credendum requisita, ut patebit ex § sequ. At cum Pastores Ecclesiæ judicant de dogmate dubio, nondumque ab Ecclesia definito, nulla datur talis Ecclesiæ propositio. Ergo eorum fides (si modò fides dicenda sit) non nititur Ecclesiæ testimonio, nec ei tanquam regulæ conformatur.

Tertiò, posteriori consequenti iterum occurris et dicis, *quamvis daremus physicam aliquam heterogeniam in assensibus fidei pro diversitate rerum credibilium regularumq; credendi, non propterea cogeremur vllam, vel in infuso habitu fidei, vel in principali ejus motivo agnoscere varietatem specificam.* Hæc tua observatio difficultatem qua premeris non tollit. Si enim fides Catholica sit ad unam aliquam regulam, ut verbi gratia, ad Ecclesiam ita alligata 14.

ut Catholica esse nequeat, nisi ei conformetur ejusque anthoritate nitatur, necessariò sequitur assensum illum qui istius regulæ authoritate non nititur, non esse actum fidei Catholicæ, sed ad aliam speciem fidei, aut saltem ad aliam speciem assensus referendum esse. Et sic pro diversitate regularum credendi, variabitur species assensus. At ex communi et recepta vestræ Scholæ doctrina, fides Catholica ita est ad Ecclesiæ testimonium alligata ut nihil certò [certitudine fidei Catholicæ] credi possit, nisi ab Ecclesia quæ infallibilis fidei regula est, credendum proponatur. Patet hoc ex vestrorum Theologorum scriptis: nam Valentia Tomo 3, Disput. 1, Quæst. 1, punct. 1, § 6, hanc assertionem proponit: *Secũdùm Legem DEI ordinariam ut quis per habitum fidei Christianæ alicui veritati revelatæ assentiatur, præter ipsam revelationem necesse est ejusmodi veritatem ab Ecclesia proponi,* &c. Stapler. in Defensione authorit. Eccl. lib. 1, Cap. 10, § 3, dicit articulum de existentia DEI, seu *DEUM esse*, non credi à Pontificiis nisi propter Ecclesiam. Et in Triplicatione adversus Whittakerum Cap. 17, asserit *Ecclesiæ judicium circa omnem fidem esse prorsus necessarium*, videlicet ad certitudinem fidei. Gret-

serus

ſerus in Append. 1, ad 1 Lib. Bell. de Verbo DEI, dicit Stapletonum rectè aſſeruiſſe, *etiam ipſam divinitatem DEI & CHRISTI quoad nos pendere à judiciaria poteſtate Pontificis*: nimirum quia ſecundum Papiſticam Theologiam nulla certitudo ex Scripturis haberi poteſt de divinitate DEI & CHRISTI, ſine judiciaria definitione Pontificis. Tannerus in Examine Relationis Hunnianæ dicit, *ſine interpretatione & teſtificatione Eccleſiæ impoſſibile fore credere ex ſola Scriptura, DEVM eſſe vnum.* Hanc ejus ſententiam tuetur & approbat Gretſerus loco citato. Denique tu ipſe Cap. 3, § 6, aſſeris Eccleſiæ judicium eſſe neceſſarium, *vt cautè, non temerè, vt religiosè, non ſuperſtitiosè, velit poſſitque quis credere.* Et Cap. 8, § 13, dicis fidem divinam quatenus pius & prudens aſſenſus eſt *nec ſtare, nec concipi poſſe ſine conformatione cum judicio Eccleſiæ.* Ibidem etiam § 15 aſſeris, *Eccleſiæ magiſterium non eſſe nudam conditionem accidentariam fidei Catholicæ qua Catholica eſt, ſed principium eſſentialiter præſuppoſitum toti laudi & ſignificationi hujus epitheti.*

15. Ex iis quæ dicta sunt patet assensum quem Episcopi in Concilio præbent veritati nunquam antea ab Ecclesia definitæ, non esse assensum fidei Catholicæ, (quia ei deest conditio necessariò requisita ad certitudinem fidei Catholicæ, videlicet infallibilis Ecclesiæ propositio) & per consequens non materiali tantum & physica, sed etiam formali & specifica differentia differre à fide Catholica qua alii postea ob Concilii decretum veritati definitæ assentiuntur. Cum igitur Episcoporum definientium assensus, non sit actus fidei Catholicæ, vel dicendum est eum esse speciem fidei Theologicæ distinctam à Catholica, vel asserendum est cum Valentiano Tomo 3, Disput. 1, Punct. 1, § 5 *eum non esse actum elicitum ab habitu fidei, sed ad quoddam genus Prophetiæ potius pertinere, quatenus Definitores, hoc est, Episcopi definientes, DEI afflatu veritatem infallibiliter testantur.*



TRACT



TRACTATUS SEXTUS, De Ordine Credendi.

Caput I.

In quo oſtenditur Adverſarii ſubterfugia, abſurdáſque, & ſibi invicem repugnātes aſſertiones de Credibilium ordine, hunc tractatum Auctori extorſiſſe.



N mea Diſputatione de formali fidei objecto, ſæpius veſtram fidei analyſin confutavi, argumentis ab ordine credendi petitis. Hæc ut declinares, omnem credendi ordinem ſuſtuliſti; aut ſi alicubi eum admittere videaris, ſtatim tui oblitus, eum negas, et turpiſſimè tibi contradicis, immemor vulgaris illius proverbii, *Oportet mendacem, eſſe memorem*. 1.

Dicis

2. Dicis quidem alicubi, videlicet *Cap.* 8, § 5, pag. 76, & 11, pag. 84, necnon *Cap.* 15, § 3, pag. 153, dicis inquam, omnia credenda, id eſt, formale objectum fidei, & regulam credendi, id eſt, Eccleſiam, & ea quæ per regulam illam credenda proponuntur, hoc eſt doctrinam *Eccleſiæ*, ſimul & ſemel credi, à primò accedentibus ad fidem, id eſt, ab iis qui incipiunt credere, & actus fidei divinæ elicere; immò audacter aſſeris, nunquam horum unum, prius tempore credi, quam credantur reliqua, quod planè, idem eſt ac ſi dixiſſes horum unum non poſſe credi ante alterum, ſecundùm ordinarium modum quo fides operationes ſuas exercet.

At contra *Cap.* 14, § 6, pag. 146, dicis
3. Eccleſiam ejuſque infallibilitatem poſſe à nobis credi propter DEI authoritatẽ, adeoq; fide divina, ante dogma de Scripturę authoritate quod ab Eccleſia credendum proponitur, & rurſus dogma de Scripturæ authoritate poſſe fide divina credi, ante Eccleſiæ infallibilitatem: agnoſciſque realem progreſſum intellectus ab uno horum credibilium ad alterum, intellectus inquam incipientis credere: nam fideles jam habitu, et generatim omnia credentes, ex veſtra ſententia neque de Verbi DEI authoritate, neque de Eccleſiæ infallibilitate dubitant, et proinde non neceſſe

oesse est ut progrediantur ab uno horum ad acquirendam fidem alterius.

Similiter quamvis locis à me primò citatis, omnem credendi ordinem tollere videaris, adeo ut inter credenda secundùm tuam sententiam nihil sit prius aut posterius, tamen aliis in locis agnoscis esse aliquod *primum creditum* in Theologia, et illud nunc dicis esse Ecclesiæ doctrinam, Cap. 8, § 3, pag. 74: nunc verò dicis esse generale principium in quo et Scripturæ veritas et Ecclesiæ infallibilitas uniuntur, hoc est, *DEI veracitatem*, Cap. 15, § 3, Pag. 153. 4.

Capvt II.

An inter credibilia sit aliquis ordo? Et primò an inter objectum fidei formale & materiale sit aliquis ordo naturæ, seu dependentiæ in esse credibilis?



Tres distinctiones hîc præmittendæ sunt. Prima est *credibilium*: vel enim quæri potest, an inter *materiale* & *formale fidei objectum*, 1.

ctum, sit aliquis ordo? vel an inter *materialia* fidei objecta sit aliquis ordo? vel denique an sit aliquis ordo inter *regulam fidei principalem*, & ea *quæ propter illius regulæ authoritatem creduntur*.

2. Secunda distinctio est inter ordinem *temporis* & *naturæ*, vel enim est ordo inter Credibilia, quia unum eorum *prius tempore* creditur quam alterum, vel quia unum eorum *prius natura* creditur quam alterum: ita videlicet ut *posterius à priori per se, & necessariò dependeat in esse credibilis*, hoc est ut pendeat ab eo, vel tanquam à causa propter quam creditur, vel tanquam ab eo quod necessariò prius credi debet.


3. Tertia distinctio est qua *Credibiliũ prioritas naturæ* distinguitur in *prioritatẽ causalẽ*, & *prioritatẽ secundũ subsistendi consequentiam*. Prioritas causalis est, quando unũ credibile, est causa objectivè determinans aut movens intellectũ ad assentiendũ alteri; verbi gratia, hoc principium *DEVS hos articulos revelavit*, objectivè movet intellectũ meum ad assentiendũ illis articulis, ut infra patebit. Prioritas secundum subsistendi consequentiam est, quando unum credi potest, non credito altero, illud verò alterum credi

non

non poteſt, niſi hoc prius credatur, adeo ut valeat conſequentia, à fide unius credibilis ad fidem alterius; non contrâ. Hoc modo prius natura creditur mors CHRISTI, quam ejus reſurrectio, & lapſus generis humani, quam ejuſdem redemptio, ut etiam infra patebit.

His poſitis prima aſſertio ſit hæc: *Inter objectum fidei materiale & formale est aliquis ordo naturæ ſeu dependentiæ in eſſe Credibilis*: nam objectū formale fidei, prius natura creditur quam materiale, idque prioritate cauſali. Hanc aſſertionem bene explicat & defendit Suarez, Diſp. 2, de Fide, Sect. 4, § 5, ad finem. Eandem etiam tuetur Becanus Tract. de Fide, Cap. 8, Quæſt. 3, § 6; et Vaſquez Tomo 1, Diſp. in primam part. Thomæ Diſp. 5, Cap. 3: & cum his illi omnes qui tuentur habitum fidei eſſe diſcurſivum. Probatur hæc aſſertio, quia medium quod objectivè movet intellectum ad aſſentiendum, neceſſariò debet præcognoſci ab intellectu: nam intellectus non movetur niſi media cognitione, ut loquitur Suarez loco citato, § 9; hoc eſt non movetur niſi ab objecto quod percipit & cognoſcit: & proinde ipſum medium debet prius percipi & cognoſci ab intellectu. Quare cum objectum 4.

formale fidei moveat & trahat intellectum ad assentiendum objecto materiali, necessariò debet ab intellectu præcognosci, seu prius percipi lumine fidei, quam materiale objectum. Prius ergo credo *DEVM hoc revelasse*, quam credo *hoc verum esse*, quia DEVM hoc revelasse, seu revelatio divina, est formalis ratio propter quam credo hoc verum esse.



CAPVT III.

An inter regulam fidei & ea quæ propter authoritatem regulæ creduntur sit aliquis ordo dependentiæ in esse Credibilis?

1. Ecunda assertio. *Divina authoritas regulæ principalis fidei, prius natura creditur, quam illa dogmata, quæ propter illius regulæ authoritatem creduntur: prius (inquam) prioritate causali.* Hæc assertio & in se manifesta est, (quomodo enim credere possumus aliquid ob hujus regulę authoritatem, nisi prius de hujus regulę au-

thoritate constet, vide Bellarm. Lib. 4, de Verbo DEI, Cap. 4, Argum. 4, et Gretſ. in Tract. de Agnoſcendis Scripturis Canonicis, Cap. 4, Col. 1885) et ex præcedenti aſſertione quæ jam confirmata eſt, evidenter colligitur. Nam divina authoritas regulæ eſt formalis ratio, ſeu formale objectum propter quod ea creduntur quæ in illa regula continentur. Dico divinam authoritatem regulæ eſſe formalem rationem, etc. quia ut ſæpius monui, non *ipſa regula*, ſed *divina authoritas regulæ* eſt formale objectum fidei. Aliquis igitur actus fidei verſatur circa ipſam regulam, priuſquam iis aſſentiamur quæ in ea regula continentur, nimirum actus ille quo credimus DEVM per illam regulam nobis revelare, ea quæ credenda ſunt. Hoc tu diſertè fateris Cap. 6, § 3, ubi dicis *regulam credendi quodam ſenſu eſſe credibiliorem rebus quæ per eam innoteſcunt*: et Cap. 7, § 2, *Neque enim* (inquis) *Eccleſia eſſe poteſt regula niſi credentibus DEVM per eam & in ea nobis loqui.* Idem etiam aſſerunt Bellarm. & Gretſ. locis jam citatis, et Staplet. Controv. 4, Quæſt. 3, Art. 2, Reſponſ. ad 3 Arg. Scholaſticorum.

Capvt IV.

An inter objecta fidei materialia sit Ordo dependentiæ in esse Credibilis?



1. Ertia assertio: *Etiam inter objecta fidei purè materialia datur aliquis ordo:* hoc est eorum alia prius natura creduntur, alia posterius: et hæc à prioribus dependent *in esse Credibilis.* Vt autem hæc assertio planè et distinctè confirmetur, nota duplicem institui posse collationem materialium objectorum fidei. Vel enim ea quæ immediatè, distinctè, et per se revelata sunt, possunt inter se conferri; vel possunt conferri cum aliis, quæ implicitè et virtualiter revelata sunt, quæque per necessariam consequentiam ex iis colliguntur quæ immediatè revelata sunt: et sive hoc sive illo modo conferantur dari potest inter ea aliquis ordo.

2. Si priori modo conferantur: assero inter ea dari ordinem naturæ, quicquid contradicant Suarez, Becanus, et alii ex vestra familia: nam pluralitas Personarum in Deitate prius natura creditur, quàm Incarnatio secund

cund

cundæ Personæ: lapsus generis humani, quam ejusdem redemptio: mors CHRISTI, quam ejus resurrectio: hæc inquam prius creduntur *secundùm subsistendi consequentiam*. Nam à fide incarnationis, ad fidem pluralitatis personarum, à fide redemptionis ad fidem lapsus, & à fide resurrectionis CHRISTI, ad fidem mortis CHRISTI valet consequentia, non contrà. Si enim credis secundam personam Trinitatis esse incarnatam, credis plures esse personas; si credis redemptionem, credis lapsum; & si credis resurrectionem CHRISTI, credis ejus mortem: nam impossibile est, & contradictionem implicat, ut quis credens incarnationem secundæ Personæ, non credat pluralitatem Personarum, & credens redemptionem, non credat lapsum, aut credens resurrectionem CHRISTI, non credat ejus mortem. At non contrà valet consequentia: nam potest quis credere pluralitatem personarum, & dubitare de incarnatione secundæ Personæ, potest credere lapsum generis humani, & dubitare de redemptione, potest credere mortem CHRISTI, & dubitare de ejus resurrectione. Atque hinc est quod Suarez, quamvis Disp. 2, de Fide, Sect. 4, § 5, oppositam tueatur sententiam tamen Disp. 12, Sect. 4, § 11, fatetur cognitionem DEI esse fundamentum aliarum

cognitionum, quas videlicet de reliquis fidei articulis habemus: unde colligit, eum qui incipit credere necessariò incipere à cognitione DEI.

Si posteriori modo collatio instituatur,
3. longè manifestius est inter ea esse aliquem ordinem, hoc est, eorum alia esse aliis priora creditu, non tantum *secundùm subsistendi consequentiam*, sed etiam *secundùm prioritatem causalem*; quis enim non videt ea, quæ immediatè & explicitè revelata sunt, esse priora creditu, quam ea quæ implicitè & virtualiter in iis revelata sunt, quæque per necessariam consequentiam ex iis colliguntur? quis non videt dogmata ista quæ immediatè & explicitè revelata sunt credi à nobis posse nondum creditis dogmatibus illis quæ per necessariam consequentiam ex iis colliguntur, (quando videlicet dubitamus de dogmatibus illis an contineantur implicitè in iis quæ immediatè revelata sunt, & an per necessariam consequentium ex iis colligantur) cum tamen contrà fieri non possit ut credamus dogmata illa implicitè & mediatè revelata nondum creditis dogmatibus explicitè revelatis ex quibus colliguntur. Hoc enim esset dicere, assensum conclusionis haberi posse, ab eo qui nondum assensum præbet præmissis.


Exemp

Exempli gratia, hæc dogmata ſunt immediatè & explicitè revelata, *Peccator pœnitens & fidelis eſt in ſtatu gratiæ. Peccator impœnitens & infidelis eſt in ſtatu miſeriæ: Cœtus habens has notas & proprietates, (quæ videlicet in Verbo DEI proponuntur) eſt vera Eccleſia.* Et (ut ex veſtra Theologia exemplum proferam) *Quicunque eſt Succeſſor Petri, eſt Caput & Monarcha Eccleſiæ.* Hæc verò dogmata ſunt mediatè & implicitè revelata; *Hic homo eſt in ſtatu miſeriæ,* quia videlicet impœnitens eſt. *Hic in ſtatu gratiæ eſt,* quia pœnitens & fidelis eſt: *Hic cœtus eſt vera Eccleſia; Hic homo, ut* Urbanus VIII. *eſt Caput Eccleſiæ.* Poſſum credere illa dogmata his non creditis, quia videlicet dubito fortaſſis an virtualiter in iis contineantur, & an neceſſariò ex iis colligantur? Vt enim hæc ex prioribus colligantur opus eſt aſſumptione aliqua cujus veritas fortaſſis mihi nondum eſt evidens: verbi gratia, ut credam hunc cœtum eſſe veram Eccleſiam non ſatis eſt ut credam generalem illam propoſitionem, *Cœtus habens has notas & proprietates,* (quæ videlicet in Verbo DEI Eccleſiæ attribuuntur) *eſt vera Eccleſia:* ſed etiam oportet 4.

me certò scire hunc cœtum illas notas habere. At contrà non possum credere hæc dogmata implicitè & confusè revelata, nisi credam ea quæ immediatè revelata sunt, & ex quibus hæc colliguntur.

5. Patet igitur dogmata immediatè revelata credi prius natura *secundum subsistendi consequentiam*, quam dogmata quæ virtualiter in iis continentur. Sed addo etiam ea prius credi *prioritate causali*: nam assensus fidei quem præbemus dogmatibus virtualiter & implicitè revelatis, vel nititur discursu, ut docent Canus & Vega, vel saltem præsupponit discursum quo dogmata hæc ex iis quæ implicitè revelata sunt, per necessariam consequentiam colliguntur, ut docent Suarez, Vasquez, Valentia, Becanus, & alii. Si nititur discursu, tunc assensus quem præbemus dogmatibus explicitè & immediatè revelatis, est causa effectiva assensus, quem præbemus iis dogmatibus quæ ex illis per necessariam consequentiam colliguntur. Nam in omni discursu assensus quem præbemus præmissis, est causa effectiva assensus, quem præbemus conclusioni. Si tantum præsupponit discursum, tunc dogmata immediatè revelata habent rationem causæ objectivæ remotè saltem moventis & disponentis intellectum ad assentiendum dogmatibus implicitè & virtual

tualiter revelatis. Quis enim negaverit generalem doctrinam in Verbo DEI revelatam de natura, notis, & authoritate *Ecclesiæ*, nos movere & inducere ut credamus hunc cœtum esse veram CHRISTI Ecclesiam?



Caput V.

An hæc dependentia quorundam Credibilium ab aliis in esse Credibilis sit mutua, reciproca, aut circularis?



Vjus quæstionis explicatio necessaria est, partim propter ea quæ infra tractabuntur de Circulo Pontificiorum, partim propter absurdissimam illam Stapletoni assertionem, qua in Defensione Authoritatis *Ecclesiasticæ*, Lib. 3, *Cap.* 3, affirmat *Ecclesiæ* authoritatem quoad nos, posse ex *Scripturæ* authorite pendere, & vicissim *Scripturæ* authoritatem quoad nos, posse ex *Ecclesiæ* authoritate pendere. 1.

Hanc Stapletoni doctrinam, ut falsam & absurdam meritò damnant Whittakerus, in 2.

Duplicatione contra Staplet. Lib. 3, Cap. 3; & Chamierus, Lib. 6, de Canone, Cap. 15, à § 6, ad 11. Vt autem illius absurditas manifestius appareat, distinguendum est testimonium in *necessarium*, & *non necessarium*. Necessarium testimonium est quando nulla certitudo de re testata quoad nos haberi potest, nisi per illud testimonium: seu ut aliter dicam, quando certitudo quam habemus de re testata, necessariò & per se pendet ab illo testimonio. Testimonium non necessarium est, quod illustrat aut confirmat rem testatam, ita tamen ut res testata, sufficienter aliundè certitudinem suam quoad nos habeat. Hac distinctione posita dico duos diversos testes posse sibi invicem testimonium perhibere, seque mutuo commendare, loquendo de testimonio, quod vel ex utraque, vel ex altera saltem parte necessarium non est; qualia sunt mutua illa testimonia CHRISTI de IOHANNE BAPTISTA, & IOHANNIS BAPTISTÆ de CHRISTO; item IOHANNIS Apostoli, de Evangelio suo, et Evangelii istius de IOHANNE, quæ ad suam assertionem confirmandam in medium affert Stapletonus loco citato. At si loquamur de testimonio necessariò, omnino absurdum est, et etiam apertam contradictionem implicat, dicere duorum testium authoritatem quoad nos per se et necessariò

pend

pendere à mutuo eorum de ſe invicem teſtimonio, aut generaliter dicere dependentiam duorum Credibilium in eſſe Credibilis eſſe mutuam et circularem; ut verbi gratia, ſi quis dicat, authoritatem Scripturæ et Traditionis per ſe et neceſſariò quoad nos pendere à teſtimonio *Eccleſiæ*, quod videlicet Eccleſia de Scriptura et Traditionibus perhibet; et rurſus, authoritatem *Eccleſiæ* per ſe et neceſſariò quoad nos pendere à teſtimonio aliquo Verbi ſcripti, aut non ſcripti.

Probatur hoc primò, Si Eccleſia perhibeat teſtimonium quoad nos neceſſarium de 3.
omni verbo DEI, cum ſcripto, tum non ſcripto, impoſſibile eſt ut fide divina credamus vel hujus vel illius authoritatem niſi propter *Eccleſiæ* teſtimonium. Non poſſumus autem aliquid credere propter *Eccleſiæ* teſtimonium, niſi *Eccleſia* prius apud nos ſuam obtineat authoritatem, nam propter quod, aliquid ſcimus aut credimus, illud ipſum à nobis prius ſciri et credi oportet, prius inquam, vel tempore, vel ſaltem natura; idque quia ab ignotis, ut aiunt, nulla fit legitima probatio, omnemque cauſam aliquo modo ſuo effectu priorem eſſe oportet. Ergo neceſſe eſt *Eccleſiæ* authoritatem fide divina credi a nobis ante authoritatem totius verbi DEI, tam ſcripti, quam non ſcripti. Si autem creditur ante

ante totius Verbi divini authoritatem, tunc certitudo quam de ea habemus non pendet necessariò ab ulla parte verbi DEI. Nam certitudo illius dogmatis, quod prius natura creditur non pendet ab eo quod posterius creditur, ut patebit ex argumento sequenti. Similiter si Scriptura aut Traditio perhibeat testimonium necessarium quoad nos de Ecclesia, impossibile est ut credamus Ecclesiæ infallibilitatem nisi propter testimonium Scripturæ aut Traditionis: non autem possumus aliquid credere propter Scripturæ authoritatem, nisi Scriptura (idem de Traditione dicatur) prius apud nos suam obtineat authoritatem.

4. Secundò: Formale objectum fidei prius natura creditur quam materiale: divina authoritas regulæ fidei prius creditur quam ea quæ propter re ul æ authoritatem creduntur: & materialia objecta immediatè & explicitè revelata prius quam ea quæ virtualiter in iis continentur. Ergo prius natura habetur certitudo fidei de objecto formali, quam de materiali, de regula quam de regulatis, & de immediatè revelatis, quam de dogmatibus quæ ex iis colliguntur. Si autem certitudo fidei de illis prius natura habetur, non potest fieri ut hæc certitudo, per se & necessario pendeat ab iis quæ posterius natura, & depen-

denter ab illis creduntur; nam si ab iis dependeret, tunc præsupponeret ea, ut prius credita, & sic ea quæ sunt posteriora creditu essent priora, et contra priora essent posteriora. Hoc argumentum non absimile est primo argumento quo Aristoteles evertit circularem processum in Demonstrationibus Lib. 1, Poster. Cap. 3.

Ex his colligo primò, certitudinem fidei quam habemus de Verbo DEI, (loquor in genere tam de Verbo scripto, quam de Verbo quod ex Pontificiorum sententia est non scriptum) non pendere ab infallibili authoritate Ecclesiæ, quæ ut illi volunt in Verbo DEI revelata est, quæque propter authoritatem alicujus partis Verbi DEI necessariò criditur, et sic est aliquid posterius creditu quam Verbi DEI authoritas. Ratio est, quia certitudo fidei quam habemus de eo quod prius natura creditur non pendet ab eo quod posterius creditur, ut jam dictum est. At Verbi DEI authoritas prius natura creditur quam Ecclesiæ infallibilitas, quæ in Verbo DEI revelata est: est enim formalis ratio propter quam ea omnia creduntur quæ in Verbo DEI revelata sunt. Ergo, etc. 5.

Secundò colligo certitudinem fidei quam Pontificii se habere dicunt, de natura, notis, et infallibili authoritate Ecclesiæ, deque veritate 6.

tate horum generalium axiomatum, *Cætus ille cui conveniunt, Antiquitas, Universalitas, Successio, etc. est vera Ecclesia*, item *vera CHRISTI Ecclesia est infallibilis in docendo aut testificando*, non pendere ab his particularibus propositionibus, *Romana Ecclesia est vera Ecclesia*, item *Romana Ecclesia est infallibilis in testificando*. Ratio est, quia generalia illa axiomata immediatè, distinctè, et per se in DEI Verbo revelata sunt, ut illi affirmant. At particulares illæ propositiones non nisi confusè et implicitè in iis revelatæ sunt. Iam autem probavi ea quæ explicitè et per se revelata sunt, prius natura credi, quam ea quæ implicitè, et virtualiter in iis continentur, et proinde certitudinem quam de illis habemus, non pendere ab his quæ implicitè in iis continentur.

7. Ex duobus his consectariis patet quam absurdæ et ineptæ sunt tuæ responsiones quas Cap. 8 tui libelli, argumentis meis ab ordine et ratione credendi petitis opposuisti. Nam ex priori consectario, facilè percipiet prudens Lector, quam absurdè dixeris in Respon. ad Arg. 5. fidem totius Verbi DEI, hoc est, fidem qua creditur authoritas Verbi tam scripti, quam non scripti, pendere ab Ecclesiæ infallibilitate, seu ut tu loqueris, fundari

dari in Ecclesiæ authoritate, tanquam in universali credendi regula. Ex posteriori verò consectario manifestissimè patet te tergiversari, cum in Respon. ad secundum argumentum (quo probabam quædam dogmata non posse credi propter Ecclesiæ Romanæ testimonium, quia necessariò creduntur antequam fidem habeamus Romanæ Ecclesiæ testimonio) dicis omnia fidei dogmata simul et semel credi. Primò, enim quamvis ea omnia simul tempore crederentur, non tamen simul natura; sed quædam prius natura creduntur quam alia, et speciatim quædam prius natura creduntur quam Romanæ Ecclesiæ infallibilis authoritas, unde sequitur ea non credi propter Romanæ Ecclesiæ infallibilem in testificando authoritatem. Secundò, etiam falsum est omnia fidei dogmata simul tempore credi, ut patebit ex Cap. sequenti.

Caput VI.

An in eliciendis fidei actibus sit aliquis ordo & successio temporis? seu an unum credibile prius tempore credatur quam reliqua?

1. 

Ajor & difficilior est quæstio de ordine temporis in elicendis fidei actibus, utrum videlicet primò accedentes ad fidem, seu illi qui primò incipiunt exercere fidei actus, simul & semel in uno temporis momento, unoque actu credant omnia quæ ab Ecclesiæ Pastoribus credenda esse didicerunt, sive de Ecclesia, sive de Verbo DEI, sive de veritate dogmatum quæ in Verbo DEI revelata sunt? Tu hæc omnia, Turnebulle, simul & semel, unoque actu, à primò accedentibus ad fidem fide divina credi affirmas, Cap. 8, § 5 & 11; idque ut eludas argumenta quæ ab ordine credendi in mea Disputatione allata sunt. At primò non animadvertis argumētorum meorum vim minimè labefactari, aut tolli negando ordinem temporis in eliciendis fidei actibus: firma enim & inconcussa manent, quamdiu verum est inter Credibilia esse aliquem ordinem naturæ, aut dependentiæ in esse Credibilis.

2. Secundò, tu nullo idoneo argumento assertionis tuæ veritatem demonstrasti: quasi scilicet, tua placita, tanquam oracula aut Papalia decreta, sine ulla confirmatione, vel

vel eo nomine quod tua sint, recipi & admitti debeant.

Tertiò, multi Pontificii contrarium asserunt, videlicet Suarez, Disp. 2, de Fide, Sect. 4, § 11, *Existimo tamen* (inquit) *in initio credendi quando generatur fides distinctis actibus id fieri, & prius ad hoc perveniri ut credatur hoc dictum esse a DEO, & deinde credi dictum ipsum*: non igitur in initio credendi, omnia simul unoque actu creduntur, ut tu asseris. Becanus Tract. de Fide, Cap. 8, Quæst. 3, § 6, non solum hoc asserit, sed etiam id probat hoc argumento: *Quando creditur unum propter aliud possũt esse duo diversi assensꝰ in intellectu, quorũ unus sit via ad alterũ. At in fide unum creditur propter aliud, nempe res revelata propter revelationem; ergo possunt esse duo diversi assensus, alter revelationis, alter revelatæ. Et intellectus à priori potest progredi ad posteriorem sive ordine temporis, sive ordine naturæ, & causalitatis.* 3.

Quartò, ad verum discursum requiritur pluralitas, vel realis distinctio conceptuum, ut contra Scotum docent Vasquez, in primam partem Thomæ, Disput. 222, Cap. 3, & Valentia Tom. 1, Disput. 4, Quæst. 9, 4.

Punct. 2. Item quamvis ad veram rationem discursus, mora aliqua aut successio temporis non necessariò requiratur, tamen certum est discursum ordinariè & frequentissimè fieri, cum aliqua mora aut successione temporis, ut docet Smiglecius, in Disput. Logicis, parte 2, Disp. 13, Quęst. 1, Conclus. 3, idque probat, *quia ob imperfectum nostrum cognoscendi modum prius inhæremus uni cognitioni, & in ea immoramur diutius illam penetrando, tum ex ea elicimus aliam. Item, non inferimus* (inquit) *consequens nisi ex longa penetratione & mora in antecedente.* Quo posito sic argumentor: Discursus ordinariè & communiter, fit cum aliqua mora & successione temporis, semperque requirit pluralitatem vel realem distinctionem conceptuum. At inter actum fidei divinæ quo creduntur ea quæ explicitè, immediatè, ac per se revelata sunt, et ejusdem fidei actum quo creduntur ea quæ mediatè, et implicitè in iis revelata sunt, necessariò intervenit discursus, quo ex iis quæ expresse et explicitè revelata sunt, per necessariam consequentiam colligimus ea quæ virtualiter et implicitè revelata sunt. Ergo hæc ordinariè et communiter non creduntur simul tempore, neque uno et eodem actu. Secundo, specia

ciatim hoc probatur de fide qua credunt Pontificii Romanam *E*cclesiam esse Catholicam CHRISTI Ecclesiam, et in Fide errare non posse: Cum enim Scriptura nusquam expressè et explicitè dicat, hanc certam et individuam hominum congregationem, quæ præsenti Romano Pontifici subjecta est, esse veram et Catholicam CHRISTI Ecclesiam, quæ deficere et errare non potest, sed tantum generaliter proponat doctrinam de natura, notis, et proprietatibus *E*cclesiæ; oportet ut dogma de Romanæ *E*cclesiæ veritate et infallibilitate priusquam ei assensum fidei præbeamus ex Scriptura colligatur per discursum Tho logicum, applicando generalem illam doctrinam Romanæ *E*cclesiæ, ad hunc modum: Cœtus ille qui habet has notas, est Catholica CHRISTI Ecclesia, et à vera fide deficere nequit. At sola Romana *E*cclesia habet has notas. Ergo Romana *E*cclesia est Catholica Ecclesia, etc. Hujus syllogismi major in Scriptura habetur, ut volunt Pontificii: Minoris veritas, in qua notæ veræ Ecclesiæ, Romanæ *E*cclesiæ specialiter applicantur, à nobis percipi nequit absque longa et laboriosa disquisitione. Ergo necesse est esse aliquam moram, vel successionem temporis inter assensum quem præbemus majori, et assensum quem præbemus conclusioni

hujus syllogismi: & proinde generalis doctrina de natura, notis, & proprietatibus Ecclesiæ, & specialis doctrina de veritate & infallibilitate Romanæ Ecclesiæ, non creduntur simul tempore & uno actu.

5. Quintò: Tu ipse Cap. 14, § 6, fateris intellectum credentis posse progredi, & pervenire ab uno dogmate credito ad aliud dogma credendum. *Nullum ergo* (inquis) *periculum inutilis circuli in progressu, quo vel ex infallibilitate Ecclesiæ propter DEI authoritatem credita pervenitur ad assensum fidei præbendum huic veritati* Scriptura Canonica est Verbum DEI; *vel vicissim ex testimonio Scripturæ propter eandem DEI authoritatem credito pervenitur ad similem assensum fidei præbendum huic veritati*, Testimoniũ Ecclesiæ est infallibile. Hîc non solum agnoscis authoritatem Scripturæ, & infallibilitatem Ecclesiæ, diversis fidei actibus credi posse, sed etiam intellectum credentis posse progredi, et pervenire ab uno horum prius fide divina credito, ad alterum posterius eadem fide credendum. Dices fortassis, illud quod prius creditur, & à quo ad aliud credendum progredimur, non credi prius tempore, sed natura

At,

At primò, cur non etiam tempore? Nonne possibile, immò probabile est intellectum credentis propter suam infirmitatem, et in credendo tarditatem, nonnunquam cum aliqua mora aut successione temporis progredi à noto ad ignotum, à credito ad non creditum, & ab uno assensu ad alium qui à priori assensu dependet. Secundò, ipse fateris ibidem, perventionem seu progressum, quo ab uno istorum credito, ad alterum credendum progredimur supponere discursum Theologicum, quo ex uno prius credito, alterum esse consequenter credendum colligimus. At impossibile est duos illos fidei actus, quo illa credibilia creduntur, et etiam intervenientem discursum quē præsupponit posterior actus, impossibile inquam est, eos in uno et eodem temporis momento, ab uno intellectu exerceri.

Ecce, Turneballe, id quod hîc dicis de Scriptura & Ecclesia, deque reali progressu intellectus ab uno horum prius fide divina credito, ad alterum eadem fide divina posterius credendum, apertè contradicit iis quæ à te dicta sunt Cap. 8, § 5 et 11, ubi omnia credibilia simul et semel unoque assensu intellectus credi, immò nunquam aliter rem se habere audacter affirmas. Item repugnat manifestissimè iis quæ à te dicta sunt Cap. 15, § 6.

 3, ubi

3, ubi sic disseris: *Nam (inquis) à primò accedentibus ad fidem, vtrumq; credibile, tum Scripturæ veritas, tum Ecclesiæ infallibilitas simul & semel creditur, quatenus ambæ simul vniuntur in vno generali principio ad quod tanquam ad primum creditum quis ab infidelitate convertitur.* His locis omnino negas illum progressum intellectus quem Cap. 14 concedis ab uno credito, ad aliud credendum. Respondebis fortassis te Cap. 15, § 3, et Cap. 8, § 5, ac 11, loqui de primò accedentibus ad fidem, Cap. verò 14, § 6, non de iis loqui, sed de fidelibus jam habitu & implicitè omnia credentibus. Sed ni fallor sic respondere non audes, nam illi qui credunt Scripturæ authoritatem nondum credentes Ecclesiæ infallibilitatem, non possunt secundùm vestram sententiam, dici fideles jam habitu credentes, nam ex vestra doctrina, qui infallibilitatem Ecclesiæ non credit, non Catholicus, non Christianus est: unde Cap. 8, § 11, dicis, *eos qui jam supponuntur conversi ad fidem, debere pariter supponi conversos ad Ecclesiam, tanquam ad regulam credendi.* Vbi innuis neminem posse dici conversum ad fidem nisi qui etiam ad Ecclesiam conversus est. Cum igitur Cap. 14, § 6, loquaris de iis qui nondum credunt Ecclesiæ infallibilitatem, nega-

re non potes te illîc etiam loqui de primò accedentibus ad fidem, et proinde utrobique loqui de uno et eodem hominum genere. Disce igitur, Turnebulle, in posterum cautius loqui. Disce nunc tuo exemplo, quam verum sit illud vulgatum proverbium, *Oportet mendacem esse memorem.*

Sextò, quamvis concederem tuam sententiam veram esse de iis, qui in adulta ætate ab infidelitate ad fidem convertuntur, tamen nullo modo concedi potest, eam veram esse de iis, qui in infantia baptizati sunt, quando in adulta ætate incipiunt fidem exercere *retinentes adhuc gratiam baptismalem* (ut loquitur Suarez Disput. 6, de Fide, Sect. 7, § 16) & proinde habitum fidei, qui in baptismate infunditur: illi enim sicut gradatim et successivè, in fide erudiuntur, ita etiam gradatim et successivè, actus fidei exercere possunt. Hoc autem argumentum sic illustratur et confirmatur Pastores Ecclesiæ possunt primò unum dogma proponere, ut verbi gratia, dogma de Sacræ Scripturæ divina et canonica authoritate: possunt item secundo loco proponere dogma de natura, notis, et proprietatibus Ecclesiæ: possunt denique singula dogmata deinceps proponere, quæ sunt creditu necessaria ad salutem. An non fides sistere et acquiescere debet, Vnde Vasquez 7.


An non igitur illi qui retinẽtes fidei habitũ in baptiſmo acceptum incipiunt exercere fidei actus, poſſunt audita ſufficienti explicatione, & confirmatione primi dogmatis ei ſtatim aſſentiri vi illius habitus, etiam cum ſecundum dogma non eſt ſufficienter iis propoſitum: & ſic etiam ſecundo dogmati, cum tertium nõ eſt iis ſufficienter propoſitum, & ſic deinceps.

8. Septimò. At neque de adultis primo ad fidem accedentibus, hoc eſt qui ab infidelitate ad fidem convertuntur, vera eſt tua ſententia: nam illi etiam gradatim & ſucceſſivè eliciunt actus fidei. Probatur hoc primò, quia cum Catechumeni baptizantur jubentur recitare ſymbolum, & interrogantur an credant. Ergo ante ſuſceptum baptiſma, habent fidei actus: hi autem actus fidei (teſte Bellarm. lib. 1. de Baptiſ. cap. 11. in explicatione propoſ. quintæ) vt plurimum judicio gravium Doctorum, non ſunt ex habitu fidei, ſed ex auxilio ſpeciali DEI intellectum eorum illuminantis, & voluntatem moventis ad credendos fidei articulos. At divina hæc illuminatio fit ſucceſſivè & cum aliqua temporis mora. Nam (vt verbis Suarezij vtar Diſput. 12. de Fide, Sect. 4. in fine 11. §.) *non poteſt cum probabilitate affirmari, ſimul & in vno momento illuminari hominem de omnibus fidei myſteriis, quia hoc excedit hominis capacitatem*. Poſſunt ergo adulti, ad fidem ac-

cedentes ſicut illuminantur ſucceſſivè ita etiã ſucceſſivè credere: hoc eſt, pro aliquo tempore habere explicitam fidem vnius articuli, cũ nondum habent explicitam fidem alterius. Secundò, ſicut ſuperiori argumento, cum de iis qui in infantia baptizati ſunt, & retinent fidei habitum in adulta ætate verba facerẽ, probavi eos ſucceſſivè elicere actus fidei, quia ſucceſſivè & gradatim in fide erudiuntur, ita etiam Suarez. loco jam citato, §. 12. ſimili argumento probat Catechumenos nondum baptizatos, quia ſucceſſivè inſtruuntur poſſe ſucceſſivè elicere actus fidei, & pro aliquo tempore habere explicitam fidem de vno articulo abſq; explicita fide alterius.

Dices fortaſſis primò, DEVM non dare Catechumenis ſufficiens auxilium ad eliciendum vel vnum fidei actum, donec planè ſint inſtructi de omnibus myſteriis credendis. At hanc evaſionem Suarez. loco citato dicit nullo modo eſſe probabilem, eamque duabus rationibus confutat. Dices ſecundò, te concedere cum Suarezio, vnum dogma fidei poſſe explicitè credi ante alterum, & nihilominus veram eſſe tuam aſſertionem de ſimultate credendi, quia cum vnum dogma creditur, omnia alia implicitè creduntur. Sed ſi hoc concedas non potes evitare mea argumenta ab ordine credendi petita, ad quæ reſpondere conaris Cap. 8. Si enim quædam dogmata poſſunt 9.

explicitè credi, ante Romanæ Ecclesiæ infallibilem in testificando authoritatem, necessariò sequitur illa non credi ob infallibilem Romanæ Ecclesiæ authoritatem, nihil enim credi potest ob Rom. Ecclesiæ authoritatem quamdiu ea nobis in se & explicitè cognita non est.



TRACTATUS SEPTIMUS, De primo Credibili.

CAPUT I.

An detur aliquod primum fidei principium, & quodnam illud sit?



1. AD quæstionem in titulo propositam, quatuor assertionibus respondebo. Prima sit hæc: *Necesse est dari aliquod primum Credibile, seu principium complexum, quod primùm à fide appræhenditur, & in quo tandem fides sistit, seu acquiescit:* vel ut alii loquuntur, quod primum est in productione fidei, quia nimirum fidei assensus primò ei præbetur, ultimum verò in resolutione fidei, quia fides Christiana in illud ultimò resolvitur. Probatur hæc assertio, quia cum inter credibilia complexa sit ordo quidam dependentiæ *in esse Credibilis*, secundùm quem alia Credi-

bilia sunt aliis priora creditu, alia verò posteriora ; aut dicendum est in hac seriè & ordine Credibilium dari processum in infinitum, quod (ut de Scibilibus docet Philosophus, 1. Poster. Cap. 3.) fieri non potest, quia infinita animo percurrere non possumus : & sic omnis fides divina è medio tolleretur; aut dicendum est hanc dependentiam quorundam Credibilium, ab aliis *in esse Credibilis*, esse reciprocam et circularem : quod etiam fieri non potest, quia inde (ut patet ex Disput. præcedenti) sequetur idem respectu ejusdem, esse et notius natura et ignotius ; item et prius natura et posterius : quod absurdum est, teste eodem Philosopho, loco citato ; aut denique deveniendum est tandem ad aliquod *primum Credibile*, in quo fides nostra sistere et acquiescere debet : & sic habemus propositum.

Secunda assertio : *Primum principium*
fidei simpliciter & absolutè considerata 2.
est quodvis principium quo formale obje-
ctum fidei exprimitur : ut verbi gratia hoc principium, *DEVS hoc dixit seu revelavit.* Probatur hæc assertio, quia omnia materialia fidei objecta creduntur propter formale objectum; ipsum verò formale objectum non creditur propter aliud, Ergo in eo fides

fides sistit et acquiescit. Unde Vasquez, Tomo 1. Commentariorum in Divi Thomæ summã Disput.5.Cap.3.sic de ordine credendi differit, *Fides* (inquit) *generatur per discursum, ita ut primũ principium cui innititur, sit cõplexum illud DEUS* dixit, *quod est ratio assentiendi, cuicunq; articulo revelato,* &c. Et Suarez Disp.3.de Fide, Sect.12. §.11. de eodem principio differens; *Dico* (inquit) *principium illud non resolvi in aliud principium à se distinctum, sed seipso credi.* Becanus etiam Tract. de Fide, Cap.1. Quæst. 2.§.9. *Credo* (inquit) *DEUM hoc revelasse nõ propter aliud, sed immediatè propter se.*

3. Tertia assertio: *Primum principium fidei quatenus ea ad supremam, & Catholicam fidei regulam est alligata, est principium illud quo formale objectũ fidei, id est, DEI revelantis authoritas illi regula applicatur:* ut cum dico, *DEUS per hanc regulã perpetuò & infallibiliter docet ac revelat ea quæ credenda sunt.* Hujus assertionis veritas patet ex iis quæ dicta sunt Tract. præcedenti, Cap.3. ubi monuimus nihil omnino credi posse propter authoritatẽ alicujus regulæ, nisi prius de illius regulæ authoritate constet: primò igitur credendum est, ipsam regulam esse divinæ et infallibilis authoritatis,

et deinde propter regulæ authoritatem cre-
denda sunt reliqua credibilia.

Quarta assertio: *Primū cōmunissimū et no-
tissimum principium fidei Christianæ, qua-* 4.
*tenus ea ad regulam fidei supremam et Ca-
tholicā est alligata, est propositio illa in qua
DEI revelatis authoritas S. Scripturæ ap-
plicatur:* ut cum dico, *S. Scriptura est DEI
Verbum: vel, tota doctrina Legis et Evan-
gelii quæ sacro codice continetur est divi-
nitus revelata.* Hæc assertio opposita est sen-
tentiæ Pōtificiorum asserentium primū prin-
cipium fidei esse hanc propositionem, *DEUS
per Ecclesiā infallibiliter docet, & revelat
ea quæ credenda sunt:* vide Malderū Secund.
Secundæ q.1. art.1. sect.6. et Stapl. lib.8. prin-
cip. doctrin. cap.21. et lib.9. cap.3. respons.
ad argum. 5. Item in Controversiarum relect.
controv. 4. q. 3. art. 2. respons. ad arg. ulti-
mum, et in Defens. authorit. Eccl. lib.3. cap.16.
sect.4. Vide etiam ipsum Turnebullum, cap.6.
§. 2. ubi dicit, *Ecclesiam in ordine ad nostrā
in credendo prudentiam esse Scriptura no-
tiorē:* & §. 3. *esse credibiliorem rebus quæ
per eam innotescunt:* & cap. 8. §. 3. ubi ait,
*doctrinā Ecclesiæ in omni credito tanquam
DEI ipsius Verbū esse omnibus CHRISTI
tam agnis, quam ovibus primum cognitū.*

CAPVT II.

Pontificium dogma de Romanæ Ecclesiæ infallibilitate non esse primum Credibile ex eo probatur, quod clara & distincta fide id credi non possit, nisi alia multa fidei Pontificiæ dogmata præcognoscantur & prius credantur.



1. NOSTRÆ sententiæ verita[s] facilè apparebit ex confu[ta]tione oppositæ senten[tiæ,] quam tuentur Adver[sarii.] Eam enim falsam e[sse] et absurdam patet primò, Quia multa alia dogma[ta] fidei necessariò credenda sunt priusquam il[li] principio assentiamur. Ergo principium istu[d] non est primum fidei principium. Conse[quentia] manifesta est: nam primum principium fidei est id cui primò fides assensum præbet, & in quod ultimò resolvitur.

2. Quod ad antecedens attinet priusquam ad ejus confirmationem progrediamur, no[tandum] est Pontificios in primo illo ipsorum princi[pio]

principio, per Ecclesiam intelligere; primò, non totam Ecclesiam CHRISTI, quæ fuit ab initio Christianæ fidei secundùm seriem Episcoporum crescens ad hæc usque tempora, quæ ipsum Apostolorum collegium suo ambitu complectitur; sed præsentem Ecclesiam: vide Valent. Tomo 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 7. §. 12. Bellarm. Lib. 2. de Sacramentis in genere, Cap. 25. Suarez. Disp. 5. de Fide, Sect. 5. §. 4. Secundò, solam Romanam Ecclesiam, id est, Romano Pontifici subjectam. Tertiò, non totam Romanam Ecclesiam; sed solos Prælatos seu Episcopos. ut patet ex Bell. Lib. 2. de Conciliis, Cap. 2. §. *Ex his enim*. Stapler. Lib. 5. doctrin. principiorum, Cap. 1. et in Relectione, Controversia 1. Quæst. 1. et in Triplicatione adversus Whittakerum, Cap. 11. Suarez, disp. 5. de Fide, Sect. 6. §. 9. Valentia, Tomo 3. Disput. 1. Quæst. 1. Punct. 7. §. 16. Col. 145. et aliis. Quartò, non Pastores seorsum consideratos, sed simul in Concilio congregatos. Bellarm. Lib. 2. de Concil. Cap. 2. §. *Alter locus est*, & §. *Ex his enim*. Quintò, non in quolibet Concilio, sed in Concilio à Papa indicto, sub ejus præsidio celebrato, & ab ipso confirmato; quia nimirum is ex eorum sententia est summus Ecclesiæ Monarcha, Christi

STI Vicarius, & Petri Successor, & quia solus ex se infallibilis in docendo est, Suarez. Disp. 5. de fide, sect. 7. & Disp. 11. sect. 3. Bellarm. Lib. 1. de Conciliis, Cap. 12. & 19. & Lib. 2. Cap. 2.

3. His positis multa alia dogmata fidei credenda esse priusquam assentiamur huic principio patet primò, quia huic principio assentiri non possumus, nisi prius saltem prioritate naturæ (ecce tuum tibi eripio subterfugium Turnebulle) credamus omnia illa dogmata quæ in hoc principio prout illud à vobis concipitur includuntur. Hic enim apud vos est istius principii sensus: *Deus infallibiliter ea quæ credenda sunt docet per solius Rom. Ecclesiæ pastores, non quidem seorsum acceptos, sed simul congregatos in eo Concilio generali, quod a Rom. Pontifice ut Petri successore in Monarchia Ecclesiastica, indictum est, & confirmatum.* Ergo priusquam explicitum & distinctum fidei assensum isti principio præbeamus oportet ut hæc omnia dogmata credantur. Primò, Romanam Ecclesiam esse Catholicam Christi Ecclesiam. Secundò, Christum promisisse Pastoribus hujus Ecclesiæ infallibilem assistentiam Spiritus sui. Tertiò, eos tamē non esse ab errore immunes, nisi cū in Concilio

cilio generali & legittimo congregantur. Quartò, id solum esse Concilium generale & legittimum, quod à supremo Ecclesiæ Monarcha indictum est, & cui is, aut per se, aut per legatos suos præsidet. Quintò, decreta legittimè indicti & celebrati Concilii non esse infallibilia antequam supremi istius Monarchæ assensu confirmentur. Sextò, Petrum
à Christo summum Ecclesiæ Monarcham 2
constitutum esse. Septimo, Monarchiam Petri non fuisse temporariam & cum ipso moriturام, sed perpetuam, & ad successores ejus derivandam. Octavò, Romanos Pōtifices esse legitimos Petri successores in Monarchia Ecclesiastica. Nonò, eos non posse judicialiter errare, cum controversias fidei definiunt: & speciatim cum Conciliorum decreta, aut approbant, aut improbant.

Respondebis fortasis explicitam & distin- 3.
ctam hujus principii conceptionem non esse omnibus necessariam qui eo utuntur. At contrà primò, si ullum fidei dogma explicitè & distinctè credendum est, proculdubio ipsum primum & præcipuum Christianæ fidei principium explicitè & distinctè à nobis concipi ac credi debet. Secundò, si non omnibus, tamen quibusdam explicita & distincta hujus principii conceptio necessaria est, Ergo eorum saltem respectu non erit pri-

mum fidei Christianæ principium. Tertiò, qui utuntur hoc principio, possunt vi illius in graves errores induci, si explicitè & distinctè non habeant veram illius conceptionem. Possunt enim putare Episcopos aut seorsum existentes, aut in Concilio nationali congregatos, aut in Concilio generali contra Papam definientes, esse infallibiles in definiendis fidei controversiis. Si autem in hos errores incidant, existimabunt infallibile, immò divinum esse decretum Concilii Constantiensis, & Basilensis de authoritate Concilii generalis supra Papam; Item, Concilii Francofordiensis sententiam contra cultum Imaginum, Item, Concilii Chalcedonensis sentententiam quæ Papæ Rom. principatum Monarchicum evertit.



CAPUT III.

Variis Scripturæ, Patrum, & ipsorum Pontificiorum testimoniis probatur, Romanæ Ecclesiæ veritatem ex Scriptura tanquam ex priori principio esse demonstrandam.

SEcundo Pontificii ex Scriptura tanquam ex priori principio demonstrare debent Romanæ *Ecclesiæ* & *Veritatem*, quod viz. ea vera Christi Ecclesia sit, et ejusdem *Authoritatem*, seu *Infallibilitatem*, quod videlicet in definiendis fidei controversiis errare non possit: *E*rgo non *E*cclesiæ infallibilitas, sed Scripturæ divina authoritas est primum credendi principium. Cõsequentia ex se manifesta est. Quod ad antecedens attinet illud duabus cõstat partibus: prior est de Ecclesiæ Rom. veritate: posterior de ejusdem infallibilitate. Priorem partem hîc probabo, posteriorem vero cap. 9. 1.

Primò igitur, Sacram Scripturam esse principalem regulam per quam vera *E*cclesia à falsa dignoscitur, patet, quia Deus in Scriptura testatur ipsam Scripturam in omnibus fidei controversiis, & proinde etiam in hac quæstione de Ecclesia consulendam esse, tanquam principalem fidei regulam. Esai. 8. versu 20. *Ad legem & testimonium*, &c. Ioh. Cap. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*, &c. Item Matth. Cap. 7. vers. 15. *Cavete vobis à pseudo-prophetis, --- ex fructibus eorum cognoscetis eos*, &c. Prima Iohan. cap. 2.

4. verſ. 1. *Probate ſpiritus an ex Deo ſint.* Ex his teſtimoniis patet normã ſecundã quam de ſingulis controverſiis judicare debemus eſſe Scripturam: rem vero ad hanc normam examinandam eſſe ipſos *Eccleſiæ* paſtores, qui ſententiam de rebus fidei pronunciant.

3. Secundò, Patres idem docent: Author operis imperfecti homilia 50. *Qui ergo vult cognoſcere veram Chriſti Eccleſiam, unde cognoſcet, niſi tantummodo per Scripturas?* Auguſt. Epiſt. 166. *In Scripturis didicimus Chriſtum: in Scripturis didicimus Eccleſiam*, &c. Item, lib. de unitate Eccleſ. cap. 2. *Inter nos & Donatiſtas, quæſtio eſt ubinam ſit Eccleſia? quid ergo facturi ſumus? in verbis Donati eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri? Puto quod in illius verbis potius quærere debeamus, qui veritas eſt & optimè novit corpus ſuum.* Item, Cap. 3. ejuſdẽ Lib. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, ſed hæc dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, quorum authoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Et paulo poſt,

Nolo

Nolo humanis Documentis, sed Divinis Oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Item, cap. 16. *Sed utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum testimoniis ostendant.* De his testimoniis Augustini, ita loquitur Stapler. Lib. 1. princip. Doct. Cap. 24. *Ecce apertissimè dicit Augustinus & in Scripturis quærendam esse Ecclesiam, & ex ipsis demonstrari Ecclesiam. Hoc sanè totum verissimum est, &c.*

At si hoc verissimum est, ut fatetur Stapler. necessariò sequitur Scripturam esse Ecclesia notiorem simpliciter, & absolutè (non *aliquando, & ex hypothesi tantum*, ut vult Bellarm. Lib. de notis Eccles. Cap. 2.) nam formalis ratio propter quam credimus hunc vel illum cœtum esse veram Christi Ecclesiam, est authoritas divina Scripturæ, seu authoritas Dei loquentis in Scriptura, & per eam revelantis notas Ecclesiæ, ut docet Augustinus. *Ergo* ipsa Scripturæ authoritas necessariò prius natura creditur, quam Ecclesiæ hujus vel illius veritas: nam formale objectum fidei necessariò prius natura creditur, & proinde lumine fidei notius est, quam materialia objecta quæ propter illud creduntur, ut probavi, Tract. præcedenti. 4.

Respondebis fortassis, non ex sola Scriptura, sed etiam ex Traditione non scripta veram Ecclesiam demonstrari, quia doctrinam de notis Ecclesiæ habemus etiam per Traditionem non scriptam, & per consequens fides qua creditur Ecclesiæ veritas non nititur sola Scriptura. Respondeo primò, quamvis concederemus fidem qua creditur Ecclesiæ Rom. veritas niti etiam Traditione non scripta, tamen haberemus prepositum, & vestra doctrina de Romanæ Ecclesiæ veritate, quod videlicet sit primum fidei principium, corrueret. Quod enim nititur alio priori principio sive illud sit Scriptura sive Traditio, id non potest dici primum principium. Secundò, doctrina de notis Ecclesiæ ex qua colligunt Pontificii Rom. Ecclesiam esse veram Ecclesiam, non potest dici Traditio nō scripta, ut infra patebit. Tertiò, August. locis supra citatis manifestè asserit fidem qua hujus aut illius Ecclesiæ veritas creditur sola Scriptura niti debere. Nam Lib. de Vnitate Eccles. Cap. 3. dicit, *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis Ecclesiam demonstrari.* Et Cap. 16. *Sed* (inquit) *utrum ipsi Ecclesiam teneant non nisi de divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant.* Hic diserte asserit, nullam esse

legitti-

legittimam veræ Ecclesiæ demonstrationem aut probationem nisi ex Scripturis. Et hanc fuisse mentem Augustini aperte asserit Michael Baius Professor Lovaniensis, in Epistola ad Antonium Genhart, quam præfixit Apologiæ suæ ad objectiones Sanct. Aldegondii: ubi etiam dicit Tiletanum in Apologia pro Concilio Tridentino, Et Tapperum in articulo de Ecclesia eodem modo intellexisse Augustinum.

Tertiò, ipsi adversarii fatentur fidem qua credunt Rom. Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, niti Scripturæ authoritate. Stapleт. Lib. 1. princip. Doctrin. Cap. 24. dicit Ecclesiæ lucem, splendorem, firmitatem, durationem, authoritatem, ceterasque dotes in Scripturis *apertissimè, plenissimè, & copiosissimè describi.* Et paulo post, *Dicimus ergo* (inquit) *& libentissime dicimus cum Augustino in Scripturis quærendam esse Ecclesiam, id est, quæ sint notæ, dotes, & proprietates Ecclesiæ, ex sacræ Scripturæ Oraculis, non ex humanis documentis investigandum esse.* Item, Cap. 25. dicit, *Scripturam esse Ecclesia notiorem, eaque magis claram, hac vna in re*, id est, in describenda Ecclesia. Et in Controversiarum Relectione, Controv. 1. 6.

 quæst.

quæst. 4. Art. 5. *Notæ* (inquit) *quibus Ecclesia cognoscitur in ipsa Scriptura fundantur.* Et infra: *Non est ergo Scriptura nota Ecclesiæ simpliciter, id est quoad omnem ejus doctrinam, sed secundum quid, & ex hac parte tantum, quod ejus dotes, qualitatem, & notas, ipsa nobis luculenter describit.*

7. Sic etiam Iohannes Pistorius, Lib. de 14. Articulis, Cap. 4. sub finem Cap. fatetur Scripturam ea parte, qua de Ecclesia ejusque conditionibus, ac privilegiis agit, esse nobis ipsa Ecclesia notiorem et certiorem. *Et sa*nè hoc negari non potest cum *Ecclesia* teste August. ex sola Scriptura demonstranda et probanda sit. Omnem enim probationem necesse est esse ex notioribus et clarioribus.

8. Similiter Becan. in Apolog pro Iud. Controvers. Cap. 3. §. 6. et 7. concedit hanc propositionem esse veram: *Sola Scriptura primariò & infallibiliter terminat & definit quæstionem de Ecclesia per modum normæ.* Item: *Ex Scriptura* (inquit) *tanquam ex norma primariò & infallibiliter demonstratur Ecclesiam esse toto orbe diffusam, & Christum esse illius caput.*

Collo-

Collocutores etiam pontificii in Colloquio Ratisb. Seſſ. 8. Reſponſ. ad 10. teſtimonium Chryſoſtomi hoc ipſum concedunt: *Tantummodo igitur* (inquiunt) *ex Scripturis religionem Christianam cognoſcimus, quia tantummodo ex notis in Scriptura declaratis, & non ex aliis cognoſcimus quæ ſit vera Eccleſia*, &c. Et infrà ad primum Auguſtini teſtimonium; *Fatemur nos ex Scripturis & Chriſtum, & Eccleſiam diſcere.* 9.

Iohannes Driedo Lovanienſis Accademiæ Doctor, hoc ipſum aſſeruit. Nam Lib. 2. de Dogmatibus Eccleſiæ Cap. 3. in ſolutione Argumenti quarti, *Proinde* (inquit) *fides non amplius ex perſonis probanda venit, ſed ex ſua fide probantur perſonæ, ſicuti ex Scripturis ſacris cognoſcitur ea quæ nunc eſt Eccleſia.* Ad hanc autem ſuam aſſertionem confirmandam hoc utitur argumento. *In Eccleſia autem quæ nunc eſt, Chriſtus nec ſic præſens propria voce loquitur* (ſupple prout loquutus eſt in Eccleſia primitiva ſeu Apoſtolica) *nec ſe loqui oſtendit ſub atteſtatione ſignorum & prodigiorum, nec Spiritus Sanctus in ea jam ita* 10.

ita manifestus apparet in signorum & prodigiorum attestationibus: Et hinc colligit ecclesiam necessario debere aliunde innotescere, videlicet ex Scripturis. Item, Lib. 4. Cap. 4. *Super omnibus* (inquit) *quæ ex Scripturis manifesta sunt, prior, notior, et vetustior est authoritas Scripturæ quam Ecclesiæ ejus quæ nunc est. nam & hujusmodi Ecclesia, quæ nunc est, quemadmodū in superioribus diximus, ex Scripturis sacris quærenda est & cognoscenda.* Et paulò post, *De Ecclesia autem quæ nunc est, intelligendo eam ut præcisam & abstractam, seu nudam & absque cohærentia in fide & moribus cum Ecclesiis quæ fuerunt in prioribus sæculis, diceret Augustinus: Ego hujus Ecclesiæ homines non agnoscerem esse Ecclesiam Christi nisi doceret me quatuor Evangeliorum authoritas. Ego Ecclesiæ non crederem, si aliud Evangelium nobis evangelizaret; si Apostolorum doctrinas non doceret.*

11. Sed et ante hos, Henricus Gandavensis in Summa Art. 10. quæst. 1. *Sic quotidie apud illos qui foris sint intrat Christus per mulierem, id est, Ecclesiam, & cre-*

dunt per istam famam, etc. Et ibidem. *Plus verbis Christi in Scriptura credit, quam Ecclesiæ testificanti, quia propter illam jam credit Ecclesiæ: & si ipsa quidem contraria Scripturæ diceret, ipsi non crederet*, &c. Et Art. 9. quæst. 3. *Quod autem credimus posterioribus circa quos non apparent vertutes divinæ, hoc est, quia non prædicant alia, quam quæ illi in scriptis certißimis reliquerunt; quæ constat per medios in nullo fuisse vitiata ex consensione concordi in eis omnium succedentium usq; ad tempora nostra.*

Caput IV.

Ratione etiam probatur Rom. Ecclesiæ veritatem ex Scriptura esse demonstrandam.



AP. præcedente nostram sententiam variis testimoniis Scripturæ, Patrum, et ipsorum Pontificiorum, confirmavi: Nunc Argumentis à ratione petitis utar. Prima ratio petitur à modo investigandi

gandi veram Ecclesiam. Nam cum certissimus et tutissimus modus investigādi veram Ecclesiam, sit per *Notas & Proprietates* Ecclesiæ, proculdubio certitudo fidei, quam habemus de veritate hujus aut illius Ecclesiæ præcipuè pendet ab eo per quod Deus nos, cum veram Ecclesiam investigamus, infallibiliter certos reddit de præcipuis veræ Ecclesiæ notis. At non per Ecclesiam, neque per Traditionem non scriptam, sed per Scripturam nobis notificat et manifestat notas Ecclesiæ, nosque de iis infallibiliter certos reddit. Ergo, à Scriptura præcipuè pendet certitudo nostræ fidei de veritate hujus aut illius Ecclesiæ.

2. Major manifesta est: probatur minor: et primò quidem, quod Deus non per ipsam Ecclesiam notificet, seu manifestet nobis veræ Ecclesiæ notas patet, quia *Notam* oportet esse aliunde notam quam à re cujus est *Nota*: Etenim medium non potest probari per conclusionē; sed contrà medium est argumentū conclusionis, alioqui probabitur ignotum per ignotius. Deinde vera Ecclesia iis qui eam investigant adhuc est ignota: nam est id ipsum de quo dubitatur: Ergo, Ecclesiæ testimonium non potest eos qui ipsam investigant, infallibiliter certos reddere de notis veræ Ecclesiæ.

3. Similiter quod non per Traditionem non

ſcriptam revelentur nobis *Eccleſiæ* notæ patet, quia ea Doctrina quæ in Scripturis *apertiſſimè*, *pleniſſimè*, *&* *copioſiſſimè* proponitur non poteſt dici Traditio non ſcripta. At talis eſt doctrina de notis Eccleſiæ, ut diſertè fatetur Staplet. locis ſupra citatis. Ergo, &c.

Caput V.

Alia etiam ratione id probatur, & ſpeciatim oſtenditur fidem qua Pontificii credunt Rom. Eccleſiam eſſe veram & Catholicam Chriſti Eccleſiam, non niti communibus fidei motivis.



Lia etiam ratione eadem veritas probatur. Nam fides qua creditur Eccleſiæ Rom. veritas, vel nititur communibus fidei motivis, vel ipſius Eccleſiæ præſentis teſtimonio, quatenus nimirum illud ex adverſariorum ſententia Dei ipſius teſtimonium eſt, aut denique nititur verbo Dei anti-

antiquitus revelato prophetis et Apostolis, at per eos Ecclesiæ tradito. At neque nititur communibus fidei motivis, neque testimonio Ecclesiæ præsentis: Ergo nititur Verbo antiquitus tradito, et revelato: et proinde ipsum Verbum Dei, aut saltem aliqua ejus pars, necessariò prius creditur. Probatur assumptio: et primo, quidẽ quod ad cõmunia fidei motiva attinet (qualia sunt gloria miraculorum sanctitas vitæ, constantia Martyrum, multitudo Professorum, aliaque similia) fatetur Driedo locis supra citatis veritatem et authoritatem præsentis Ecclesiæ non satis manifestè et evidenter ex iis agnosci.

2. Secundò, Si ex solis motivis fidei, absque ullo alio argumento, aut fundamento, et speciatim absque Ecclesiæ infallibili testificatione, habetur sufficiens fidei certitudo de veritate Ecclesiæ Romanæ; cur non etiam ex iis fidei motivis, absque infallibili Ecclesiæ testificatione haberi potest sufficiens certitudo fidei de veritate totius fidei Christianæ, hoc est, de veritate omnium dogmatum fidei quæ ad salutem necessaria sint? Nam omnia motiva fidei suadent, immo à Deo instituta sunt, ad suadendam veritatem totius doctrinæ Christianæ, ut docent Suarez. Disp. 4. de Fide. Sect. 3. §. 12. Valentia Tom. 3. Disp. 1. p. 4. §. 3. Col. 68. et 69. Et Becanus Tract. de fide

de fide, cap. 6. Cur igitur adfirmant adversarii nullam certitudinem de dogmatis fidei haberi posse nisi infallibilis Ecclesiæ testificatio accedat?

3. Tertiò, & speciatim cur dicunt nullam certitudinem de Scriptura sacra haberi posse, quod videlicet sit Dei verbum, nisi accedat infallibilis Ecclesiæ testificatio? Nonne ipse Bellarm. Lib. 1. de Verbo, Cap. 12. demonstrat Scripturam esse Dei verbum ex variis motivis et argumentis, qualia sunt, veritas vaticiniorum, incredibilis eorum conspiratio, singularis providentia Dei Scripturam suam ab humana profanatione defendentis, et infinitus prope numerus divinorum miraculorum, quæ facta sunt ad comprobanda dogmata in Scripturis comprehensa. Nonne tu ipse Cap. 4. §. 5. dicis Scripturam *tot tum miraculis, tum vaticiniorum adimpletionibus confirmatam, & sanctißimis institutis atque doctrinis per se ita illustrem esse, ut de infallibili ejus authoritate nulla prudenti supersit ratio dubitandi*. Si hujusmodi motiva per se sufficiunt ad certitudinem fidei habendam de veritate Ecclesiæ Romanæ, cur non etiam per se sufficiunt ad habendam certitudinē fidei de divina authoritate Scripturæ? & contra si hæc per se, & absque

absque infallibili Ecclesiæ testificatione non sufficiant ad certitudinem fidei habendam de Scripturæ authoritate; tunc neque per se & absq; infallibili Ecclesiæ testificatione sufficiunt ad certitudinem fidei habendam de veritate ipsius Ecclesiæ.

4. Quartò, ipsi Adversarij fatentur assensum qui nititur communibus fidei motivis, non esse assensum fidei, sed *prudentiæ praviæ*, quæ viz. fidem præcedit. Item assensum qui nititur illis motivis esse *evidentem*, cum fidei assensus sit *inevidens* & obscurus.

5. Quintò, Paulus Rom. 10. 14. & 17. dicit, *totam fidem nostram niti DEI Verbo*. Ergo nulla ejus pars nititur communibus motivis fidei, quæ sunt quid distinctum a DEI Verbo. Ex his patet crassum & absurdum esse eorum Pontificiorum errorem, qui fidem qua creditur Ecclesiæ veritas ultimò resolvunt in communia fidei motiva: quæ videtur fuisse sententia Maldonati in Secundam Secundæ Divi Thomæ, q. 1. art. 1. sect. 6. & Odowardi Westoni lib. 3. de triplici hominis officio.

CAPUT

Caput VI.

Eandem non niti præsentis Ecclesiæ Testimonio.



Ecundò, quod attinet ad præsentis Ecclesiæ testimoniũ de seipsa, quo videlicet testatur se esse veram CHRISTI Ecclesiam, id non esse sufficiens & idoneum fundamentum illius fidei qua creditur Ecclesiæ veritas, patet primò, quia si homo aliquis, aut cœtus aliquis testimonium perhibeat de se ipso, nec alio argumento aut testimonio suam assertionem de se confirmet, testimonium ejus non est legitimum nec diginum fide, vt patet tum ex dicto CHRISTI Iohan. 5. 31. tum ex expositione istius dicti quam adferunt ipsi adversarij, videlicet Staplet. lib. 3. de defensione authoritatis Ecclesiasticæ Cap. 5. ad Sect. 1. Grets. in defensione Cap. 7. Lib. 3. de verbo, Col. 1336. & alij. 1.

Secundò: Si testimonium Scripturæ de se ipsa non potest nos certos reddere de divina authoritate Scripturæ, tunc testimo- 2.

nium *Ecclesiæ* de seipsa non potest nos certos reddere de Ecclesiæ veritate quod videlicet vera CHRISTI Ecclesia sit : At prius est verum ex vestra sententia, vt patet ex Bellarm. lib. 4. de Verbo Cap. 4. §. *quartò necesse est*. Gretsero in defens. istius Capitis Col. 1575. & 1576. & aliis. Ergo etiam verum est posterius: Nam par vtrobique est ratio. Vos enim dicitis Scripturæ testimonium de se ipsa non posse nos certos reddere de divina authoritate Scripturæ, quia nemo credere potest id verum esse quod Scriptura de se ipsa dicit, nisi prius credat Scripturam esse DEI verbum. Ergo pari ratione credere non possumus *Ecclesiæ* testimonium de seipsa esse verum, nisi prius credamus Ecclesiam quæ illud testimonium perhibet, esse & veram CHRISTI Ecclesiam, & etiam in testificando esse infallibilem. Non igitur propter Ecclesiæ testimonium, credimus ejus veritatem, sed contrà ob ejus & veritatem, & authoritatem credimus ejus testimonium esse verum.

Tertiò, vel credendum est cuilibet cœtui
3° asserenti se esse veram CHRISTI Ecclesiam, ob nudam ipsius assertionem; vel si non cuilibet cœtui tamen vni præ aliis, videlicet Ecclesiæ Rom. asserenti se esse veram, immò vnicam *Ecclesiam* credendum est; vel denique

denique si nulli cœtui ob nudam ipsius assertionem credendum est, proculdubio constituenda est aliqua communis regula, ad quam omnes *Ecclesiæ*, ne Romana quidem excepta examinandæ sunt, vt per eam vera CHRISTI *Ecclesia* investigetur. Primum dici non potest, vt omnes fatentur. At neque secundum dici potest: cur enim credendum est potius Romanæ *Ecclesiæ* ob nudam ejus assertionem quam aliis *Ecclesiis*? Respondebis fortassis Rom. *Ecclesiæ* potius credendum esse quam reliquis *Ecclesiis*, quia *assertio Rom. Ecclesiæ de se ipsa verior est aliarum Ecclesiarum assertione aut testimonio.* At vtrum *in se tantum verior est* assertio *Ecclesiæ* Rom. de se ipsa, an verò etiam *fidelibus verior apparet?* Si tantum in se verior est, non autem fidelibus verior apparet, proculdubio illi non magis assertioni *Ecclesiæ* Rom. de seipsa, quam assertioni aliarum *Ecclesiarum* de seipsis fidem adhibebunt. Si non tantum in se verior est, sed etiam verior apparet, quæro qua ratione, quove argumento? Respondebis, quia *Ecclesia* Romana habet certas & indubitatas veræ *Ecclesiæ* notas. At (inquam ego) vnde est hæc vestra, sive persuasio, sive præsumptio? an tantum quia ipsa Rom. *Eccle*-

sia hoc de se asserit? Sic etiam aliæ Ecclesiæ non minus constanter idem de se ipsis testantur: An quia ex aliqua communi & infallibili regula percipitis eas notas Ecclesiæ quas assignant Pontificij esse veras & genuinas Ecclesiæ notas; item eas soli Rom. Ecclesiæ competere? Ergo dicendum est illud tertium, quod vltimo loco in mea propositione disjuncta positum est: videlicet *aliquam esse regulam communem ad quam omnes Ecclesiæ ne Romana quidem excepta exigi & examinari debent;* nimirum Sacram Scripturam *in qua & CHRISTVM & Ecclesiam didicimus*, vt loquitur August. Epist. 166. Ex ea certò scire possumus, quisnam cœtus sit vera CHRISTI Ecclesia: & proinde in hac controversia de Ecclesia, regula fidei non est ipsa Ecclesia, sed Scriptura. Si autem Scriptura sine Ecclesia testimonio potest hic fidẽ nostrã sufficienter dirigere; cur non etiam in omnibus aliis controversiis religionis?

Quartò, fides divina non potest niti, te-
4. stimonio Ecclesiæ de se ipsa, nisi certò constet illud Ecclesiæ testimonium de se ipsa esse divinum & infallibile. Ac vnde hoc constabit? An ex Verbo DEI sive scripto sive non scripto? Tunc Verbum DEI prius creditur,

creditur, & sic habemus quod volumus. Nam vt jam sæpius dictum est *propter quod aliquid scimus aut credimus, illud ipsum prius sciri & credi oportet*. An ex alio *E*cclesiæ testimonio, quo videlicet testatur suum testimonium de se ipsa esse divinum? Tunc eadem quæstio de illo altero testimonio recurret: & sic dabitur processus in infinitum: An ex ipso hoc testimonio, quia videlicet interna sua luce, virtute & majestate divinitatem suam prodit, hoc est, ostendit se esse revera DEI ipsius testimonium? Non vt opinor hoc dixeris: nam ex vestra sententia, Sacræ Scripturæ testimonia non manifestant suam divinitatem; ergo multò minus illud *E*cclesiæ testimonium hoc præstare poterit. An denique ex communibus fidei motivis? At vos ipsi fatemini, vt supra monui, assensum illum, qui nititur communibus fidei motivis, non esse assensum fidei divinæ, sed præviæ prudentiæ quæ videlicet præcedit actum fidei.

Capvt VII.

Concluditur eam niti debere authoritate Sacræ Scripturæ.



VM igitur fides ea (si modò fides docenda sit) qua creditur Ecclesiæ Rom. veritas, quod videlicet sit vera CHRISTI Ecclesia, neque nitatur communibus fidei motivis, neque ipsius Ecclesiæ Romanæ testimonio, necessariò & inevitabiliter sequitur, eam niti debere Verbo DEI antiquitus revelato, ac per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ tradito: & speciatim ea parte Verbi divini, in qua natura notæ & proprietates Ecclesiæ explicantur; Hinc primò colligo, aliquam partem Verbi divini (late & generaliter hîc accipio Verbum DEI prout complectitur & Scripturam & Traditionem) seu Doctrinæ antiquitus a DEO revelatæ, necessariò credi antequam sciamus Ecclesiam Romanam esse veram CHRISTI Ecclesiam. Nam *propter quod aliquid scimus aut credimus illud ipsum à nobis prius sciri & credi oportet.*

1.

2. Secundò, speciatim colligo Scripturam aut aliquam saltem Scripturæ partem necessariò credendam esse, antequam sciamus Rom. Ecclesiam esse veram CHRISTI Ecclesiam, idque quia doctrina antiquitus à

D EO

DEO per Prophetas & Apoſtolos revelata, de natura, notis, & proprietatibus *Eccleſiæ*, ex qua videlicet colligunt Pontificij Rom. Eccleſiam eſſe veram CHRISTI *Eccleſiam*, non eſt Traditio non ſcripta. Ergo eſt Verbum ſcriptum, aut ſaltem aliqua ejus pars. Probatur antecedens quia doctrina ea quæ in Scripturis *pleniſsimè*, *apertiſsmè & copioſiſsimè* proponitur, non poteſt dici Traditio non ſcripta, ſeu Verbum non ſcriptum: At talis eſt hæc doctrina vt patet ex Auguſt. teſtimoniis ſupra citatis, & ex Stapletoni confeſſione. Ergo &c.

Tertiò, cum Scriptura nuſquam expreſſè & explicitè dicat, hanc certam & individuam hominum congregationem, quæ præſentem Romanam fidem profitetur, & præſenti Pontifici Rom. ſubjecta eſt, eſſe veram & catholicam CHRISTI Eccleſiam, ſed tantùm generaliter proponat doctrinam de natura, notis, et proprietatibus Eccleſiæ, oportet vt dogma de Rom. *Eccleſiæ* veritate per diſcurſum Theologicum, ſeu per neceſſariam conſequentiam ex Scriptura colligatur; atque adeo vt fides qua creditur Romanæ *Eccleſiæ* veritas præſupponat diſcurſum theologicum à generali doctrina propoſita in Scriptura de notis Eccleſiæ, ad ſpecialem concluſionem de veritate Rom. Eccleſiæ. 3.

Hinc iterum colligo doctrinam illam generalem in Scriptura propositam de notis
4. Ecclesiæ, ejusque divinam authoritatem, prius credi, quam dogma de veritate Rom. Ecclesiæ, et proinde hoc dogma non esse *primũ Credibile:* Ratio manifesta est, quia in omni discursu Theologico, id à quo discurrimus, et ex quo aliud colligimus necessario prius à nobis credi oportet: vnde Cap. 13, tui libelli §. 4. dicis habitum discursivum Theologiæ *propriè non credere, sed ex creditis discurrere, & ex vno credito monstrare aliud pariter esse credendum.*



Caput VIII.

Confutatur Sententia Francisci Suarez de ratione credendi præsentis Ecclesiæ Romanæ veritatem.



1. Suarez, disp. 9. de fide, Sect. 9. §. 14. asserit se credere Rom. Ecclesiam esse veram Ecclesiam, non ex vi alicujus syllogismi, aut discursus syllogistici, sed per DEI immediatam

mediatam revelationẽ. Et primò dicit DEVM hoc olim revelasse, quando per Apostolos revelavit Ecclesiam Apostolicam, quæ videlicet fuit tempore Apostolorum, esse veram CHRISTI Ecclesiam, *Nam* (inquit) *nostra Ecclesia una & eadem est cum Ecclesia Apostolica.*

2. At primò vnde constabit præsentem Ecclesiam Romanam esse eandem cum Apostolica Ecclesia? An ex nuda Rom. Ecclesiæ assertione? An verò quia eandem doctrinam profitetur, et easdem notas et proprietates habet. Prius dici non potest: Nam multæ aliæ Ecclesiæ idem de se ipsis affirmabunt; nec vlla ratio afferri potest, cur Romanæ Ecclesiæ ob nudam ipsius assertionem in re tanti momenti credendum sit potius quam aliis Ecclesiis. Dicendum igitur est posterius, et proinde oportet vt certò cognoscamus idque certitudine fidei divinæ, quæ doctrina sit doctrina ab Apostolis tradita, item quę fuerint notæ et proprietates Ecclesiæ Apostolicæ, priusquam credamus Romanam Ecclesiam esse eandem cum Apostolica. Nam propter quod aliquid scimus aut credimus, illud ipsum prius à nobis sciri et credi necesse est. Quamobrem non possunt Pontificij credere Romanam Ecclesiam præsentem esse eandem

cum Apoſtolica, niſi præeunte diſcurſu, quo ex doctrina Apoſtolorum, et ex notis, et proprietatibus Eccleſiæ Apoſtolicæ in Scripturis propoſitis colligant Romanam Eccleſiam eſſe eandem cum Apoſtolica, quia videlicet profitetur doctrinam Apoſtolorum, eaſdemque notas et proprietates habet quas habuit Apoſtolica. Et ſic vera adhuc erit noſtra aſſertiò, quod videlicet dogma de veritate Eccleſiæ Rom. non ſic primum Credibile, quodque fides hujus dogmatis neceſſariò præſupponat diſcurſum.

Secundò, DEVS per Apoſtolos in Scrip-
3. turis non tantum revelavit Eccleſiam Apoſtolicam eſſe veram Eccleſiam, ſed etiam in iiſdem Scripturis *apertiſſimè, pleniſſimè & copioſiſſimè revelavit* pręcipuas, et certiſſimas notas quibus in omni ſeculo vſque ad mundi finem, vera Eccleſia a falſa diſcerni poſſit. Primò igitur credenda eſt illa doctrina in Scripturis propoſita de notis Eccleſię, et deinde per diſcurſum ex ea colligendum eſt Romanam Eccleſiā eſſe veram CHRISTI Eccleſiam. 3. deniq; ſi propter revelationem antiquitus factam de veritate Eccleſię Apolicæ credenda eſt veritas Romanæ Eccleſiæ, tunc veritas Eccleſiæ Romanæ non eſt primum Credibile, quia videlicet ante eam neceſſario

cessariò creditur authoritas illius revelationis antiquitus factæ, de veritate Ecclesię Apostolicæ.

Secundo dicit Suarez ibidem, DEVM hoc dogma de præsentis Ecclesię Rom. veritate revelasse per Traditionem non Scriptam, et perpetuam Patrum consensionem. Sed de hac Traditione quæro vtrum sit divina an vero humana? Si humana est, non est idoneum fidei fundamentum. Nam fides nititur solo DEI Verbo Rom. 10. 17. Si divina, proculdubio per Apostolos primùm est promulgata, et Ecclesiæ tradita: nam ipsi patres Tridentini Sess. 4. in decreto de Canonicis Scripturis, eas solas traditiones volunt esse fidei fundamentum, quæ per Apostolos aut ab Apostolis sunt Ecclesiæ traditæ. Videat Lector Bellarm. Lib. 4. de verbo Cap. 9. regula prima, & etiam ipsius Turnebulli Librum de formali objecto & regula fidei Cap. 7. §. 2. Hoc posito, sic contra hanc Suarezij assertionem argumentor primò; Doctrina ab Apostolis Ecclesiæ tradita de natura, notis, & proprietatibus Ecclesiæ est in Scripturis *apertissimè & plenissimè* proposita. Ergo non potest dici Traditio non scripta. Secundò, quamvis admitteremus eam esse Traditionem non scriptam, tamen adhuc sequeretur ali- 4.

quod

quod credibile credi, ante dogma de Rom. Ecclesiæ veritate, videlicet dogma de divina authoritate illius Traditionis propter quā Pontificij credunt Ecclesiæ Rom. veritatem. Si enim propter divinam authoritatem illius Traditionis credunt Pontificij Ecclesiæ Rom. veritatem, proculdubio istius traditionis authoritatem prius ab iis sciri & credi oportet. Prius (inquam) prioritate saltem naturæ, vt patet tum ex regula illa toties à me inculcata, *Propter quod aliquid scimus aut credimus*, &c. tum ex iis quæ à me dicta sunt Tract. præced. Cap. 2. 3. & 5.

Tertiò dicit Suarez ibidem, DEVM etiam nunc revelare Romanæ Ecclesiæ veritatem,
5. idque partim per testimonium ipsius Ecclesiæ Romanæ de se ipsa, & partim per evidentia signa credibilitatis id est per communia fidei motiva. Sed vtraque pars hujus assertionis supra confutata est.

CAPVT IX.

Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem ex Scriptura tanquam ex priori principio fidei demonstrandam esse.

Superioribus


Vperioribus aliquot capitibus probavimus priorem partem nostri argumenti 1.
quod videlicet Pontificij propter Scripturæ authoritatem credant Ecclesiæ Rom. veritatem: Nunc verò probabimus (DEO adjuvante) eos propter ejusdem Scripturæ authoritatem credere Rom. Ecclesiæ infallibilitatem, & proinde Scripturæ authoritatem necessariò credi debere ante Ecclesiæ infallibilitatem.

Sic igitur argumentor: Fides qua creditur 2.
Ecclesiæ Rom. infallibilitas, vel nititur communibus fidei motivis; vel ipsius Rom. Ecclesiæ testimonio de seipsa; vel denique nititur aliqua parte Verbi antiquitus revelati Prophetis & Apostolis, & per eos Ecclesiæ traditi. At neque nititur communibus fidei motivis, neque ipsius Rom. Ecclesiæ testimonio. Ergo nititur illa fides aliqua parte Verbi DEI, in quo (vt illi imaginantur) Ecclesiæ Rom. infallibilitas revelatur. Major manifesta est. Prior pars minoris, quæ est de communibus fidei motivis, patet ex iis quæ dicta sunt, parte secunda Disputationis meæ, quæst. 1. §. 8. item ex argumentis à me allatis hoc ipso Tract. Cap. 5. Nam illa ipsa argumenta, quæ probant fidem de veritate Rom.

Rom. *Ecclesiæ* non niti communibus fidei motivis, probant etiam fidem de infallibilitate ejusdem Ecclesiæ communibus fidei motivis niti non posse.

3. Posterior etiam minoris pars, patet ex argumentis Cap. 6. hujus Tract. allatis. Nam ea, sicut probant Ecclesiæ Rom. testimonium non posse satisfacere dubitantibus de ejus veritate, ita etiam non minus efficaciter probant id satisfacere non posse iis qui dubitant de ejus infallibilitate in definiendis fidei controversiis.

4. Probata jam vtraque parte minoris, quivis videre potest veram esse hanc conclusionẽ in qua assero, fidem Pontificiam de infallibilitate Ecclesiæ necessariò niti aliqua parte Verbi divini olim per Prophetas & Apostolos Ecclesiæ traditi; quo posito sic argumentor: Cum fides Pontificiorum de infallibilitate suæ Ecclesiæ nitatur aliqua parte Verbi DEI, vel dicendum est eam niti Scriptura, vel Traditione non scripta. Posterius dici non potest, nam doctrina de infallibili authoritate Ecclesiæ, deque cæteris Ecclesiæ dotibus est *apertissimè*, *plenissimè*, *& copiosissimè* in Scripturis proposita, vt affirmat Staplet. locis supra citatis, & cùm eo reliqui omnes Pontificij Scriptores moderni, qui dicunt

Eccles.

Ecclesiæ infallibilitatem ex apertissimis Scripturæ testimoniis probari posse. Ergo non potest dici Traditio non scripta. Dicendum igitur est prius, videlicet Ecclesiæ Rom. infallibilitatem credi propter Scripturæ authoritatem: quod sanè ipsi adversarij fateri videntur. Nam Bellarm. Lib. 3. de verbo Cap. 10. Resp. ad argumentum 15. loquens de testimoniis Ecclesiæ Concilij & Pontificis, eorum infallibilitatem ex Scripturis cognosci asserit, *De quibus* (inquit) *habemus in Scripturis apertas promissiones quod errare non possint, vt Act. 15. Visum est Spiritui Sancto & nobis, & Luc. 22. Rogavi pro te vt non deficiat fides tua.* Sic etiam Staplet. in Triplicatione adversus Whittakerum, Cap. 15. *DEVM* (inquit) *per Ecclesiam loqui non ex solo Ecclesiæ testimonio, sed ex ipsis maximè Scripturis, ex fidei symbolo, ex communi omnium Christianorum conceptione certò constat.* His adde Valentianum qui Tomo. 3. Disp. 1. quæst. 1. puncto primo. §. 10. sic disserit: *Si rursus interrogetur vnde cognoscat, propositionem Ecclesiæ esse infallibilem? similiter dicat se clarè id non nosse, credere tamen fide infallibili ob revelationem*

Scripturæ

Scripturæ testimonium perhibentis Ecclesiæ.

Hinc concludo Ecclesiæ infallibilitatem,
5. non esse *primum Credibile*, quia videlicet creditur propter Scripturæ authoritatem, & proinde necesse est Scripturæ authoritatem ante eam credi, saltem ordine naturæ. Hanc conclusionem Adversarij evitare non possunt, quamvis ad Traditionem non scriptam confugiant, dicantque Ecclesiæ infallibilitatem, credi non propter Scripturam, sed propter Traditionem non scriptam. Adhuc enim sequetur aliquod Credibile credi ante Ecclesiæ infallibilitatem, videlicet authoritatem illius Traditionis non scriptæ propter quam creditur Ecclesiæ infallibilitas.

CAPUT X.

Observatio de Adversariorum impudentia & perversitate in tractatione hujus quæstionis de primo Credibili.



ON satis hic admirari possum Theologorum Pontificiorum perversum & in malitia gnavum ingenium, qui quæstionem subinde movent & agitant, de Sacræ Scripturæ authoritate, quærentes à nobis, vnde sciamus Sacrā Scripturam esse DEI Verbum. At cum similem quæstionem illis proponimus, de *Ecclesia*, & ex illis quærimus, vnde ipsi sciant Rom. *Eccl.* esse veram, et infallibilē CHRISTI Ecclesiam? illi statim excandescunt & acerbè ac contumeliosè in nos invehuntur dicentes ejusmodi quæstiones esse indignas quæ ab vllo homine Christiano proponantur. Hoc patet ex Stapletono Lib. 3. de Defensione Author. *Eccles.* Cap. 1. §. 6. Vbi ad quæstionem a Whittakero propositam, quomodo constet hanc esse veræ *Ecclesiæ* vocem quam præsentem audimus sic respondet, *Et quis hoc quærat, nisi qui Christianus non est? quid enim Christianus es, & in symbolo profiteris, Credo Ecclesiam Catholicam & adhuc nescis quæ sit vera Ecclesia.*

Stapletono adstipulatur Turnebullus Cap. 8. §. 3. *Nobis autem* (inquit) *quibus* 2.

Ecclesia est conspicua civitas supra montem posita ----- otiosæ sunt illæ quæstiones, vnde constat lucem diurnam esse à Sole illustrante nostrum hemisphærium? Vnde cognoscunt agni vultum & balatum maternum? Vnde oves vocem sui Pastoris? Nam Ecclesia est mulier amicta Sole, vltimaque regula omnium Credibilium, cujus proinde dictamen in omni credito, tanquam diurnum Solis lumen, id est, ipsius DEI Verbum, est omnibus CHRISTI tam agnis, quam ovibus primum cognitum.

3. Similiter Pontificij hoc Principium, *DEVS per Ecclesiam loquitur*, seu Ecclesiæ testimonium est semper & infallibiliter DEI ipsius testimonium, putant esse quasi per se notum & sua luce clarum, vt patet ex Turnebulli verbis nuper citatis. At illud alterum Principium, *Scriptura est DEI Verbum*, putant esse ex se obscurum, & dubium, nisi ad illud confirmandum adhibeatur *E*cclesiæ testimonium de Sacra Scripturæ divina & canonica authoritate.

4. Item dicunt Scripturæ testimonium de seipsa (quo videlicet testatur se esse DEI ipsius Verbum) non posse nos certos reddere

dere, de divina & canonica ipſius authoritate, Bellarm. Lib. 4. de verbo, §. *Quarto neceſſe eſt*, et Gretſerus in Defenſione iſtius Cap. Col. 1574. & 1575. At verò putant, Eccleſiæ Rom. teſtimonium de ſe ipſa (quo videlicet teſtatur ſe eſſe catholicam CHRISTI Eccleſiam, & non poſſe in definiendis fidei controverſiis errare) poſſe nos infallibiliter certos reddere, de illius Eccleſiæ & veritate, & infallibilitate. Staplet. Lib. 8. Doctr. Princip. Cap. 21. reſponſione ad quæſtionem primam, & in Relectione Controverſ. Controver. 4. Q. 3. Art. 2. Reſponſ. ad argumentum 4. Et Lib. 1. Defenſionis Author. Eccleſ. Cap. 14. Sect. 8.

Sic etiam Gretſerus in Defenſione Cap. 10. Lib. 3. de Verbo, Col. 1451. ad quæſtio- 5.
nem qua quæritur quomodo certi eſſe poſſimus Papam non errare, et illa Scripturæ teſtimonia, *Quodcumque ligaveris*, &c. Matth. 18. *Rogavi pro te vt non deficiat fides tua*, Luc. 22. eſſe intelligenda de Papa Romano; reſpondet nos id ſcire poſſe, *ex Traditione Eccleſiaſtica, ex conſenſu majorum, totiuſque antiquitatis ſuffragio, & textu ipſo, ſi ad ejus lectionem nulla adferatur pervicacia & antecepta*

persuasio: Denique (inquit) *velis, nolis, ex ipsius Papę sententia, ac definitione.*

6. Horum deliriorum absurditas manifestissimè patet ex iis qua dicta sunt Tract. 5. Cap. 22. Nam primò (ut illic monui) nemo unquam Catholicus aut Orthodoxus dubitavit de veritate hujus principij, *Scriptura veteris, & Novi Testamenti est DEI Verbum.* At de veritate istius enunciati, *Suprema Ecclesiæ definitio est infallibile DEI Verbum,* multi Catholici dubitarunt, imò multi illud apertè negarunt. Ergo tolerabilior est nostra quæstio de ratione credendi Ecclesiæ infallibilitatem, quam illa adversariorum quæstio qua quærunt, vnde constet Scripturam esse DEI Verbum. Secundò illud enunciatum *DEVS per Ecclesiam loquitur* non est per se notum, & sua luce clarum, tum quia tot Patres, & Pontificij Theologi de eo dubitarunt, tum quia ejus veritas ex alio priori principio demonstranda est, ut patet ex Cap. præcedentibus, Tertiò nulla ratio afferri potest cur potius Ecclesiæ, quam Scripturæ, sibi testimonium perhibenti, fides habenda sit. Maximè cum in Sacræ Scripturæ testimoniis sint plura et clariora divinitatis indicia quã in vllo decreto aut definitione Ecclesiæ. Vide Cap. 6. hujus Tractatus.

Caput XI.

Demonstratio ex Patrum doctrina & praxi, quod non Ecclesiæ, sed Sctipturæ Divina & Canonica authoritas, sit primum fidei principum.



Ræcedentibus Capitibus probavimus, non Ecclesiæ, sed Scripturæ authoritatem, esse primum Credibile seu primum fidei principium: idque primò, Quia explicita, clara & distincta fide id credi non potest nisi alia multa fidei Pontificiæ dogmata prius credantur: secundò, quia propter Scripturæ authoritatem credunt Pontificii fide (ut ipsis videtur) verè divina Romanæ Ecclesiæ, & veritatem & infallibilitatem: & proinde ipsius Scripturæ authoritas necessariò prius (saltem ordine naturæ) credenda est. Nunc igitur alia aliquot argumenta ad nostram sententiam confirmandam duobus istis adjiciemus. 1.

Tertium argumentum ex Sanctorum Patrum doctrina & praxi peti potest. Primò enim veritas istius principii Papistici, *Suprema Ecclesiæ definitio, est infallibile DEI*

Verbum, incognita fuit (ut probatum est Tract. 5. Cap. 18.) Athanasio, Optato Milevitano, Augustino, Vincentio Lyrinensi, *& quamplurimis illis sanctitate & doctrina præstantibus viris*; quos Vincentius Cap. 1. sui libri se *sæpe* de *de certa & generali via* discernendi fidei veritatē ab hęresi consuluisse asserit. Ergo principium istud non est primum & communissimum fidei principium: nam non est credibile clarissima illa antiquæ Ecclesiæ lumina miserabili ipsorum principiorum Theologicorum ignorantia laborasse.

3. Secundò, Patres in disputationibus suis contra Hæreticos, nunquam ex hoc principio, id est ex Conciliorum divina & infallibili authoritate ratiocinantur (ut monui Tract. 5. Cap. 18. §. 1.) sed contrâ, hæreticis eos prementibus authoritate quorundam Conciliorum respondent principalem fidei nostræ normam non esse Concilia generalia, sed Scripturam Sacram. Hoc patet ex Augustino, qui lib. 3. contra Maximinum Arrianum, Cap. 14. sic scribit: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium; nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non*

quorum

quorumcunque propriis, sed utrinque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Hæc ab Augustino dicta sunt non *per modum concessionis*, hoc est ob Adversarium suum, aut promissionem ullam qua Adversario promiserat se non ex Conciliis, sed ex solis Scripturis adversus eum disputaturum, ut fingit Bellarm. lib. 2. de Conc. Cap. 7. (nam in tota illa disputatione nullum apparet vestigium talis promissionis) sed manifestè ex propria ipsius sententia; ut patet ex ipsis verbis citatis. Primò enim utitur verbo *debes*. Nec tu(inquit) *debes* proferre Ariminēse Cōcilium, nec ego, supple *debeo*, proferre Concilium Nicœnum. Secundò, notanda est illa particula, *tanquam præjudicaturus*, qua innuit eum qui doctrinam aliquam aut sententiam damnat ob nudam alicujus Concilii authoritatem *præjudicare*, hoc est præsumpta opinione alterius sententiam damnare antequam causa agatut. Tertiò, verba illa, *Nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris* non significant concessionem, alioqui dicendum fuisset, *Nec ego hujus, nec tu illius authoritate detinearis*. Quartò, rationem affert cur ex Scripturis potius quam ex Conciliis disputandum sit, quia videlicet

Scripturarum authoritates non quorumcunque propriæ, sed vtrinque communes testes sunt. Quintò, illa etiam verba notatu dignissima sunt, *res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet:* nam & commendant candidam illam & simplicem cum Adversariis ex Scriptura disputandi rationem: & etiam indicant Augustinum hunc modum disputandi ut certissimum, & Controversiis fidei convenientissimum præ omnibus aliis approbasse.

4. Tertiò, Patres dicunt Scripturæ divinam authoritatem primò, & maximè esse credendam; item ab ea tanquam à primo fidei principio demonstrationes Theologicas esse petendas. Clemens Alexandrinus Lib. 7. Strom. sic scribit: *Si sit autem demonstratio, necesse est descendere ad quæstiones, & per ipsas Scripturas discere demonstrativè quomodo lapsæ sint Hæreses: & contra quomodo in sola veritate & antiqua Ecclesia sit perfectissima cognitio.* Et infrà: *Ipsa autem* (inquit) *Scriptura tanquam criterio vtimur ad res inveniendas. Quicquid autem judicatur* (supple ex Scriptura tanquam ex criterio & priori principio) *non creditur priusquam fuerit judicatum:* *quare*

quare non est principium id quod opus habet judicio. Meritò ergo cum fidei comprehenderimus principium indemonstrabile ex abundanti, & ab ipso principio de principio demonstrationes sumpserimus, voce DOMINI erudimur ad agnitionem veritatis. Non enim absolutè enuncianti- bus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enunciare contrarium. Si autem non satis est solum absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est, non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed probamus quod quæritur, voce DOMINI quæ est magis fide digna quam quævis demonstratio, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει, vel potius quæ est sola demonstratio; per quam scientiam qui solum gustavere Scripturas, sunt fideles. Et infra: *Sic ergo nos quoque ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν ex ipsis de ipsis Scripturis perfectè demonstrantes ex fide persuademus demonstrativè.*

Insignis etiam est ille locus Augustini lib. 6. Confess. Cap. 5. *Persuasisti mihi* (DEUM alloquitur) *non qui crederent libris tuis,*

sed qui non crederent esse culpandos. Ne audiendos si qui mihi fortè dicerent, vn scis illos libros vnius veri & veracissim DEI Spiritu esse humano generi subm nistratos? Id ipsum enim maximè cre dendum erat *quoniam nulla*, &c. Obs va hîc. prudens Lector, quam longè de ip primò fidei principio dissentiat Augustinu præsentis Ecclesiæ Romanæ Doctoribus. li enim sæpius ex nobis quærunt unde sc mus Scripturam esse DEI Verbum? At qu stiones de Ecclesiæ Romanæ veritate & inf libilitate ut otiosas rejiciunt, dicuntque e non esse audiendos qui quæstiones illas af runt. Contrà verò Augustinus loco cita dicit eos non esse audiendos qui quærunt u de sciamus *libros illos esse DEI Spiri humano generi subministratos*; & ha suæ assertionis rationem affert, quia *id ma mè credendum est*, hoc est, quia id primò ante omnia alia credi debet. At quæstione illam, *Vbi & quænam sit vera Ecclesia* Scriptura determinandam esse asserit lib. Vnitate Ecclesiæ, Cap. 18. 19. & multis a locis. Vide Tract. 5. Cap. 18. §. 9. & Cap. hujus Tract. §. 3. et 5.

CA

CAPVT XII.

[I]dem probatur ex veterum Pontificiorum scriptis.



QVartum argumentum ex veterum Pontificiorum scriptis depromi potest. Primò enim quidam ex iis apertè asserunt Scripturam esse principium scientificum in Religione Christiana. Pe[tr]us de Alliaco, quæst. prima, in primum [S]entent. Artic. 3. litera E E, sic scribit: *[It]em tunc solum dicimus aliquid Theologicè probari quando ex dictis Sacræ Scripturæ concluditur.* Et infrà: *Ex hac descriptione patet quæ sint principia Theologiæ. Sunt enim ipsa Sacri Canonis veritates: quoniam ad ipsas fit vltimata resolutio Theologici discursus, & ex iis primò singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur.* [E]t ante hunc Lyranus prologo in BIBLIA: *Sicut in Philosophia veritas cognoscitur, per reductionem ad prima principia per se nota: ita & in Scripturis à Sanctis Doctoribus traditis veritas cognoscitur quan-* 1.

tum

tum ad ea quæ sunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas.

2. Secundò, non minùs evidenter ex eorum scriptis patet dogma de Ecclesiæ judiciaria infallibilitate non esse primum fidei principium. Primò enim quidam ex illis qui putarunt supremam *E*cclesiæ definitionem esse infallibilem, amplexi sunt sententiam eam ut probabilem, et non ut certam certitudine fidei. Exempli gratia, Iacobus Almainus Doctor Parisiensis Opusculo de suprema potestate Ecclesiastica et Laica, Quæst. 1. Cap. 16. sic proponit sententiam suam de infallibilitate Concilii generalis: *Et sic resolutoriè tenendum est, & est* probabilius *quod Concilium ritè congregatum non potest errare in fide, & bonis moribus*. Secundò, plerique Doctores Iuris Canonici intrepidè affirmarunt supremam *E*cclesiæ definitionem esse errori obnoxiam, ut testatur Almainus loco citato: *Circa primum* (inquit) *Panormitanus in* Cap. Significasti, *ponit oppositum, & dicit, & plerique Iuristæ cum eo, quod falsum est quod Concilium non possit errare*. Tertio, nec solum Iuristæ, sed etiam clarissimi istius *E*cclesiæ Theologi in ea fuerunt sententia, ut patet ex eorum testimoniis à me citatis, Tract. 5. Cap.

19.

19. quibus nunc quædam alia adjiciam ex Tomo I. Operum Thomæ Valdensis, quem Stapletonus lib. 9. Princip. Doctrinalium, Cap. 12. *nobilissimum Authorem* appellat, ejusque *magnam in Ecclesia laudem esse* dicit, ibidem Cap. 14.

Is lib. 2. Doctrinalis fidei Antiquæ Cap. 19. sic scribit: *Hæc est Ecclesia symbolica, Ecclesia CHRISTI inquam Catholica, & Apostolica, mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem secundùm promissum CHRISTI ad Petrum qui tunc figuram gessit Ecclesiæ.* Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua. *Non est ergo specialis Ecclesia. Non Africana, vt Donatus dixit. Nec vtique particularis illa Romana. Sed vniversalis Ecclesia, non quidem in generali synodo congregata, quam aliquotiens errasse percepimus, velut illa Arriminensis congregata sub Tauro præfecto, & illa Constantinopolitana sub Iustiniano minore tempore Sergii Papæ secundùm Bedam, & quædam aliæ: sed est Ecclesia CHRISTI Catholica per totum mundum dispersa, a baptismo CHRISTI per Apostolos* 3.

los & cæteros successores eorum ad hæc tempora devoluta, quæ utique veram fidem continet, & testimonium CHRISTI fidele, sapientiam præstans parvulis, inter extremos errores stabilem retinens veritatem. Et infrà: *Sed hic intentè quæritur à quibusdam, quæ est illa Ecclesia quam docemus in materia fidei definire? Nunquid clerus, aut prælati Ecclesiæ, vel ipsorũ Ecclesiæ in congregatis conciliis? sed hos omnes frequenter errasse cognoscimus. Quæ est ergo Ecclesia quæ non potest deficere? Quod si sit hæc universalis Ecclesia, quam à baptismo CHRISTI usque ad hæc tempora nostra durasse prædiximus, & per totam terram ad omnes gentes esse diffusam, quis ipsam totam simul adire potest, ut interroget? Ad hoc dubium iterũ videamus praxim Apostolorum, in determinando suum articulum.* Item: *Posset forsan alicujus unius sapientis fidelis esse suspicio, posset unius Episcopi, & apud pertinacem aliquem est alicujus cleri, sive Universitatis, sive Synodi Episcopalis, sive etiam decreti communis in Romana Eccle-*

sia

sia, immò forsan & generalis Concilii Patrum orbis: quia nulla harum est Ecclesia Catholica symbolica, nec vendicat sibi fidem dari sub pœna perfidiæ: sed qui sanctionibus sanctorum Patrum Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, id est per totum mundum expansæ & à sanctis Apostolis constitutæ, & per successiones Patrum qui vsque ad nostra tempora claruerunt, non statim obedit, ipse filius protervię sine omni scrupulo damnatur à singulis. Hac ergo fortissima praxi, hac forma vincendi tutissima vsus est Augustinus contra Iulianum. Item, *Ecce Ecclesiam* (inquit) *sanctorum Patrum successivè qui vtique certiores judices esse debent in causa fidei quam Synodus antistitum generalis* ——— ——— ——— *Nec movere quenquam debet quod talem concordem professionem Patrum præposui decreto generalis Concilii etiamsi de toto orbe existentes convenirent Episcopi.*

Sic etiam scribit Cap. 27. ejusdem libri: 4. *Iam vt ad definitionem Ecclesiæ Catholicæ redeamus, videtis sequendam esse in Ecclesia Catholica gradatim auctoritatem mul-*

tiplicem

tiplicem, Doctorum scilicet Catholicorum omnium, Antistitum sanctorum magis, Ecclesiarum Apostolicarum potius, & ex eis amplius Romanæ Ecclesiæ: & abundantius his omnibus auctoritatem Concilii generalis: nec tamen alicui jam dictæ ita obediendum censeo, & tam prona fide sicut primæ fidei Scripturæ vel Ecclesiæ CHRISTI symbolicæ: sed sicut institutionibus seniorum & monitioni paternæ. Obediatur, dico, sine scrupulis quæstionum, cum omni modestia mentis & reverentia corporis, cum acceptatione & fiducia in verbis docentis: nisi quatenus aliquid doceat is qui docet quod jam justè proscripsit superioris auctoritas, cui tamen tunc pius Ecclesiæ filius non perperam insilit, sed ab eo reverentiali quodam pudore percussus abscedit. Ibi enim requiritur vt sit fides copiosior vbi subest auctoritas gravior.

CAP.

Caput XIII.

Ejusdem veritatis confirmatio ex recentium Pontificiorum testimoniis.



Vintò, eadem veritas ex ipsorum Adversariorum confessionibus confirmari potest. Nam Alphonsus à Castro, Lib. 1. adversus Hæreses, Cap. 2. sic scribit: *Nam sicut in aliis Scientiis, prima earum principia nullus qui eas profitetur negat: ita in negotio fidei pro* unico & indubitato principio, *à quolibet qui se pro Christiano gerit haberi debet, verū esse quicquid in sacris codicibus continetur.* 1.

Melchior Canus, Lib. 1. Cap. 3. elenchum locorum Theologorum proponens dicit, *primum locum esse authoritatem Sacræ Scripturæ:* et Lib. 2. Cap. 1. appellat hunc locum *fundamentum*, seu principium: *Nisi enim* (inquit) *fundamentum hoc fideliter jeceris, quicquid in Theologia superstrux* 2.

struxeris corruet. Corruetque adeo civitas illa DEI cujus fundamenta in montibus sanctis, & in Scripturis, &c.

3. Bellarminus in præfatione sua generali in Controversias, sic scribit: *Neque enim disputari potest, nisi prius in aliquo communi principio cum Adversariis conveniamus. Convenit autem inter nos & omnes omnino Hæreticos, Verbum DEI esse regulam fidei ex qua de dogmatibus judicandum sit: esse* commune principium *ab omnibus concessum*, &c.

4. Petrus Trigosus, in Summa Theologica Bonaventuræ, Quæst. 1. Artic. 3. Dubio 3. *Est enim* (inquit) *velut quoddam axioma & primum principium* Sacram Scripturam esse verissimam *quia evidens est DEVM non posse mentiri. Cum ergo quilibet Christianus fateatur esse Sacrā Scripturam inspiratam à DEO tanquam fidei nostræ firmissimum fundamentum, tenendum est Sacram Scripturam esse veracissimam: & hoc velle probare, vt ait Alphonsus à Castro, 1. Lib. Hæresum, Cap. 2. est summa dementia; quia tanquam primum principium est præsupponendum.*

Quod

Quod etiam docet Basilius super Psal. 115. *quod sicut qualibet scientia supponit sua principia, ita Theologia præsupponit Scripturam Sacram esse certissimam.* Hæc ille.

Franciscus Suarez, Tract. de Fide, Disput. 5. Sect. 3. sic scribit: *Supponimus dari in Ecclesia quosdam libros quos Canonicos vocamus, in quibus Verbum DEI scriptum contineri credimus: quæ suppositio tanquam* dignitas seu primum principium *accipitur ab omnibus, qui Christianorum nomen profitentur: & ideo inter eos probandum non est, ut rectè Castro, Lib.* 1. *contra Hæreses, Cap.* 2. *notavit; quia nulla doctrina juxta Philosophum probat prima sua principia.* 5.

Denique vis veritatis tibi etiam, mi Turnebulle, hujusmodi confessionem extorsit Cap. 4. §. 4. *De Scriptura* (inquis) *in genere loquendo fatentur omnes, non tantum Catholici, sed etiam Sectarii, paucis Libertinis exceptis, eam esse regulam infallibilem, quippe quæ fuit divinitus inspirata & tot tum miraculis, tum adimpletionibus vaticiniorum confirmata, & sanctissimis institutis atque doctrinis* per se 6.

ita illustris, *vt de infallibili ejus authoritate nulla prudenti supersit ratio dubitandi.*



TRACTATUS OCTAVUS,

De Circulo Pontificiorum.

SECTIO VIII.

De Circulo Pontificiorum, vbi Malderi, Valentiani, Becani, *aliorúmque hunc Circulum perrumpere conantium deliria confutantur.*



1. ANTONIUS RUVIUS *non obscuri nominis Iesuita,* in Logica sua Mexicana, Quæst. 2. in Cap. 3. 1. Poster. numero 29. et 30. *dicit, Circulum in demonstrationibus duo requirere, ut sit formalis et perfectus; prius est,* ut ab eodem in idem fiat: *posterius est,* ut per eandem viam fiat; *hoc est, ut fiat* servato eodem cognit

cognitionis genere, *seu (ut alii loquuntur) nulla nova cognitione terminorũ comparata.* Tannerus in Disput. de Fide, Spe, & Charitate, Thes. 80. *&* Gretserus, in Tract. de Agnoscendis Scripturis, Cap. 4. Col. 1888. *ad eundum ferè modum Circulum definiunt:* Est progressus (*inquiunt*) ab eodem adprorsus idem, nulla interim terminorum variatione, quoad notitiæ rationem interveniente: *Quod tum demum accidit, quando consequens ex antecedente illatam,* nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum, & probatum, *mox iterum* ad sui antecedentis probationem, *assumitur. Secus est, quando consequens,* aliunde magis cognitum, *quam ex antecedente* ad suum antecedens probandum, aut notificandum *assumitur, tunc enim* non Circulus, *sed* Regressus *est. Vide etiam* Conimb. in 1. Poster. Cap. 3. Quæst. 1. Art. 2.

Hoc posito contra Pontificios sic argumentamur. 2.
Ubicunque fit progressus ab eodem, ad idem, eodem modo cognitum, *ibi fit Circulus formalis, & propriè dictus. At in hoc negotio sic procedunt Pontificii: Nam propter Verbi DEI authoritatem,* Fide Divina creditam, *credunt Ecclesiæ in testificando infallibilitatem, idque* Fide Divina: *& rursus; propter Ecclesiæ in testificando infallibilitatem,* Fide Divina creditam, *credunt verbi authoritatem, idque* Fide Divina. *Hic igitur est processus, à Verbi DEI authoritate,* Divina Fide *credita, ad*

 eand

eandem Verbi authoritatem Fide Divina creditam, *& proinde est*, ab eodem, ad idem, eodem modo cognitum, *seu ut loquitur* Ruvius, *est* ab eodem, ad idem, per eandem viam.

3. *Respondet* Malderus Antverpiensis *Episcopus*, in secundam secundæ Divi Thomæ, Quæst. 1. Art. 1. §. 7. Non servari hic eandem viam: *Nam Verbi authoritas creditur propter Ecclesiæ testificationem infallibilem, tanquam propter aliquid* notius nobis: *Et rursus, Ecclesiæ infallibilitas in testificando, creditur propter Verbi authoritatem, tanquam propter aliquid* prius & notius natura. *At gratis hoc à* Maldero *asseritur. Primò enim quando fit processus ab eo quod notius nobis est, ad id quod est notius natura, & rursus ab eo quod notius natura est, ad id quod est notius nobis, ut ab effectu ad causam, & rursus à causa ad effectum, manifestè* variatur notitiæ ratio, *nam* notitia *quæ priori processu acquiritur, est* confusa et imperfecta: notitia *verò quæ posteriori processu acquiritur, est* distincta *et* perfecta. *At hic secus se res habet. Nam hic ex verbi authoritate, cognoscitur Ecclesiæ infallibilitas* cognitione fidei Divinæ, *et rursus ex Ecclesiæ infallibili testificatione, cognoscitur verbi authoritas* eadem cognitione, fidei Divinæ. *Pontificii enim sicut* fide Divina propriè sic dicta *credunt Ecclesiæ infallibilitatem propter verbi authoritatem: ita etiam* fide Divina propriè dicta *credunt verbi authoritatem, illiusque fidei, ut supra*

prob

probavi, nullum fundamentum aſſignare poſſunt, præter Eccleſiæ infallibile teſtimonium. *Vtraque igitur hæc cognitio ejuſdem planè naturæ et dignitatis eſt. Et proinde non variatur hîc notitiæ ratio.*

Secundò, quæro ex Pontificiis cur dicant Verbi authoritatem eſſe Natura priorem *Eccleſiæ infallibilitate? Reſpondebunt (nam aliter reſpondere non poſſunt) Verbi authoritatem eſſe natura priorem infallibilitate Eccleſiæ, quia Eccleſiæ infallibilitas* in Verbo revelatur, *et* propter Verbi authoritatem creditur. *At ob eandem rationem, Eccleſiæ infallibilitas, erit* prior natura *verbi authoritate: nam ex Pontificiorum ſententia*, per ſolum teſtimonium, Eccleſiæ, extrinſecus nobis revelatur verbi authoritas, et propter illud ſolum creditur. 4.

Tertiò, cum propter Eccleſiæ infallibile teſtimonium fide verè Divina creditur verbi authoritas, ejus infallibilitas, ex Malderi *ſententia, eſt nobis notior authoritate Verbi, et proinde creditur ante Verbi authoritatem: vel igitur creditur* fide Divina, *ſeu* infuſa, *ante verbi authoritatem, vel* fide acquiſita. Non *fide* Divina: *quia fides Divina, nititur, authoritate Verbi* DEI, *eamq; præſupponit ut nobis notam. Ergo, ſi creditur ante Verbi authoritatem, non creditur fide Divina. Si verò creditur, ante Verbi authoritatem, fide acquiſita tantum, quæ, ut loquitur* Valentia, *incerta et fallibilis eſt, jam non eſt idoneum fundamentum illius actus fide Divinæ, quo Verbi* DEI 5.

authoritas creditur. Quicquid enim est fidei Divinæ fundamentum principale, illud ipsum fide firma, certa, & infallibili credi debet.

6. Gregorius de Valentia, Tom. 3. Dispur. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 10. *dicit, Ecclesiæ infallibilitatem, credi ob Verbi authoritatem, tanquam ob* causam principalem, *propter quam credimus: Verbi verò authoritatem credi ob Ecclesiæ Testimonium, non tanquam ob* causam credendi principalem, *sed tanquam ob* conditionem requisitam *ad Verbi authoritatem credendam, & proinde progressum hîc fieri* ab eodem ad idem, *sed* per diversam viam. *Hoc* Valentiani *effugium prius confutatum est,* Sectione *videlicet quinta; ubi probavimus Ecclesiæ testimonium Pontificiis, esse veram ac propriè dictam* causam credendi, *& non* conditionem *tantum.*

7. Becanus *Opuscul. Theologicorum*, Tom. 1. Opusc. 10. de Circulo Calvinistico; *item, in* Compendio Manualis, Lib. 3. Cap. 10. *dicit, Pontificios in circulo non agitari, quia videlicet, non probant Ecclesiam per Scripturam, aut Scripturam per Ecclesiam, apud eos qui utramque negant, sed apud eos qui earum alteram admittunt, alteram negant: v. g. si quis admittat Scripturam, & neget Ecclesiæ infallibilitatem: ex Scriptura contra eum probari potest Ecclesiæ infallibilitas: & sic si alius admittat Ecclesiæ infallibilitatem, & neget Scripturæ authoritatem, facilè apud eum probatur Scripturæ authoritas ex Ecclesiæ testimonio.*

Hoc

Hoc Becani *responsum, difficultatem non exhaurit: non solum enim hîc Adversarios arguimus, quod circulariter progrediantur in disputationibus suis, contra eos, qui vel Scripturæ, vel Ecclesiæ authoritatem negant: sed etiam quod circulariter progrediantur in stabilienda sua fide, & in reddenda fidei suæ ratione, credentes Scripturæ authoritatem propter Ecclesiæ infallibile testimonium, & rursus Ecclesiæ infallibilitatem propter Scripturæ authoritatem: quod sanè non minus absurdum est, quam si quis diceret, parietes inniti fundamento; & rursus fundamentum inniti parietibus.* 8.

Hujus responsi infirmitatem percepisse videtur Becanus: *ideoque in Opusculo de* Circulo Calvinistico, *alio excogitato commento tria asserit: Primò enim dicit distinguendum esse inter* causam acceptationis fidei, *&* causam fidei secundùm se: *hæc distinctio supra explicata est Sectione 5. Secundò, cum quæritur de* causa fidei secundùm se, *dicit sistendum esse gradum in revelatiane Divina, tanquam in* ultimo resolutionis termino: *v. g. si quæras ex* Becano *an credat Evãgelium* Matthei *esse Divinum? Respondet* Becanus, *se id credere fide Divina, non quia Ecclesia hoc asserit, sed quia* DEVS *revelavit:* Nec aliam (*inquit*) hîc debes expectare resolutionem. Est enim hæc ultima, idque quia revelatio Divina, est unica ratio fidei nostræ, & proinde in ea quiescendum est. *Tertiò, quando instituitur quæstio de* causa 9.

acceptationis fidei, *dicit, Fideles resolvere suum assensum, in illud* motivum, *quo inducti ac persuasi sunt, ut vellent, et inciperent, credere Evangelium illud esse verè Divinum.*

Hîc Becanus *ingenti conatu, magnas agit nu-*
10. *gas. Primò enim dicit se credere Divinam et Canonicam authoritatem Evangelii, propter revelationem Divinam. Attamen ut supra Sectione quinta monui, nec docet, nec docere potest, ubinam inveniatur illa revelatio, propter quam Evangelii authoritas credenda est. Secundò, dicit in revelatione Divina sistendum, et non ad Ecclesiæ testimonium progrediendum esse. Cum tamen Pontificii communiter asserant, nos non posse certò scire, quid* DEVS *revelaverit, seu (quod eodem redit) hanc aut illam revelationem esse verè Divinam, nisi ex Ecclesiæ testimonio. Vide* Bellarm. Lib. 3. de Verbo DEI, Cap. 10. Responsione ad Argumentum 13. *et* Lib. 6. de Libero Arbitrio, Cap. 3. §. At Catholici: *Ipsa igitur revelatio, nos de Divina sua authoritate, certos reddere nequit: et proinde fides nostra in ea sistere non potest: sed necessario ulterius progreditur, et ad Ecclesiæ testimoninm transit, ut ex eo firmam persuasionem, de istius revelationis, Divina authoritate, hauriat.*

SECT

SECTIO IX.

Consideratur novus ille modus, quo Gretserus *&* Tannerus *Pontificios à Circulo vindicare conantur.*



MAldero, Valentiano, *et* Becano *deficientibus, opem ferunt populares*, Tannerus *videlicet* in Disput. de Fide, Spe, & Charitate, Thesi 80. *et* Grets. in Tract. de Agnosc. Script. Canonicis Cap. 4. Col. 1888. et 1889. *Affirmant enim, primò, non omnem Circulum esse vitiosum et improbandum, sed tum demum, quando consequens ex antecedente illatum*, nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum & probatum, *mox iterum, ad sui antecedentis probationem assumitur: secus verò esse, quando consequens*, aliunde magis cognitum, *quam ex antecedente, ad suum antecedens probandum, et notificandum assumitur. Secundò, hoc in præsenti quæstione accidere affirmant: quando enim propter Ecclesiæ testimonium, creditur Scripturæ authoritas, dicunt Ecclesiæ infallibilitatem, tunc non credi*, ex ipsius Scripturæ authoritate, *sed* ex communibus fidei motivis. *Similiter, quando, propter Scripturæ testimonia, creditur* I.

Eccl

Ecclesiæ infallibilitas, Scripturam tunc, spectari affirmant, non prout præcisè, ex infallibili Ecclesiæ authoritate, & propositione discitur : *sed*, ut ex communibus fidei motivis, suadetur ipsius authoritas.

Hæc doctrina, absurda, inepta, & omnino ridi-
2. *cula est : si enim Verbi* DEI *authoritas, quando adhibetur ad Ecclesiæ infallibilitatem suadendam, non propter Ecclesiæ infallibile testimonium, sed propter communia fidei motiva creditur, quæro ex* Gretsero & Tannero *utrum illa fides qua tunc creditur Verbi authoritas, sit* certa, *an verò* incerta & fallibilis. *Non dixerint eam esse certam: Primò, quia omnes Pontificii dicunt,* Verbi authoritatem non posse certò cognosci, aut credi, nisi ex infallibili Ecclesiæ testificatione. *Secundò, Fides ea quæ nititur* communibus fidei motivis, *non est divina, (ut fatentur ipsi Pontificii) sed conjecturalis, incerta, & fallibilis. Si dixerint Fidem eam* qua tunc *creditur Verbi* DEI *authoritas, esse incertam; sequetur, Ecclesiæ infallibilitatem, quæ propter Verbi* DEI *authoritatem creditur, non posse firma, aut certa fide à nobis credi. Quicunque enim Verbi* DEI *authoritatem, certò cognitam, & perspectam non habet, is non potest, propter Verbi* DEI *authoritatem firma aut certa fide credere Ecclesiam esse infallibilem.*

3. *Similiter, si Ecclesiæ infallibilitas, quando adhibetur ad suadendam Verbi* DEI *authoritatem, non*

ex

ex ipsius Verbi DEI *authoritate, sed ex communibus fidei motivis cognoscitur, & creditur: quæro, utrum illa fides qua tunc creditur Ecclesiæ infallibilitas, sit* certa, *an verò* incerta? *Non dixerint eam esse* certam. *Primò, quia illi omnes fatentur, Ecclesiæ infallibilitatem, & reliqua omnia, in Verbo revelata, propter solam revelationem Divinam, seu Verbi* DEI *authoritatem, firmiter & certo credi posse. Secundò, Fides infallibilitatis Ecclesiæ, aut cujuslibet alterius rei quæ non nititur Verbi* DEI *authoritate, sed communibus fidei motivis est incerta & fallibilis, ut jam sæpius monui. Si dixerint Fidem eam qua tunc creditur Ecclesiæ infallibilitas, esse* incertam, *sequetur Ecclesiæ infallibile testimonium non esse idoneum fundamentum, illius actus fidei divinæ quo creditur Verbi* DEI *authoritas. Verbi enim* DEI *authoritatem, firma & certa fide credimus: fundamentū autem fidei certæ, & infallibilis debet & in se certum esse, & à nobis certò cognosci, aut credi.*

Sic igitur, contra Tannerum *&* Gretserum, 4.
concludimus: Verbi DEI *authoritas* Fide Divina *creditur à Pontificiis propter Ecclesiæ in testificando infallibilitatem, non ex* communibus fidei motivis, *sed ex* ipso Verbo *cognitam, & creditam; & rursus, Ecclesiæ infallibilitas* Fide Divina *creditur à Pontificiis, propter Verbi* DEI *authoritatem, non ex* cōmunibus fidei motivis, *sed* ex infallibili Eccl. testimonio *cognitā et creditam.*

Ergo

Ergo, hîc, consequens ex antecedente illatum, nulla alia, præterquam antecedentis sui notitia fultum, et probatum, mox iterum ad sui antecedentis fidem stabiliendam assumitur. Hoc est, infallibilitas Ecclesiæ, quatenus est ex DEI *Verbo, tanquam ex antecedente, cognita, et credita, adhibetur ad antecedentis sui fidem stabiliendam, id est, ad Verbi* DEI *authoritatem suadendam, et rursus Verbi* DEI *authoritas, quatenus est ex infallibili Ecclesiæ testificatione, tanquam ex antecedente quodam, cognita, et credita, adhibetur ad antecedentis sui fidem stabiliendam; id est ad infallibilitatem Ecclesiæ, in testificando suadendam: et proinde progressus hic est merè Circularis.*



REPLICATIO TURNEBULLI,

Quam præcedentibus sectionibus opposuit Cap. 13. & 14.

CAPUT XIII.

De quaternario virtutum in Catholico fidei fundamento conspirantium.

FREQVENS



REQVENS tibi occasio deceptionis, Minister Baro, est Indistinctio plurium virtutum, quas in obliquo unica vox fundamenti fidei non sine homonymia connotat. Nam alia virtus formaliter credit, id est, elicit actum credendi, alia movet efficaciter ad credendum, alia per singulas occasiones ipsam legem, præceptúmque credendi denunciat; alia denique universè docet, monstratque quid sit credendum. Quas tu diversorum habituum functiones si potuisses, ut oportet, distinguere ab invicem tanquam totidem regiones, & latera quadratæ civitatis à Deo cælitus dimissæ, nequaquam tam juveniliter in imaginario tuo circulo tripudiasses Sect. potissimum 8. tuæ Disputat. Quod tuum tripudium sequenti ego cap. perpendam, & videbo, quàm sit ad numerum. 1.

Prima interim virtus, cui cæteræ in materia presentis capitis serviunt, sit ipse supernaturalis habitus Fidei Theologicæ, quem in fundamentum totius justificationis, & in connaturale, proximumq́ credendi principium Deus nostris mentibus infundit. Cujus proinde actus, ut dici solet, elicitus est assensus, quem intellectus præveniente gratia confortatus præbet tam rebus revelatis, quàm divinæ revelationi propter divinam revelantis auctoritatem. Nec in hoc habitu probanda est opus jam immorari quando cap. 2. satis est explicatum specificum ejus objectum. Nec quæstio an detur sit jam disputanda, sed supponenda, nisi velimus plura, quàm est necesse, vel à te negentur, in hanc disputationem adducere. 2.

Porro

Porrò antequam cæteræ tres virtutes, quarum functiones ad ponendum aliquod Fidei Fundamentum concurrunt, explicentur, duo sunt hîc principia prænotanda.

Primum. Licet assensus Fidei ab intellectu habitúque intellectuali eliciatur; imperari tamen à voluntate, tanquam opus credenti liberum, ut passim nostri docent cum S. Thoma 2. 2. q. 1. Art. 4. & q. 2. Art. 1. 2. & 9. & quæst. 4. Art. 2. & cum Concilio Trident. Sess. 6. Can. 6. Nec alia potest esse mens Scripturæ sive quando contrariam incredulitatem tribuit duritiæ cordis, id est, obstinationi pertinacis voluntatis. Esa. 6. Ioan. 12. Luc. 18. sive quando ait corde credi ad justitiam, Rom. 10. id est intimo affectu voluntatis; sive denique quando actum hunc commendat tanquam moraliter bonum & meritorium, Genes. 15. Lucæ 2. Rom. 4. Hebr. 11. Vnde Concilium Arausf. 2. can. 5. *Sicut* (inquit) *augmentum, ita etiam initium Fidei ipse credulitatis affectus, &c. est per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem.* Nempe ut rectè Augustinus Tract. 16. in Ioan. *Cætera potest homo nolens, credere autem non nisi volens.* Cujus rei ratio patet ex obscuritate propria rerum à nobis credendarum Fide divina. Vnde Fides Heb. 11. definitur, *argumentum non apparentium.* Vbi enim tam revelatio, quàm res revelata, est obscura, non movetur intellectus ad assensum, nisi aliunde, quàm ab objecto determinetur, & inclinetur. Atqui nullum aliud sufficiens, vel connaturale principium hujus determinationis, & inclinationis fiugi potest, quàm voluntas, ut vel patet

patet à ſimili in humanis, confirmatque experientia qualis de hujuſmodi aſſenſu haberi poteſt, præſertim quoties contra occurrentes credendi difficultates pugnare oportet.

Alterum principium pariter hic prænotandum eſt, quod in primo totius Theologiæ prolegomeno adverti ſolet, tum de neceſſitate, tum de diſtinctione ſcientiæ Theologiæ ab habitu Fidei. De neceſſitate quidem ad quatuor illos fines ab Auguſtino lib. 14. de Trinit. cap. 1. animadverſos, ad Fidem nempe ſaluberrimam gignendam in Catechumenis, nutriendam in Neophytis defendendam, & roborandam in reliquo corpore militantis Eccleſiæ adverſus hæreſes. Quibus enim argumentis oſtendunt Theologi rectam in Deum fidem ſupernaturalium revelationum eſſe ſingulis hominibus neceſſariam ad ſalutem; pariter etiam demonſtrant in Eccleſia credentium neceſſariam eſſe ob dictos fines diſciplinam paſtoralem, quæ primò ſciat dogmata Fidei ad ſalutem neceſſaria bene proponere, redderéque credibilia populo, tum diſcernere concluſiones Fidei conſentaneas à repugnantibus, ut has damnet, illas verò probet; Fidem inſuper ipſam ab objectis infidelium vendicare; Demum ut loquitur D. Petrus, *Rationem petentibus reddere de ea quæ eſt in nobis ſpe.* Diſtinctio verò hujus ſcientiæ ab ipſa Fide patet, quia Fidei eſt credere. At Theologia propriè non credit, ſed ex dictis diſcurrit, & ex uno credito monſtrat aliud pariter eſſe credendum, tanquam in illo implicitè revelatum; detegítque omnes errores creditis contrarios. Sicut ergo, aliud eſt credere, aliud oſtendere quid ſit conſequenter credendum, vel à credente cavendum, ita non eſt idem habitus credendi, & ex creditis diſcurrendi, vel arguendi.

His duobus principiis prænotatis assero primò
5. præter infusum divinitus habitum credendi, qui elicit proximéve producit supernaturalem assensum in veritates revelatas, ad integrè stabiliendam Ecclesiæ Fidem, necessarias insuper esse tres alias virtutes suis quasque fundamentis innixas, quæ partim imperent, partim dictent eundem assensum. Nam imprimis voluntati necessaria est Religio, aliave perfectio appetitui rationali supernaturaliter infusa, cujus efficaci motione captivetur intellectus in obsequium divinæ auctoritatis. Quia ut disputat S. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 2. actus pendens à duabus potentiis, ut perfecto modo fiat, requirit vtramque potentiam perfectè dispositam. Actus nempe liber credendi requirit, ut & voluntas infuso habitu disponatur ad imperandum, & intellectus alio ejusdem ordinis habitu instruatur ad eliciendum talem assensum. Licet autem habitus huic imperio voluntatis serviens, non semper sit idem, sed interdum Charitas, interdum alia virtus, ex propria tamen conditione talis materiæ, Religio imperium hoc sibi præ cæteris vendicat, quando ex intentione adorandi Deum, captivat intellectum in obsequium Fidei. Nec enim ullum aliud genus adorationis Deo debitæ magis est necessarium quàm quo prima, supremáque animæ facultas, tanquam intellectuale genu coram tanta excellentia curvatur, credendo veritates, quas non videt. In intellectu insuper practico necessaria est Prudentia, quæ sicut omnium aliarum virtutum est auriga & moderatrix, ut loquitur S. Bernardus, ita nisi per singulas occasiones volenti credere præmonstret certam, & à Deo constitutam regulam credendi, nec nomen suum merebitur, nec impediet quo minùs

minùs & affectus credendi sit superstitiosus, & assensus, qui prębetur sit temerarius. *Qui enim citò*, id est, sine sufficienti regula credendi, *credit, levis est corde*, Eccles. 19. In intellectu demum speculativo, saltem Pastorum, & Doctorum, requiritur Theologia, sine qua nec Ecclesiæ corpus, nec Fides, & Pietas, quibus vivit Ecclesia, possunt stare, vel conservari, ut ratio ex pluribus hujus scientiæ finibus paulò ante petita satis ostendit.

Assero secundò pro hac virtutum diversitate, 6.
diversarum quoque acceptionum fundamenta Fidei posse distingui. Nam aliud est, quo tanquam proxima, & objectiva ratione assentiendi nititur, nempe Deus ipse revelans. Aliud quo proximè movetur religiosa voluntas ad imperandum hunc assensum, ipsa nempe honestas illius subjectionis, quâ captivatus intellectus subditur divinæ auctoritati. Aliud quo tanquam regula viva nititur Prudentia dictans eumdem assensum, viva nempe vox Ecclesiæ. Aliud denique quo tanquam principio supposito colligit Theologia, seu doctrina Catechistica quid consequenter sit credendum, vel cavendum; nempe quodcumque principium Theologicæ demonstrationis.

Verùm ut iste quaternarius fiat illustrior, & fun- 7.
damentum prudentiæ in omnibus omnium temporum sectariis summopere semper desideratum studiosiùs commendetur, adverte Aristotelicum illud discrimen inter prudentiam & calliditatem, in eodem alioqui materiali dictamine sæpe conspirantes, quòd illa pręsupponat, hæc non pręsupponat appetitum rectum, unde honestetur. Appetitum autem rectum ab orthodoxa prudentia in quadriga Fidei regendą pręsuppositum quatuor omnino illustrant

ſtrant honeſtates, totidem characteriſticis notis, ex quibus tetragrammaton nomen Eccleſiæ componitur, reſpondentes; quarum ſicut neglectus perdit Fidem, & hæreſes gignit, ita debitus cultus fundat, & conſervat Fidem. Quatuor Eccleſiæ characteres notiſſimi, & à Nicæna Synodo in ſuo Symbolo expreſſi ſunt quibus inſcribitur, *Vna, Sancta, Catholica, Apoſtolica.* Vnitati debetur charitas, fugaque ſchiſmatis; Sanctitati debetur religioſa veneratio numinis aſſiſtentis, & dirigentis; Vniverſitati Catholici corporis debetur Pietas partium ſingularum ceu Iuſtitia generalis, Apoſtolatui denique communis Paſtoris debetur obſervantia ſingularis. Nemini deperit Fides, niſi naufragium ante paſſo circa bonos hos mores. Si vis in Fide non errare, inſeparabili amore amplectere Eccleſiæ unitatem animo religioſè firmo venerare ſanctitatem; latitudinem longitudinemq; cõtinuam, & ſpatia tam fluentia, quàm permanentia Catholici nominis conſtanter ſuſpice, Apoſtolico Patri ſolve, quem debet filius, cultum, & auditum. Talibus fundamentis nixa Fides nunquam nutabit. Tali quadrigæ inſidens, præſidenſq; Prudentia inſigne orthodoxæ aurigæ nunquam deponet.

Tales ad angulos, turreſque angulares quadrata Civitas æternum ſubſiſtet adverſus omnes portas inferorum.

8. Ecce, mi Baro, quot, & quantarum virtutum incogitantia te decepit de fundamento Fidei diſputantem, nec advertentem qualiter hæc Dei dona in homine Chriſtiano, præſertim Theologo ſuis numeris abſolvendo, ſint inter ſe connexa, ſeque invicem ſub diverſis reſpectibus, atque ſenſibus cùm fundent, tum conſervent.

Cap XIV.

Ex principiis capite praecedente positis, Papisticam Fidei analysim ab omni circulo liberare conatur Turnebullus.



ECT. tua 8. §. 2. tale formas argumentum, quo putas nos in resolvenda Fide nostra concludi circulo inevitabili. *Vbicunque*, inquis, *fit progressus ab eodem ad idem eodem modo cognitum, ibi fit circulus formalis, & propriè dictus. At in hoc negotio sic procedunt Pontificii. Nam propter Verbi Dei auctoritatem Fide divina creditam credunt Ecclesiae in testificando infallibilitatem, idque Fide divina.* Et rursus, *Propter Ecclesiae in testificando infallibilitatem Fide divina creditam credunt verbi auctoritatem, idque Fide divina. Hîc igitur est processus à Verbi DEI auctoritate Fide divina credita, ad eandem Verbi auctoritatem Fide creditam: & proinde est ab eodem ad idem per eandem viam.* 1.

Majorem propositionem hujus argumenti nescivisses, nisi quod ultrò videris fateri, à nostris Ruvio, Tannero, Gretsero didicisses, quam proinde nec tibi negabo. 2.

Minorem verò assumis apertè falsam, ex captiosa quidem, & æquivoca tua definitione formalis objecti Fidei consequentem, sed in suis omnibus principiis satis à me jam refutatam. Nec valet, quod in ejus probationem affers. Particula enim *propter* in posteriore probationis membro, si sumatur eodem sensu, quo sumitur in priore membro, efficiet sensum falsum. Nam Ecclesiæ in testando infallibilitas creditur quidem à nobis Fide divina, non est tamen nobis formale objectum Fidei, sed regula duntaxat credendi, ut capite meo 3. & sequentibus satis declaravi. Si autem sumatur alio sensu, nempe ad regulam, rationémve tantùm exemplarem nostræ in credendo prudentiæ demonstrandam, significabit quidem veritatem, sed alterius viæ in isto regressu notandæ, quàm quæ in progressu prioris membri supponitur. Siquidem alterius ordinis & quasi viæ causa est formale objectum Fidei, alterius verò regula prudenter credendi. Ergo non minùs falsò quàm sophisticè concludis per eandem viam fieri hunc regressum. Quomodo, mi Baro, iterum hic non metuisti, ne quispiam tibi exprobaret illud Ecclesiast. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* presertim in illo genere sophismatis, quod 2, Elench. cap. 7. Philosophus vocat omnium ineptissimum.

3. Cæterum quia valde metuo ego, ne sis de numero eorum, quibus lacte opus potius hic sit, quàm solido cibo, & qui exercitatos non habent sensus in analytica doctrina de circulo, & regressu demonstrativo, non gravabor in tui, & similium gratiam rem totam amplius declarare.

Majorem ergo tuam propositionem à nostris acceptam non nisi sensu ab iisdem intento intellectam admitto:

admitto: nempe de progressu & regressu purè illativo, fundato utpote in sola vi formalis consequentiæ, ad suadendum uni, & eidem intellectui principium, à quo totus profluxit. Vbi adverte duas à me conditiones exigi, ut major tibi propositio concedatur. Prior est, ut intelligatur de progressu purè illativo spectante vim formalis consequentiæ, supposito antecedente, cujus assensui assensus conclusionis necessariò, unóque filo annectitur.

Alioqui ubi non fit progressus taliter illativus à noto ad minùs notum, sed dispositivus & sensim per intervalla perfectivus, qualis est à minùs perfecta persuasione ad perfectiorem, alio postea lumine, radióve luminoso stabiliendam, nullus committitur circulus formalis, si conclusio priùs quidem demonstrata, sed aliunde magis illustrata, sive propter meliorem apprehensionem terminorum, sive alia ex causa resumatur, & reciprocetur ad melius notificandum antecedens, ex quo profluxit, ut passim docent sapientiores Philosophi ad 1. & 2. lib. Posterior analyt. Ratióque cogit fateri tali regressu non peti nugatoriè vel inutiliter principium; sed novo, utilíque lumine magis confirmari, ita ut tam hic regressus, quàm prior progressus sit â notiori ad minùs notum. Vnde frequenter Aristoteles hujusmodi regressu est usus, ut vel citati à te auctores cum S. Thoma 2. de cœlo, lect. 16. probant pluribus exemplis, tam Physicis, quàm Logicis. Circulus verò sophisticè nugatorius tunc tantum contingit quando conclusio aliqua nullo alio lumine, qnam primi sui antecedentis nota mox reciprocatur ad idem suum antecedens alicui persuadendum. Hoc enim est inutiliter petere, & repetere principium.

Altera conditio pariter necessaria est, ut ordinetur
4. totus discursus tam ab initio, quàm in regressu ad suadendum uni, eidemq; intellectui. Alioqui respectu diversorum nullus est circulus, v. g. contra Iudæum ex auctoritate veteris Testamenti, quam ille concedit, probare veritatem novi, quam negat; & contra Manichæum ex auctoritate novi Testamenti, quam ille admittit, probare sanctitatem & veritaté veteris, quam negat. Ratio cur ambæ istæ conditiones sint necessariæ, ad circulum patet ex analogia circuli Mathematici, à quo ad nugatorium sophistarum circulum, Logici nomen hoc transtulerunt. Nam sicut Mathematicus circulus non est nisi ubi una eademque linea totam hujus nominis figuram complectitur, ut patet ex 1. Euclid. definit. 15. ita nec circulus mentalis, vel sophisticè nugatorius fingi debet, nisi ubi unus, idemque velut radius notionalis ad idem penitus punctum, seu principium notificandum reducitur, à quo totus profluxit. Alioquin si aliunde aliquid novæ lucis oriatur, jam non est idem radius, sed alius, ex quo, & priore simul junctis ad eundem velut angulum componendum concurrentibus, si aliqua veluti figura consurgat, ea non erit circularis, sed alterius nominis aliqua. Et idem dicendum in casu, quo discursus ad rem diversis intellectibus persuadendum refertur. Nam identitas numerica motus tam circularis, quàm recti, præsupponit numericam identitatem mobilis, quod alterutro cietur. Diversi vero intellectus, quibus fit persuasio, sunt diversa veluti mobilia.

Sub talibus ergo conditionibus, intellectam pro-
5. positionem tuam majorem perlubenter concedo. Sed minorem tuam sub iisdem conditionibus assumptam contendo esse manifestè falsam. Ejusque

falsitatem

falſitatem poſſum tibi bifariam oſtendere. Primò quia in nullo vero circulo datur ultimum punctum, ſed quovis aſſignato poteſt aſſignari aliud ulterius, & ulterius in eadem lineâ cùm non ſit major ratio ſiſtendi mentem in uno, quàm quovis alio ejuſdem peripheriæ. At quærenti à me, alióve quovis Catholico, Cur, vel propter quid credis hoc vel illud dogma Fidei? Reſpondemus aſſignatione plurium punctorum ultimorum totidem veluti lineas terminantium, & reſpondentium totidem diverſis ſenſibus ejuſdem quæſtionis æquivocæ. Nulla ergo umbra circuli eſt in noſtro reſponſo. Majorem ſuppono notam ex terminis. Minorem ut oſtendam, diſtinguo tres principales ſenſus ejuſdem quæſtionis æquivocæ, *Cur credis?* Primum, de ſpecifico, & formali objecto Fidei Theologicæ. Secundum de regula prudenter credendi, ſeu de principio notificante nobis quid ſit credendum. Tertium, de principio in genere cauſæ aliquatenus efficientis determinante, vel inclinante intellectum ad aſſenſum.

Primo ſenſui formaliter, ultimoque reſpondemus per increatam Dei revelantis auctoritatem. Nec hoc reſponſo ullum in eadem virtutis linea ulteriùs expectandum eſt; ſive quæſtio proponatur ſimpliciter hoc modo. Quare credis Deum eſſe trinum, vel Eccleſiam eſſe columnam, & firmamentum veritatis? ſive hoc alio modo magis compoſito. Quare credis Deum dixiſſe ſe eſſe trinum, &c. Omnium enim credibilium Fide Theologica tam ſimplicium, quàm compoſitorum ratio formalis ſub qua, & principaliter objectiva credendi eſt una, eademque Dei perfectio, ut cap. meo 2. ſatis contra te probavi.

Secundo autem ſenſui ejuſdem quæſtionis reſpondere poſſumus per varias regulas credendi, ex quibus Theologico, vel Catechiſtico diſcurſu diſcimus, quid in ſingulis dogmatibus ſit prudenter credendum, & quarum omnium ſuprema, ultimáque eſt Dei Eccleſia nobiſcum ſemper vivens, ſempérque parata per Paſtores de dubiis reſpondere. Nec in hac externarum regularum ſerie, lineáque prudentiæ quicquam datur hoc puncto ulterius, ut cap. meo 5. & 6. ſatis oſtendi.

Tertio demum ſenſui reſpondere poſſumus per varia principiorum efficientium genera, in quorum ſingulis aſſignetur tum primum, tum ultimum ſine ullo colore circuli ſophiſtici. Si enim ſit ſermo de principio proximo phyſicè productivo hujus aſſenſus reſpondemus per vitalem facultatem intellectus habitu divinitus infuſo, vel alio ſupernaturali principio ſupplente defectum habitus confortatam cooperante nobiſcum Deo idem opus. Si autem ſit ſermo de principio determinante intellectum ex ſe indifferentem ad exercitium talis operis, reſpondemus per piam & religioſam voluntatem credendi, quam prævenienti, & adjuvanti gratiæ Dei referimus acceptam. Si demum ſit ſermo de principio eumdem intellectum determinante ad ſpecificationem operis ex ſe ſupernaturalis; Reſpondemus per ejuſdem Dei gratiam, ſive habitualiter infuſam, ſivè in ſupplementum habitus aſſiſtentem, quæ nativam nobis vim evehit ad ordinem divinum.

6. Alterum principale argumentum, quo tuæ Minoris falſitas ſit manifeſta, ſumo ex diſcrimine ſuperiùs explicato inter Fidem, & Theologiam, tanquam inter matrem & filiam, intérque proprias utriuſque functiones, ubi oſtendimus, Fidem formaliter

liter non discurrere ab uno principio revelato ad aliud inde colligendum, licet supponat discursum Theologicum, vel Catechisticum, tanquam præsentativum materiæ credendæ, cui deinde intellectus credentis aliunde motus, & tractus præbet assensum simpliciter, & prudenter adhæsivum. Vnde nunc sic argumentor. Ille progressus non potest censeri circularis, qui non est formaliter, & omnino illativus, & ubi assensus ultimus non fundatur proximè in vi, & necessitate consequentiæ ex aliquo antecedente, ut in explicanda tua majore satis est ostensum. At assensus Fidei non est taliter illatus ex aliquo antecedente, cui ex necessitate cohæret, cùm sit liber, & ex immediato imperio piæ voluntatis adhæsivus veritati propositæ, altiorisque ex se ordinis, atque certitudinis majoris tota vi consequentiarum Logicarum, ut præcedenti cap. ostensum est.

Nullum ergo periculum inutilis circuli in progressu, quo vel ex infallibilitate Ecclesiæ propter DEI auctoritatem credita pervenitur ad assensum Fidei præbendum huic veritati, *Scriptura canonica est Verbum DEI*; vel vicissim ex testimonio Scripturæ propter eamdem DEI auctoritatem credito, pervenitur ad similem assensum Fidei præbendum huic veritati, *Testimonium Ecclesiæ est infallibile*. Ratio patet ex ibidem dictis, quia neutra perventio clauditur in syllogismo, vel discursu, quem supponit, sicut assensus conclusionis fundatus proximè in vi consequentiæ clauditur unaque cum assensu præmissarum componit unam orationem mentalem. Sed utraque perventio supponit alium assensum inferioris ordinis, Theologicum nempe, vel

Cate-

Catechisticum fundatum in vi consequentiæ & præsentativum materiæ credendæ.

7\. Dicet forte aliquis, Licet hoc modo satis liberetur ipse assensus Fidei à circulo, propter supernaturalem excellentiam talis actus liberi, non apparere tamen quomodo non sit circulus in primo discursu Theologico, vel Catechistico presentativo materiæ credibilis, quando primùm ab infallibilitate Ecclesiæ propter Dei auctoritatem credita probat Theologus Scripturam aliquam esse Dei verbum, tum vicissim ex Scripturæ testimonio propter eandem Dei auctoritatem credito, concluditur ab eodem Theologo infallibilis auctoritas Ecclesiæ.

Respondeo satis caveri circulum in hoc toto discursu per diversos respectus vel personarum inæqualiter, vel circa diversa errantium, quarum aliis prior pars objecti discursus accommodatur, aliis posterior; vel temporum, in quorum uno quis per priorem partem hujus discursus est ex Ecclesiæ testimonio erudiendus, ve credat Scripturam; in alio per posteriorem confirmandus, ut Fidem ante susceptam de infallibilitate Ecclesiæ non deserat; vel denique regularum credendi, quasi totidem causarum, sibique invicem causarum, ex mutua comparatione magis illustrabilium, & per se invicem proinde demonstrabilium. Et quidem ubi sunt diversi errones, alter contra Ecclesiæ, alter contra Scripturæ auctoritatem, si Theologus illum ex Scriptura, hunc ex Ecclesiæ testimonio redarguat, nullum describit Circulum, sed utrumque seorsim adversarium ex principio nondum dimisso revocat ad sanam mentem circa dimissum. Vbi verò diversis temporibus unus, & idem homo est diversimodè affectus indigusque

gusque vel primæ instructionis, vel novæ confirmationis in veritate priùs accepta satis cavetur circulus per ipsam temporum discretionem luminumque diversorum vicissitudinem non uni obumbrationi obnoxiam.

Nam ut ante ostendi, circulus in hoc genere non est, nisi ubi unus,, idemque numero radius notionalis ad principium, à quo totus profluxit, notificandum frustra reducitur.

Vbi denique diversorum generum regulæ credendi ex mutua comparatione per se invicem demonstrantur, ut uniformis omnium concordia meliùs appareat, nullus est circulus, sed regressus talis, qualem in diversis generibus caussarum probant cum Aristotele sapientiores omnes Philosophi.

Circulus autem in hoc genere tunc tantùm potest contingere, quando sine ulla totidem respectuum diversitate unus, idémque numero intellectus uno, eodémque velut radio notionali non interrupto, nec aliunde aucto, sed continuato quasi filo reducitur ad petendum inutiliter principium, à quo moveri cœpit.

AVCTO-



AUCTORIS DUPLICATIO.

CAPUT I.

An progreſſus fidei Pontificiæ à Scriptura ad Eccleſiam, & rurſus ab Eccleſia ad Scripturam ſit per eandem viam?



1. Vlta reperio, mi Turnebulle, in CAP. 17. tui LIBRI, quæ animadverſione, & caſtigatione digna ſunt; quia tamen generalis eſt doctrina, quam illic proponis de quaternario numero virtutum in Catholico fidei fundamento conſpirantium; quia item non tam de ea quam de ejus applicatione, quam facis CAP. 14. præcipuè laborandum eſt, idcirco omiſſo CAP. 13. progredior ad ſequens iſtud Caput in quo Papiſticam fidei analyſin ab omni Circulo liberare conaris.

2. Initio iſtius Capitis in medium affers meum ſyllogiſmum, quo evidentiſſimè demonſt

monſtro veſtrum progreſſum in ſtabilienda fide eſſe reciprocum & circularem. Et primò quidem majorem noſtri argumenti propoſitionem concedis, ſed addito puerili & inſulſo ſarcaſmo. *Majorem* (inquis) *propoſitionem hujus argumenti neſciviſſes, niſi quod vltro videris fateri, à noſtris, Ruvio, Tannero, Gretſero, didiciſſes, quam proinde nec tibi negabo.* Quaſi ſcilicet vera doctrina de Circulo & Regreſſu in demonſtrationibus non aliunde quam ex Ieſuitarum ſcriptis depromi poſſet. Rident fatuitatem tuam Adoleſcentes noſtri, qui in Scholis Philoſophicis tot Philoſophorum, tam veterum, quam recentiorum, libros quotidie volvunt, quique ex ſcriptis antiquorum interpretum Ariſtot. ex rectæ rationis amuſſi, & ex præceptorum ſuorum accuratis & doctis prælectionibus de nuperis Ieſuitarum argutiis libere judicant, eaſque ſæpiſſimè ut futiles & ineptas rejiciunt. *At* (inquis) *vltrò videris fateri te propoſitionem iſtam à noſtris didiciſſe.* Mirabilis conjector & interpres alienæ mentis es. Sed hoc vitio plerumque laborant tuæ conjecturæ quod in tuo cerebro, & non in meis verbis fundamentum habeant. Quilibet Lector, cui vel mica ſalis eſt, facilè percipiet me Gretſeri & Tanneri

neri testimoniis propositionem istam confirmasse, non quod eorum authoritatem magni æstimem, sed quia argumentum Adversariorum testimoniis munitum, efficacius & validius adversus eos concludit.

Deinde ad assumptionem nostri syllogis-
3. mi accedis, & ut ostendas Pontificiorum in stabilienda sua fide progressum, à Scriptura ad Ecclesiam, & vicissim ab Ecclesia ad Scripturam non esse circulum *formalem*, seu non fieri *per eandem viam*; dicis Pontificiorum fidem qua credunt Ecclesiæ infallibilitatem niti Verbi DEI auctoritate tanquam formali objecto fidei, eorundem verò fidem qua credunt Verbi DEI auctoritatem niti *Ecclesiæ* infallibili testimonio, non tanquam formali objecto, sed tanquam regula fidei. Hunc esse verborum tuorum sensum manifestè patet: dicis enim particulam *propter* in priori meæ probationis parte [ubi assero Ecclesiæ infallibilitatem à vobis credi propter Verbi DEI auctoritatem] denotare vel demonstrare formale objectum fidei: & nihilominus admittis eam probationis meæ partem ut veram. Posteriorem verò partem dicis non esse veram nisi particula *propter* alio sensu sumatur, nimirum *ad demonstrandam fidei regulam*; & inde colligis progressum hunc non esse per eandem viam.

At

At primò si Verbi Dei authoritas est formale Fidei objectum, cur Cap. 10. tui libri § 1. tam acerbè & contumeliosè in me invehe- 4.
ris quod dixerim parte 1. Sect. 5. §. 5. & parte 2. quæst. 7. Scripturæ divinam & canonicam auctoritatem esse formale Fidei objectum? Non enim illîc dico ipsam Scripturam nudè & in se spectatam, sed divinam Scripturæ auctoritatem esse formalem & objectivam Fidei nostræ rationem ut patet ex titulo nostræ Disputationis atq. ex locis à te citatis, & manifestius ex parte prima Sect. 2. §. 1. & 3. Item Sect. 3. §. 1. Similiter cur dicis cap. 2. § 5. Scripturam etiam *quatenus Dei Verbum* esse non esse formale Fidei objectum. Nam si Verbi scripti authoritas est formale Fidei objectum, ut tu hic fateris, tunc etiam Scriptura quatenus est Dei Verbum est formale fidei objectum: Credere enim propter Scripturæ Divinam authoritatem, & credere propter Scripturam quatenus ea Dei verbum est idem valent.

Secundò falsò asseris Ecclesiæ testimonium
& authoritatem ex vestra sententia ad for- 5.
male Fidei objectum non pertinere, sed tantum esse regulam credendi. Patet hoc ex iis quæ à me Tract. 4. Cap. 1. & 2. dicta sunt quibus nunc addam apertam Thomæ Stapletoni confessionem. Is enim Lib. 8. prin-

cipiorum Doctrinalium, Cap. 21. dicit, *Formalem rationem Fidei non esse Deum revelantem simpliciter, sed vt sic, id est per Ecclesiam.* Et in Controv. Relectione, Contrav. 4. quæst. 3. Art. 2. hanc conclusionem proponit: *Tota completa formalis ratio Fidei nostræ ordinariè loquendo, & ultimum in quod omnis Fides nostra resolvitur ordinariè loquendo est Deus per Ecclesiam revelans.*

6. Præterea, si authoritas Verbi Dei antiquitus Ecclesiæ traditi, est formale Fidei objectum, etiam Ecclesiæ in testificando infallibilitas, seu ut planius dicam, divina et infallibilis authoritas testimonii Ecclesiastici est formale Fidei objectum. At prius est verum, ut ipse hîc fateris. Ergo verum est posterius. Probatur propositio, quia ex vestra sententia, Deus tam verè et propriè dicitur loqui per Eccl. quam per Scripturam, & Traditionem. Vnde Cap. 7. §. 6. tui libri dicis, *increatam Dei loquentis authoritatem non minus applicari rebus credendis per Ecclesiam, quam per Scripturam, & Traditionem.* Ergo si harum authoritas est formale Fidei objectum, etiam istius authoritas pro formali Fidei objecto habenda est.

His

His positis sic ostendo vestrum progressum in stabilienda fide esse circularem. Divina & infallibilis authoritas verbi antiquitus *Ecclesiæ* traditi est formalis ratio propter quam creditis Divinam et infallibilem authoritatem testimonii *Ecclesiastici*: et rursus divina et infallibilis authoritas testimonii *Ecclesiastici* est formalis ratio propter quam creditis divinam et infallibilem authoritatem verbi antiquitus traditi Ecclesiæ. Hoc est creditis *Ecclesiæ* testimonium esse divinum et infallibile, quia Deus per verbum antiquitus *Ecclesiæ* traditum, id est, Scripturam et Traditionem id revelavit, & rursus creditis Verbum antiquitus *Ecclesiæ* traditum esse divinum et infallibile, quia Deus id per *Eccl.* testimoniū revelavit. *Ergo* vester progressus in stabilienda vestra fide est verè et formaliter circularis. Nam in duabus partibus istius processus non variatur genus assensus, quia in utraque intelligitur assensus Fidei divinæ, ut monui Sect. 8. §. 2. & 3. neque variatur principium credendi, quia in utraque exprimitur & assignatur formalis & objectiva ratio credendi, ut patet ex iis quæ dicta sunt. 7.

Præterea sicut vester progressus in stabilienda fide per formale suum objectum est reciprocus & circularis; ita etiam reciprocus & circularis est vester progressus in stabilienda 8.

lienda fide per suas credendi regulas. Nam Verbum antiquitus traditum vobis est regula propter quam creditis Ecclesiam Romanam esse infallibilem Fidei regulam: id enim creditis propter doctrinam de natura, notis, & authoritate Ecclesiæ quam Deus in Verbo suo revelavit, nec aliunde certam Fidei persuasionem de eo habere potestis, ut patet ex TRACT. 7. CAP. 4. 5. & 6. Et rursus, Ecclesia Romana est vobis regula, imò sola & unica regula propter quam creditis verbum antiquitus auditum esse certam & infallibilem fidei regulam: nam secundùm vestram Theologiam nemo certò scire potest hos vel illos libros, item has vel illas traditiones ad Canonem fidei pertinere, nisi ex præsentis Ecclesiæ Romanæ testimonio.



CAPUT II.

An fides Pontificia sistat in aliquo ultimo puncto, seu in aliquo primo Credibili?

1. D fidei vestræ analysin à Circulo liberandam CAP. 14 tui Libri, §. 5. distinguis tres sensus principales hujus quæstionis, *Cur credis?* & pro

& pro eorum numero tribus assertionibus doces quomodo fidem vestram resolvatis. Prima assertio est hæc: Cum quæstio movetur de specifico & formali objecto fidei Theologicæ, ultimò respondemus, per increatam Dei revelantis authoritatem. Nec hoc responso ullum in eadem virtutis linea ulterius est expectandum. Secunda est hæc; Cum quæstio movetur de regula prudenter credendi, respondere possumus per varias fidei regulas quarum omnium suprema ultimaque est *Dei Ecclesia*, &c. Tertia sic proponi potest; Cum quæstio movetur de principio in genere causæ efficientis determinante vel inclinante intellectum ad assensum, respondere possumus per varia principiorum efficientium genera. Harum assertionum ultima seu tertia admitti potest ut vera; at duæ priores sunt apertè falsæ.

Primò enim falsò asseris *Dei* authoritatem, seu veracitatem esse totum formale fidei objectum: probavimus enim Tract. 3. etiam revelationem divinam ad formalitatem objecti fidei propriè & per se pertinere. 2.

Secundò, sive pertineat ad formalitatem objecti fidei, sive non, certum est eam esse quid necessariò requisitum ad fundandum fidei assensum, ut monui Tract. 4. Cap. 2. §. 1, Et proinde quærenti *Cur credis?* non 3.

per solam primam veritatem, sed per primæ Veritas revelationem respondere debemus, nam alioqui ei plenè non satisfaciemus. Non enim satis est ut dicas te hoc vel illud credere, quia DEVS verax est, sed oportet ut dicas te id credere, quia DEVS qui Prima Veritas est, id revelavit, seu propter primæ veritatis revelationem.

4. Tertiò: at neq; in primæ veritatis revelatione sistit et acquiescit Pontificiorum fides. Nam adhuc quæri potest, et ipsi subinde quærunt, *unde constet hanc revelationem esse Primæ Veritatis revelationem, seu hoc verbum esse DEI Verbum?* Et ad hanc quæstionem non per hanc ipsam revelationem, sed per aliquam aliam respondent: hoc est credunt hanc revelationem esse divinam propter illam: et rursus, illam revelationem propter aliam. Ergo, vel iis est procedendum in infinitum, vel redeundum in circulum. In infinitum procedere non possunt, quia non potest assignari infinitus numerus revelationum divinarum: et proinde necesse est in circulum redeant dicentes se hanc revelationem credere propter illam, et illam rursus propter hanc. Et certè Adversarii hoc nimis apertè faciunt. Credunt enim revelationes in Scriptura factas esse divinas, seu

Script

Scripturam esse *DEI* Verbum, non propter ipsam Scripturam, sed propter Traditionem non scriptam, quam etiam esse *DEI* Verbum affirmant. Traditionem autem non scriptam credunt esse *DEI* Verbum, non propter se, sed quia *DEUS* per præsentem Ecclesiam loquens id testatur. Denique *DEUM* loqui per præsentem Ecclesiam, seu Ecclesiæ testimonium esse *DEI* ipsius Verbum credunt, quia *DEUS* in Verbo suo, id est, aut in Script. Sacra, aut in Traditione non scripta id revelavit.

Quartò, falsò asseris fidem vestram resolvi in Ecclesiam tanquam in ultimam et supremam fidei regulam. Primò enim ultima regula fidei est ea, cujus authoritas non pendet ab alia ulteriore regula. At vos talem regulam assignare non potestis. Nam secundùm vestram Theologiam authoritas Scripturæ pendet ab Ecclesia: et rursus authoritas Ecclesiæ à Scriptura: ideoque Capite præcedente dixi vos in stabilienda vestra fide circulariter progredi ab hac regula ad illam, et ab illa rursus ad hanc. Secundò, speciatim manifestum est, Ecclesiam non esse ultimam fidei regulam: nam ejus veritas, et authoritas necessariò ex Scriptura demonstranda est, ut patet ex TRACT. præcedente, de primo Credibili. 5.



CAPUT III.

An concedendum sit Pontificiorũ progressum in stabilienda fide non esse circularem, quia non est illativus.



1. LIO subterfugio uteris CAPITE 14. §. 3. & 6. dicis enim §. 3. progressum illum non esse Circularem, qui non est *purè illativus, spectans vim formalis consequentiæ.* & §. 6. ex hoc fundamento sic argumentaris: *Ille progressus non potest censeri circularis, qui non est formaliter, & omnino illativus, & vbi assensus vltimus non fundatur proxime in vi, & necessitate consequentiæ ex aliquo antecedente, vt in explicanda tua majore satis est ostensum. At assensus fidei non est taliter illatus ex aliquo antecedente, cui ex necessitate cohæret, cum sit liber, & ex immediato imperio piæ voluntatis adhæsivus veritati propositæ, altiorisque ex se ordinis, atque certitudinis majoris tota vi consequentia-*

rum

rum Logicarum, &c.

At primò in assumpt. istius syll. id sumis tanquã certum quod tamen dubium et cõtroversum est, viz. *actũ fidei non esse discursivum*. 2.
Contrariam enim sententiam tuentur Durandus, Gabriel. Almaynus, Marsilius, Aureolus, Canus, Vega, Vasquez, Becanus, & alii non obscuri Theologi Pontificii.

Secundò, falsò asseris in propositione majore solũ progressum illativum esse circularem. 3.
Nam ubicunq. hoc creditur propter illud, & illud rursus propter hoc servato eodẽ cognitionis genere, progressus est formaliter circularis, nec in Theologia est tolerandus, sive interveniat discursus, sive nõ, ut patet ex Tract. 6. Cap. 5. ubi probavi dependentiam Credibilium ab aliis in esse objecti Credibilis non esse reciprocam et circularem.

Tertiò, vanitas hujus subterfugii ex eo patet, quod, quivis vindicare se posset à Circulo hoc 4.
modo, etiam quamvis manifestissimè reus sit Circuli commissi: ut v.g. si quis dicat se credere hoc esse verum, quia Deus id revelavit, et rursus dicat se credere Deum id revelasse, quia est verum, is manifestissimè Circulum committet. At tamen is facilè se potest à Circulo vindicare si utatur tuo subterfugio. Poterit enim dicere assensum quem præbet illis Credibilibus non esse fundamentum in vi alicu-

alicujus consequentiæ, seu illationis, sed esse liberum, et ex immediato imperio piæ voluntatis elicitum.

Quartò, si in actibus fidei non potest
5. committi circulus, quia scilicet illi actus non nituntur discursu, cur objicitis nobis Circulum? Cur dicitis nostrum progressum in stabilienda fide esse formaliter Circularem? Nostra enim fides non magis nititur discursu, aut illationibus syllogisticis, quam vestra.

Quintò, teipsum corrigis paragrapho se-
6. cundo: dicis enim *nullum committi Circulum formalem vbi progressus non est purè illativus, & vbi à minus perfecta persuasione ad perfectiorem, alio postea lumine, radióve luminoso, stabiliendam, procedimus.* Hæc clausula benè additur. Nam si varietur genus cognitionis procul dubio non committitur Circulus. At hæc clausula pro vobis nihil omnino facit. Nam vester progressus est ab eodem ad idem servato eodem genere cognitionis, ut patet ex Cap. 1. et infrà magis patebit.

CAPUT IV.

An Pontificii sine Circulo demonstrare possint Ecclesiæ infallibilitatem ex Scriptura, & etiam Scripturæ authoritatem ex Ecclesia, adversus eos qui harum alteram admittunt, & alteram negant?



ON tantum vos damnamus quod circulariter progrediamini in stabilienda vestra fide, credentes Scripturæ authoritatem propter Ecclesiam, et contrà: Sed etiam quod Circulum committatis in Catechumenis erudiendis de Scripturæ, et Ecclesiæ authoritate. Proponitis enim iis Ecclesiæ infallibilitatem tanquam rationem propter quam credenda sit Scripturæ authoritas: et vicissim Scripturæ authoritatem proponitis tanquam rationem propter quam credenda sit Ecclesiæ infallibilitas. 1.

Respondes §. 7. istius CAP. tribus modis caveri Circulum in hoc discursu Catechistico, seu præsentativo materiæ credibilis. Et 2.

primò

primò quidem dicis Circulum hîc caveri per diversos respectus personarum circa diversa errantium. *Nam* (inquis) *vbi sunt diversi errores, alter contra Ecclesiæ, alter contra Scripturæ authoritatem, Theologus nullum Circulum describit, si illum ex Scriptura, hunc ex Ecclesiæ testimonio redarguat:* hoc est, si adversus illum Ecclesiæ infallibilitatem demonstret ex Scriptura quã admittit, & contrà adversus hunc Scripturæ authoritatem probet per testimonium Ecclesiæ de cujus infallibilitate non dubitat.

3. Hæc tua responsio quamvis in se spectata aliquam veritatis speciem præ se ferat, tamen cum vestræ Theologiæ principiis non benè consentit & cõspirat. Nam ex iis facilè ostendam eos operam ludere qui adversarios Ecclesiæ infallibilitatem negantes, ex Scripturis erudire conantur.

4. Primò enim assensus ille quem gignit ista demonstratio infallibilitatis Ecclesiasticæ ex Scriptura vel est certus, vel incertus. Si incertus, tunc frustra adhibetur illa demonstratio. Si certus, tunc sequetur infallibilem certitudinem de dogmatis fidei haberi posse ex sola Scriptura, absque infallibili Ecclesiæ testificatione: quod est contra Pontificios asserentes nullam contraversiam ex Scripturis sufficienter

ter determinari: item nullum dogma ob Scripturæ authoritatem firmiter credi posse nisi accedat infallibilis Ecclesiæ interpretatio, et testificatio.

Secundò, Pontificii varia quidem afferunt Script. testimonia ad probandam Eccl. infallibilitatem. At cum istorum locorum expositio dubia et contraversa sit, quomodo probabunt illa testimonia ita interpretanda esse sicut illi ea interpretantur? Non ex collatione istorum locorum cum aliis Scripturæ locis: neque ex antecedentium et consequentium pensiculata consideratione; quia hæc media, ex Pōtificiorum sententia, seclusa Eccl. authoritate, et interpretatione ne ad unum Script. locum rectè intelligendum valent, ut docent Gretserus Tract. de agnoscendo legitimo Scripturæ sensu; Staplet. in Controversiarum Relect. Controv. 6. Quæst. 7. Valentia, Tomo 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 7. §. 4. et alii. Non possunt igitur ex sola Scriptura eos infallibiliter certos reddere de vero illorum locorum sensu. 5.

Dicet aliquis: quamvis hic modus investigandi Scripturæ sensum in se nō sit certus, valet tamen ad Adversarium convincendū, et ad os ei obturandū. Resp. Homo Christianus in disputationibus Theologicis hunc scopū sibi propositum habere debet, ut non tantum de 6.

Advers

Adversario victoriam reportet, sed etiam ut eum ad certam & infallibilem veritatis cognitionem perducat. At hoc fieri non potest per sola media incerta & dubia: qualia ex Adversariorum sententia, sunt locorum Scripturæ collatio, & antecedentium ac consequentium consideratio.

7. Instabit aliquis: Hæc media etsi ad fidei certitudinem acquirendam non sufficiant, viam tamen aperiunt, & adversarium ad eam quodammodo præparant & disponunt. *Respondeo*: Si tantum hæc viam aperiunt, & non ad ipsam fidei certitudinem perducunt, tunc primò sequetur Pontificios posse quidem ex solis Scripturis disputare adversus eum, qui Ecclesiam esse infallibilem negat, non tamen posse ex iis solis apud eum demonstrare, seu efficaciter probare Ecclesiæ infallibilitatem. Secundo sequetur alia media adhibenda esse ad eam demonstrandam & ad adversarium perducendum ad fidei catholicæ certitudinem: nimirum Scripturis adjungendam esse infallibilem præsentis *Ecclesiæ* Romanæ interpretationem. Nam de judicio & sententia Patrum qui istos Scripturæ locos exposuerunt, non certò constat, ut putant adversarii, nisi ex infallibili præsentis Ecclesiæ Romanæ testimonio; quo seposito nullum fore litigandi finem asserunt.

Sic

Sic igitur instituendus erit istius argumentationis processus : Quicquid Scriptura docet, verum est. At Scriptura docet Romanam *Ecclesiam* esse infallibilem, LVC. 22. *Rogavi pro te, ne fides tua deficiat.* Ergo, id verum est. Hujus syllogismi majorem concedent illi qui Scripturæ authoritatem admittunt, Ecclesiæ verò Romanæ infallibilitatem negant. At minorem iidem intrepidè negabunt : et pro sua sententia citabunt scripta Patrum, et veterum Pontificiorum, qui istum locum LVC. 22. aliter exposuerunt, quam hodie Pontificii eum exponunt. Necesse est igitur ut Papistica istius loci interpretatio sic demonstretur : Quicquid Romana *Ecclesia* docet, verum est. At Romana Ecclesia docet hunc esse istius loci sensum. Ergo, etc. Hîc pro medio adhibetur prioris syllogismi conclusio dubia, et controversa, videlicet Romanæ *Ecclesiæ* infallibilis authoritas ; et proinde hîc fit processus ab eodem ad idem, hoc est, Romanæ *Ecclesiæ* infallibilis authoritas ad seipsam demonstrandam adhibetur. 8.

Tertiò, Pontificios non posse iis satisfacere, qui de *Ecclesiæ* infallibilitate dubitant, ex eo patet, quod nullam credendi regulam assignare possunt in qua eorum fides, qui de 9.

Eccl

Ecclesiæ infallibilitate dubitant, sistere et acquiescere possit. Non ipsius Ecclesiæ testimonium; tum quia ejus infallibilitas est id de quo dubitatur: tum quia nudum Ecclesiæ de seipsa testimonium non est fundamentum illius fidei qua creditur Ecclesiæ infallibilitas, ut præcedenti Tractatu Cap. 6. probavi: et ipsi Adversarii hoc fatentur, ut patet ex Stapletoni verbis à me citatis ibidem Cap. 9. §. 4. Non Scripturam, aut Traditionem non scriptam, aut Symbolum Apostolorum, aut aliquid hujusmodi; quia horum authoritas, et legitimus sensus, ab infallibili Ecclesiæ testimonio, ex Adversariorum sententia, necessariò pendent: & proinde nihil ob horum authoritatem credere possumus, nisi prius credamus Ecclesiam, quæ iis testimonium perhibet esse infallibilem. *Ergo*, necesse est eos qui de Ecclesiæ infallibilitate dubitant, etiam de horum authoritate dubitare; & proinde secundùm vestram Theologiam hi non habent ubi pedem figant.

CAPUT

Caput V.

An Pōtificii sine Circulo possint unum & eundem hominem primò ex Ecclesiæ testimonio de Scripturæ authoritate, & deinde ex Scriptura de Ecclesiæ infallibilitate erudire?



Ecundò, dicis *in vestro discursu Catechistico caveri Circulum per diversos respectus temporum: in quorum vno* (inquis) *per priorem partem hujus discursus Catechumenus est ex Ecclesiæ testimonio erudiendus, vt credat Scripturam; in alio per posteriorem confirmandus, vt fidem ante susceptam de infallibilitate Ecclesiæ non deserat.* His verbis doces quo ordine Catechumenis proponi debeant Ecclesiæ infallibilitas, & Scripturæ authoritas (innuis enim Ecclesiam cum infallibili sua authoritate primò iis proponi debere tanquam regulam propter quam credenda est Scripturæ authoritas, & eorum omnium veri- 1.

tas quæ Scriptura continentur) & simul etiam ostendis hunc processum ab Ecclesia ad Scripturam, & vicissim à Scriptura ad Ecclesiam non esse circularem, quia in priore parte processus Catechumenis proponitur infallibile Ecclesiæ testimonium de Scriptura ut propter illud credant Scripturæ authoritatem: in posteriori vero, Scripturæ testimonia de Ecclesia iis proponuntur, non ut credant Ecclesiæ infallibilitatem (hanc enim primò ab eis credi opinaris) sed ut confirmentur in fide ante suscepta de Ecclesiæ infallibilitate. Hoc effugium multa falsa, et absurda complectitur.

2. Primò enim regula illa cujus authoritas fidelibus proponitur tanquam primò credenda, & tanquam regula propter quam omnes aliæ fidei regulæ recipiendæ sunt, non debet ab aliis regulis pendere in esse objecti Credibilis. At Pontificii non possunt ullam talem regulam assignare; quia, ut supra monui, credunt hanc regulam esse infallibilem propter illam, & vicissim illam ut infallibilem recipiunt propter hanc. Ergo non possunt in discursu suo Catechistico aliquem ordinem observare in regulis fidei proponendis.

3. Secundò, absurdè & impiè asseris Ecclesiæ (supple Romanæ) infallibilitatem primò proponendam esse Catechumenis, tan-

am

quàm principium propter quod Scripturæ authoritas credi debet. Nam contrà Scripturæ authoritas est primum fidei Christianæ principium, eaque nititur fides illa (si modo fides dicenda sit) qua creditur Ecclesiæ Romanæ infallibilitas, ut patet ex Tractatu *de primo Credibili*.

Tertiò, hinc patet regressum qui fit à Scriptura ad Ecclesiam in posteriori parte istius processus non fieri ad confirmandam, sed potius ad acquirendam illam fidem de infallibilitate Ecclesiæ: & per consequens totum hunc processum esse uniformem, & formaliter circularem, hoc est, per eandem viam fieri servato eodem cognitionis genere. Ratio manifesta est, quia nullum principium, aut fundamentum fidei excogitari potest quo nitatur fides de infallibilitate Ecclesiæ præter divinam & Canonicam authoritatem Scripturæ, in qua, ut Adversarii imaginantur, Ecclesiæ infallibilitas revelata est. 4.



CAPUT VI.

An diversæ regulæ Fidei per se invicem absque Circulo demonstrari possint?



1. Ertiò, dicis *Circulum in vestro discursu Catechistico caveri per diversos respectus regularum credendi, quasi totidem causarum, sibiq; invicem causarum, ex mutua comparatione magis illustrabilium, & per se invicem demonstrabilium.* Et infrà sic scribis: *Vbi denique diversorum generum regulæ credendi, ex mutua comparatione per se invicem demonstrantur, vt vniformis omnium concordia melius appareat, nullus est Circulus, sed regressus talis qualem in diversis generibus causarũ probant cum Aristotele sapientiores omnes Philosophi.*

2. Hîc primò asseris regulas fidei per se invicem demonstrari. Secundò, innuis finem hujus

hujus reciprocæ demonstrationis esse ut regulæ fidei ex mutua hac comparatione *magis illustrentur, & ut uniformis omnium concordia melius appareat.* Tertiò dicis hunc regressum *esse talem, qualem in diversis causarum generibus probant Aristoteles & ejus interpretes.*

Quod ad primum, & secundum attinet, ea vestram causam minimè juvant. Non 3.
enim damnamus reciprocam demonstrationem regularum credendi, si fiat tantum hoc fine, ut ex mutua comparatione magis illustrentur, & ut earum consensus appareat. At vos longè aliter demonstratis regulas fidei per se invicem: nimirum, probatis Scripturam esse DEI Verbum ex Ecclesiæ testimonio, ut Scripturæ sua constet authoritas, quæ alioqui ei constare non posset: & rursus ex Scriptura probatis Ecclesiam esse infallibilem ut Ecclesiæ sua constet authoritas, quæ aliundè sufficienter probari non potest. Hoc est (ut brevius dicam) vultis Scripturæ authoritatem necessariò ab Ecclesia pendere, sicut contrà Ecclesiæ authoritas à Scriptura necessariò pendet, quod nimis absurdum est. Nam si hoc verum est, sequetur Scripturæ authoritatem non posse credi nisi prius credatur Ecclesiæ infallibilitas; & rursus Ecclesiæ in-

fallibilitatem non posse credi, nisi prius credatur Scripturæ authoritas, quod planè inimaginabile est.

4. Quod ad tertium attinet, regressus ille quem in diversis generibus causarum probat Aristoteles, Lib. 2. Poster. Cap. 11. (ut verbi gratia, cum ex deambulatione tanquam ex causa efficiente demonstratur sanitas; & rursus ex sanitate tanquam ex causa finali demonstratur deambulatio) multùm dissimilis est ridiculo vestro Circulo. Primò enim in regressu illo Aristotelico nova acquiritur cognitio, ut monet Smiglecius vester, in sua Logica, Disput. 15. Quæst. 6. At in vestro Circulari progressu nulla nova cognitio acquiritur. Nam, ut patet ex mea DISPUT. SECT. 8. §. 2, proceditis ab authoritate Verbi DEI credita fide divina ad eandem Verbi authoritatem fide divina creditam.

5. Secundò, in prædicto progressu Aristotelico non solum variatur cognitio, sed etiam ipsi termini materiales mutantur: & non ipsa conclusio primi processus, sed alia sensu ab ea distincta assumitur ad sui antecedentis probationem. Nam prior syllogismus istius processus sic formatur: Qui cibos digerit, is est sanus. At deambulans cibos digerit. Ergo est sanus. Posterior verò sic formatur: Qui vult esse sanus, facit ut cibi non supernatent

tent ad os ventriculi, ſeu ut digerantur. At deambulans à cœna, vult eſſe ſanus. Ergo, is facit ut cibi digerantur. Hunc ſyllogiſmum ita format Zabarella, in Lib. 2. Poſter. Anal. Contex. 51. & 52.


Tertiò, quamvis nonnunquam accidat in hujuſmodi circulari demonſtratione, ut non varientur termini materiales (ut verbi cauſa, cum demonſtro hominem eſſe deſtinatum ad beatitudinem, quia eſt rationalis; & rurſus, hominem eſſe rationalem demonſtro, quia eſſe deſtinatus ad beatitudinem: quo exemplo utitur Maſius, in 1. Poſter. Cap. 3. Concluſ. 2.) tamen nunquam accidit, aut accidere poteſt, in ullo regreſſu, ut hæc concluſio neceſſariò pendeat ab illa quoad cognitionem diſtinctam; & illa rurſus, neceſſariò pendeat ab hac. Nam ſic illa concluſio reſpectu hujus ſimul eſſet natura prior, et poſterior, item, notior et ignotior cognitione diſtincta. Sic in exemplo proximè allato hæc concluſio, *homo eſt rationalis*, non neceſſariò pendet quoad cognitionem diſtinctam ab illa, *homo eſt deſtinatus ad beatitudinem*. Nam aliundè haberi poteſt certa, et diſtincta cognitio iſtius concluſionis. At in veſtro circulari progreſſu non ita ſe res habet. Nam ſecundùm veſtram Theologiam 6.

certa et distincta cognitio fidei haberi non potest de Scripturæ authoritate, nisi per infallibilitatem Ecclesiæ perhibentis testimonium Scripturæ; et vice versa distincta cognitio fidei haberi non potest de Ecclesiæ infallibilitate, nisi per Scripturam.

Quartò, cum Scriptura demonstratur per
7. Ecclesiam, et contrà Ecclesia per Scripturam, tunc non per diversa genera causarum, (ut fit in imperfecto et materiali illo Circulo Aristotelico) sed juxta idem genus causæ credendi formatur demonstratio. Nam utrobique argumentamini ab uno et eodem genere principii fidei; videlicet à regula ad prudenter credendum necessaria. Hinc primò sequitur Circulum vestrum non esse talem, qualis est ille Aristotelicus: Secundò, Circulum vestrum esse ridiculum, et vitiosum. Nam *juxta idem genus causæ* (inquit Masius vester, loco citato) *eandemque demonstrandi rationem nullo pacto potest demonstratio in orbem observari*.

Quintò, cum dicis diversas fidei regulas
8. esse *sibi invicem causas*, vel intelligis eas esse causas mutuò se confirmantes, et illustrantes; vel intelligis eas esse causas necessariò à se invicem dependentes quoad distinctam fidei cognitionem. Si prius; vera quidem

dem est tua assertio, sed non sufficit ad vestrum Circulum à nostris argumentis vindicandum, ut patet ex iis quæ dicta sunt §. 5. hujus Capitis. Si posterius; apertè falsa, absurda, et ridicula est tua assertio, ut patet ex iis omnibus quæ hoc Capite, et præcedentibus, dicta sunt.



CAPVT VII.

Examinatur sententia Francisci Suarez, qui ut absurditatem Circuli Papistici vitaret, fateri coactus est fidem qua creditur Scripturæ authoritas niti internis ipsius Scripturæ Criteriis.



RANCISCVS SVAREZ, Disput. 5. de Fide, Sect. 2. §. 1. contra communem & receptam doctrinam de regula Fidei, quod videlicet aliqua infallibilis fidei regula sit necessaria in Ecclesia, objectiones aliquot affert, quarum secunda ab ipso sic proponitur: *Secundò, videtur talis regula esse impoßibilis, vel inutilis,* I.

quia illa regula, cum sit quid creatum, non habet ex se talem authoritatem infallibilem. Ergo, oportet vt aliundè illam habeat. Ergo, necessarium est, vt hoc ipsum de fide sit certum. Ergo, necessaria erit regula, per quam id constet: quæ igitur erit talis regula? Non enim sufficiet ipsamet, quia nemo potest de se testimonium perhibere, nec potest esse alia, quia eadem difficultas, vel interogatio de illa fiet, & sic in infinitum procedetur, vel inter ipsas regulas committetur vitiosus circulus, si sibi mutuò testimonium præbeant. Ergo, nullo modo potest intelligi vtilitas talis regulæ.

2. Ad hanc objectionem respondet ibidem §. 4. his verbis. *Ad secundum, pro nunc dicimus, regulas fidei sese mutuò juvare, & vnam alteri authoritatem conciliare, & hoc sine defectu certitudinis, quia sunt diversarum rationum, & singulæ sunt sufficienter propositæ, & omnes simul inter se collatæ faciunt quandam evidentiam credibilitatis, quod omnino sufficiant in suo genere ad confirmandam fidem, vt ex sequent*

quentibus patebit. Addi etiam potest, quod licet homo non possit de seipso testimonium ferre, DEVS tamen potest, propter suam infinitam authoritatem, & ita etiam regula fidei, quatenus est speciale organum per quod DEVS loquitur, interdum potest testimonium praebere, & in se habet aliquid peculiare ex divina providentia, & ordinatione, unde fiat evidenter credibile, talem esse regulam fidei, & divinam assistentiam habere, ut est in Scriptura, v.g. concordia Prophetiarum, cum eventibus, & sic de aliis, quae postea explicabimus.

Hæc responsio duabus partibus constat, quarum priore absurditatem Circuli Papistici palliare & tegere conatur: sed frustra. 3. Nam primò, regulæ fidei, ex Pontificiorum doctrina, non tantum *se mutuo juvant*, illustrant, & confirmant: sed etiam sibi invicem authoritatem conciliant, mutuòque sibi perhibent testimonium necessarium; ita videlicet ut hujus regulæ authoritas ab illius regulæ testimonio; & rursus illius regulæ authoritas ab hujus regulæ testimonio, necessariò pendeat. Secundò, quamvis regulæ illæ quodam respectu sint *diversarum rationum*, tamen

tamen ad idē genus principii fidei, seu causæ credendi pertinent, ut præcedente Capite monui. Tertiò, falsò asserit Suarez singulas regulas fidei esse per se sufficienter propositas à Pontificiis. Nam illi hanc regulam proponunt ut fide divina credendam propter illam; & rursus illam regulam proponunt ut fide divina credendam propter hanc. Vnde sequitur hanc regulam esse illa posteriorem creditu; & rursus illam regulam esse hac posteriorem creditu ordine naturæ, et sic idem respectu ejusdem esse prius, & posterius, notius, & ignotius.

4. Vidit procul dubio subtilissimus Suarez in priori hac suæ responsionis parte inexplicabilium difficultatum abyssum, ideoque parte posteriori veritatem nostræ sententiæ agnoscit, eamque amplectitur. Primò enim generatim dicit DEVM per ipsam fidei regulam nos certos reddere de divina & infallibili istius regulæ authoritate. Hoc necessariò dicendum est: nam alioqui, ut sæpè monui, vel progrediemur in infinitum credentes hanc regulam propter illam, & illam propter aliam, & sic in infinitum; vel in Circulum redibimus, credentes hanc regulam propter illam, & vicissim illam regulam propter hanc.

Deinde

Deinde, ſpeciatim hoc applicat Sacræ Scripturæ agnoſcens *eam in ſe habere aliquid peculiare ex divina providentia, & ordinatione; vnde fiat evidenter credibile eam eſſe regulam fidei, & divinam aſſiſtentiam habere, vt verbi gratia, concordiam Prophetiarum, cum eventibus*, de qua illîc loquitur; item, *mirabilem conſonantiam omnium librorum canonicorum inter ſe, & ſanctitatem ac puritatem doctrinæ*, de quibus loquſtur eadem Dispvtatione, Sectione 3. Paragr. 8. 5.
Meritò profectò generalem ſuam Aſſertionem de regulis fidei Sacræ Scripturæ applicavit Suarez, tum quia nulla alia regula verè divina nunc extat, tum quia (ut omnes fatentur) nulla alia regula in ſe habet tam clara, & illuſtria divinitatis indicia ac criteria: & proinde in ea potius, quam in ulla alia regula fides noſtra ſiſtere & acquieſcere debet.



Tract



TRACTATVS NONVS,

De Scripturæ authoritate.

DISPVTATIONIS PARS SECVNDA,

In qua Evangelicorum doctrina de formali fidei objecto, hoc est, de Verbi DEI Divina, & Canonica authoritate proponitur & explicatur.

QVÆSTIO I.

An fides nostra qua credimus Scripturæ Divinam, & Canonicam authoritatem, nitatur, Ecclesiæ testimonio, ut fundamento suo principali?



1. *Espondetur negativè. 1. quia Ecclesiæ testimonium, fatentibus ipsis Pontificiis, nullius assensus fidei Divinæ principale fundamentum est: vel ut planius dicam non est formalis ratio propter quam ullum fidei dogma, creditur. Ergo non est formalis ratio, aut principalis propter quam hoc dogma de Scripturæ authoritate creditur.*

Conseq

Consequentia probatione non eget: patet antecedens ex testimoniis Bellarm. Staplet. Grets. Malderi, Becan. Vasques. Cani, Valent. *& aliorum à me citatis, sect. 2. primæ partis.*

Secundò, Ecclesiæ testimonium esse merè, aut simpliciter *Divinum nondum ausi sunt Pontifici affirmare. Quomodo ergo hoc fidei principium,* Scriptura est Dei Verbum, *illo Ecclesiæ testimonio nititur? Consequentia manifestissima est, quia fides* purè Divina *nititur testimonio,* merè & simpliciter Divino. *Patet antecedens ex confessione* Bellarm. lib. 3. de verbo, cap. 10. respons. ad argumentum, 15. Staplet. lib. 1. de authoritate Script. cap. 1. §. 12. & lib. 3. ejusdem operis, cap. 12. §. 14. Gretser. in defensione, lib. 3. de verbo, colum. 1440. & in tractatu de agnoscendis Scripturis Canonicis, cap. 7. colum. 1908. Valent. tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. & Becani in Summa Theologiæ, Parte secunda, Tom. poster. Tractatu 1. Cap. 1. Quæst. 2. §. 9. *&* Cap. 8. Quest. 8. §. 8. *Hi omnes fatentur Ecclesiæ Testimonium non esse* simpliciter Divinum, *sed* suo quodam modo: *&* Becanus *apertè asserit fidem eam quæ Ecclesiæ testimonio nititur, non esse Theologicam aut Divinam, sed alterius inferioris ordinis.* Respondeo (*inquit*) si credis propter authoritatem Ecclesiæ, non est assensus fidei Theologicæ, sed alterius inferioris ordinis. 2.

Tertiò,

3. *Tertiò, si propter authoritatem Ecclesiæ Script. authoritas credenda est; sequetur* ultimam fidei resolutionem *fieri in authoritatem Ecclesiæ: nam sic in resolutione fidei* ultimum credibile *non esset*, DEVS hoc revelavit, *seu* hoc DEI Verbum est: *sed*, Ecclesia quæ infallibilis est dicit DEVM hoc revelasse, aut hoc DEI Verbum esse. *At consequens hoc est absurdum; ergo & antecedens. Major manifestissima est. Probatur minor: Primò, ratione manifestissima, quia illa imaginaria Ecclesiæ infallibilitas creditur à Pontificiis propter aliud; hoc est, propter revelationem Divinam: quia videlicet (ut illi imaginantur) DEVS in Verbo suo revelavit Ecclesiæ infallibilitatem. Ergo non est* ultimum credibile: *nam* ultimum credibile *est illud quo non datur ulterius credibile, & proinde non propter aliud, sed propter se creditur. Secundò, ex ipsorum Adversariorum confessione, qui hoc dogma, ut impium, & absurdum rejiciunt. Vide* Melchiorem Canum, Lib. 2. de Locis, CAP. 8. Pag. 46. Gregorium de Valent. Tomo 3. Disput. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 9. & Stapler. Lib. 3. de Authoritate Script. Cap. 12. §. 11.

4. *Quartò*, *si* Fides Verbi DEI, *seu Fides qua credimus verbum hoc esse verè DEI ipsius Verbum, nititur infallibili Ecclesiæ testificatione; vel decendum est fidem totius Verbi DEI, (prout sub se complectitur ex Pontificiorum sententia, tam scriptum,*

tum, quam non scriptum Verbum) *vel fidem certæ tantum alicujus partis Verbi, ea testificatione niti. At neutrum dici potest: non hoc: qua nulla idonea ratio reddi potest, cur fides unius partis Verbi Divini nitatur Ecclesiæ testimonio, potius quam fides reliquarum partium Verbi. Vnde* Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Respons. ad Argumentum 13. *generaliter loquens, de universo DEI Verbo,* Neq; enim (*inquit*) scimus certo, quid DEVS revelaverit, nisi ex Ecclesiæ testimonio. *Quam* Bellarm. *audacißimam assertionem,* Gretserus *in illum locum tuetur, & approbat. Præterea si aliquæ sunt partes Verbi DEI, quarum authoritas ab Ecclesiæ testimonio non pendet; verbi gratia, si authoritas earum partium, quæ Ecclesiæ, Pontifici, aut Conciliis generalibus infallibilitatem tribuere videntur, ab Ecclesiæ testimonio non pendet, quæritur, quo fundamento nitatur fides nostra qua istarum partium authoritatem Divinam credimus? Respondebunt fortaßis eas Scripturæ partes credi propter seipsas, quia videlicet plenè & sufficienter divinitatem suam nobis manifestant. At inquam ego, sunt aliæ, & penè infinitæ Scripturæ sententiæ non minus claræ, ac perspicuæ, immò clariores, & minus controversæ, in quibus, etiam magis insignia, Divinæ authoritatis indicia apparent. Ergo etiam illæ, credi debent propter se.*

At neque illud dici potest: hoc est, nemo potest tueri, Fidem totius Verbi DEI, niti infallibi- 5.

li Ecclesiæ testificatione. *Quia si Fides totius* Verbi Divini *infallibili Ecclesiæ testificatione nitatur, oportet Ecclesiæ testificationem infallibilem, seu Ecclesiæ infallibilitatem in testificando, à nobis credi antequam credamus ullam partem Verbi DEI esse verè Divinam, seu Divinitus revelatam: cujus consequentiæ ratio manifesta est; quia Ecclesiæ testificatio non potest esse idoneum, aut sufficiens fidei Divinæ fundamentum; quamdiu ejus infallibilitas nobis ignota est: aut quamdiu de ejus certitudine non constat. Ergo oportet,* ut de ejus certitudine constet, idque fide Divina, antequam propter ejus certitudinem, firma fide credamus aliquam partem Verbi DEI, aut totum Verbum DEI, esse Divinæ authoritatis.

6. *Hanc rationem consequentiæ istius ipsi Adversarii nostri negare non audent: tum quia ratio suadet, nullius testis asseverationem aliquid roboris aut ponderis apud nos habere posse, quamdiu de ejus veracitate non constat: tum quia* Bellarm. Lib. 4. de Verbo, Cap. 4. §. Quartò, necesse est; *et* Grets. Tractatu de Agnoscendis Scripturis Canonicis, Cap. 4. Colum. 1885. *dicunt*, Nos non posse certò credere ea vera esse quæ Scriptura dicit, nisi prius credamus Scripturam quæ ea dicit, esse infallibilem. *Pari igitur ratione nos certò credere non possumus, illud infallibiliter verum esse quod Ecclesia de Scriptura*

turæ aut Traditionis Divina autboritate dicit, nisi prius credamus, Ecclesiam quæ boc dicit, esse infallibilem.

Ex hoc consectario absurdissimo, quod, videlicet, Fides infallibilitatis Ecclesiæ præcedat fidem cujuslibet revelationis Divinæ, seu totius Verbi DEI, *pullulat et enascitur aliud consectarium, non minus, imò magis absurdum, videlicet, eum qui nondum ullius revelationis Divina, vel ut alii loquuntur, ullius partis Verbi DEI, autboritatem cognitam, et perspectam habet; posse certò scire, et credere, Ecclesiæ testimonium esse infallibile. At quo fundamento tunc nititur, ejus fides qua credit Ecclesiæ infallibilitatem? Non nititur, ulla revelatione Divina, aut aliqua parte Verbi DEI, quia is de quo loquimur nullius partis Verbi Divini autboritatem cognitam, & perspectam habet: agitur enim hîc de ea fide, infallibilitatis Ecclesiæ, quæ prior est, fide totius Verbi DEI.* 7.

At neque nititur ejus fides communibus (*ut vocant*) fidei motivis, *qualia sunt, gloria miraculorum, sanctitas vitæ, constantia Martyrum, multitudo professorum, aliaque similia. Primò, quia ista motiva probabiliter quidem indicant veram Ecclesiam, sed eam esse infallibilem non docent, nec docere possunt. Secundò, nibil est idoneum fidei Divinæ fundamentum, præter revelationem Divinam, aut DEI testimonium. Ergo probabilia illa fidei motiva, quæ sunt aliquid distinctum à revelatione Divina (ut* 8.

na (*ut omnes fatentur*) *non sunt fundamentum illius fidei qua creditur Ecclesiæ infallibilitas*. *Tertiò, ipsi Pontificii hoc agnoscunt*: Durand. 3. Sentent. Dist. 24. Quæst. 3. §. 8. *dicit hac argumenta esse petita à ratione humana*, quæ dictat ex apparentibus quod doctrina confirmata per tot signa, *&c*. Becan. in Summa, parte secunda Tom. Poster. Tractatu de Fide, Cap. 1. Quæst. 2. §. 8. *dicit hæc motiva* facere ut aliquid prudenter credi possit: non verò ut infallibiliter credi possit. Valent, Tom. 3. Disput, 1. Quæst, 1. Punct. 1. §. 8. Colum. 35. *dicit fidem quæ ex his motivis oritur*. *Primò*, non esse Divinam, seu infusam, sed acquisitam. *Secundò*, eam esse ex suo genere incertam, & fallibilem. *Tertiò*, eam ne quidem esse fundamentum fidei Christianæ.

9. *Denique hac fides infallibilittais Ecclesiæ, quæ juxta suppositionem jam factam; prior est fide totius Verbi DEI, non nititur ipsius Ecclesiæ testimonio. Primò, quia ut observavimus* §. 1. *hujus Quæstionis, testimonium Ecclesiæ non est fundamentum principale ullius assensus fidei Divinæ: Secundò, quia quamvis Ecclesia de seipsa testetur quod videlicet sit infallibilis, adhuc tamen de illo testimonio quo videlicet testatur se esse infallibilem, quæstio moveri potest; an illud Ecclesiæ testimonium, de propria sua infallibilitate, sit certum & infallibile? et unde nobis constet, illud esse tale?*

Terti

Tertiò, quia Ecclesiæ infallibilitas non creditur propter Ecclesiæ testimonium, sed contra Ecclesiæ testimonium de quacunque re creditur propter ejus infallibilitatem. Nam (ut prius monui) nos non possumus certò credere illud verum esse quod Ecclesia dicit, nisi prius credamus Ecclesiam quæ hoc dicit esse infallibilem. Gretser. Defens. Cap. 4. Lib. 4. de Verbo, Colum. 1575. *dicit,* Neminem posse fidem habere Scripturæ, quantumvis serio & asseveranter, de sua divinitate testificanti, *nisi prius credat Scripturam quæ hoc dicit* esse Divinam & infallibilem. *Ergo, pari ratione,* nemo potest fidem habere Eccl. de sua infallibilitate testificanti, nisi prius credat Ecclesiam quæ hoc testimonium dat, esse infallibilem.

Quinta & postrema, ratio nostra principalis petenda est ab Adversariorum ipsorum confeßione: illi enim ultro fatentur testimonium Ecclesiæ non esse 10. fundamentum principale, *quo nititur fides ea, qua credimus Scripturam esse DEI Verbum.* Staplet. Lib. 1. de authoritate Scripturæ, Cap. 1. §. 12. *negat Ecclesiæ testimonium esse aut solam aut præcipuam causam propter quam credimus Scripturam esse DEI Verbum.* Becanus in Tract. de Circulo Calvinistico, §. 25. 26. & 29, *dicit,* Causam formalem cur infallibiliter credimus Scripturam esse DEI Verbum, non esse Ecclesiæ testimonium, sed revelationem Divinam, aut DEI revelantis authoritatem.

 Valens

Valent. Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 10. *dicit* se credere revelationi in Scriptura factæ, non ob aliam revelationem, sed propter seipsam. *Item dicit* Ecclesiæ testimonium non esse causam propter quã credimus Scripturam esse DEI Verbum, sed esse conditionem ad hoc credendum requisitam. Gretserus Append. 2. ad Lib. 1. Bellarm. Col. 395. Itaque (*inquit*) propositio *E*cclesiæ non est ratio credendi propriè loquendo, sed est conditio, sine qua ego fide Divina nunquam crederem, hunc aut illum Librum, esse Canonicum; *et* Append. 2. ad Lib. 3. Col. 1914. Catholici (*inquit*) principaliter Scripturis fidem habent, easque ut Divinas venerantur, & suspiciunt, propter Divinam revelationem: at ob *E*cclesiæ authoritatem, non aliter, quam ob conditionem, sine qua non (*ut in Scholis appellamus*) *denique* Melchior Canus, Lib. 2. de Locis, Cap. 8. Pag. 47. Quare (*inquit*) ne mens nostra vacillet, altius petenda, quam ab hominis, vel ratione, vel authoritate, Scripturæ Divina authoritas est: *et* Pag. 51. Nec si nobis aditum præbet *E*cclesia, ad hujusmodi *Sacros* Libros cognoscendos, protenus ibi acquiescendum est, sed ultra opportet progredi, & solida DEI veritate niti.



Replicatio Turnebulli,

Quam non toti quæstioni præcedenti, sed duobus argumentis in ea propositis, videlicet 3. & 4. opposuit Capite 8. §. 10. & 11. item Cap. 12.

Punctum Primum,

De Ecclesiæ testimonio, ex

Cap. VIII.



VARTA objectio. *Si propter Ecclesiæ auctoritatem creditur Scripturæ auctoritas, sequitur ultimam Fidei resolutionem fieri in auctoritatem Ecclesiæ, nam sic ultimum credibile non esset, Deus hoc revelavit, sed Ecclesia quæ infallibilis est, dicit Deum hoc revelasse. At consequens hoc est absurdum, ergo & antecedens.* Major, inquis, *est manifestißima. Probatur minor, Quia illa imaginaria Ecclesiæ infallibilitas creditur à Pontificiis, & propter aliud, hoc est propter revelationem divinam, quia videlicet ut illi* Cap 8. §. 10. et 11.

imaginantur; Deus in verbo suo revelavit Ecclesiæ infallibilitatem. Ergo non est ultimum credibile. Unde Melchior Canus, Gregorius à Valentia, & alii Pontificii hoc ut absurdum rejiciunt.

Sed huic argumento jam satis à nobis responsum est, quando ex omnibus hactenus dictis constat non resolvi Fidem in Ecclesiam, tanquam in formale objectum Fidei, sed tanquam in universalem regulam credendi, quippe quæ proponit Prudentiæ hominis credituri, quid credere debeat, discernitq́; revelatũ à nõ revelato, ut credi possit, alioqui si sermo fiat de resolutione in rationẽ specificam assensus infusi, ea semper sistitur ultimò in auctoritate Dei revelantis, nec ulteriùs procedit, sive complexum quod creditur sit hoc, *Christi Ecclesia est infallibilis regula credendi*, sive quodvis aliud. Tuus autem error, quo fingis hanc Ecclesiæ infallibilitatem esse imaginariam, est contra Scripturas, ut satis ante probatum est, & tibi cum omnibus hæreticis communis.

11. Quinta principalis objectio fusiùs à te deducta potest ita breviter tota satis exprimi. Quando Fides verbi Dei dicitur niti infallibili testimonio Ecclesiæ, tanquam fundamento, vel intelligitur de Fide totius verbi Dei, vel de Fide alicujus tantùm partis. At neutrum potest dici. Non hoc posterius, quia eadem est ratio omnium partium, ubi de fundamento Fidei necessario agitur. Nec etiam prius, quia magno alioqui absurdo priùs oporteret credi Ecclesiæ infallibilitatem, quàm ulla pars totiùs verbi posset credi, unde præterea non minori cum absurdo sequeretur eum, qui nondum credit ullam partem verbi Dei, posse credere infallibilitatem

Eccl

Ecclesiæ, quod quàm absurdum sit ostenditur remotione omnium fundamentorum, quibus talis Fides de infallibilitate, Ecclesiæ niti possit, antequam ulla pars verbi Dei credatur.

Respondeo, Catholicam assertionem intelligendam esse de toto verbo Dei, tam scripto, quàm tradito, totius nempe Fidem fundari in auctoritate Ecclesiæ, tanquam in universali regula credendi, & proponente nobis quid credi debeat, nec hinc sequitur ullũ è duobus absurdis, quæ tu hinc videris tibi colligere, ut satis patet ex responsione jam data secundo tuo argumento, à quo quintum hoc vix distinguitur, vel enim loqueris de primò accedentibus ad Fidem, vel de fidelibus jam habitu, animique præparatione credentibus in genere omnia divinitùs revelata, sed aliqua fortè in particulari nescientibus esse revelata. Primò, accedentes ad Fidem nunquam priùs tempore credunt Fide divina, & Theologica, vel Deum esse revelatorem, remuneratorem, &c. vel Ecclesiam esse custodem divinarum revelationum, regulamq; credendi, quàm generaliter credant totam Ecclesiæ doctrinam esse veram, sed sicut uno, eodemque actu piæ voluntatis divinitùs excitatæ sibi eligunt Ecclesiam in regulam credendi omnia revelata, ita uno assensu intellectus inde imperato credunt universè Deum revelasse omnia cum veritate. Fateor ante hanc universalem animi conversionem præcedere dispositiones, quibus discuntur credenda alia priùs, alia posteriùs, & tam Ecclesia Dei, quàm Deus ipse creditur Fide humana, & inferioris ordinis. Sed quando venitur ad actum divini ordinis, quo conversio peragitur, animus simul & semel in totum, quod didicit esse credendũ, fertur efficaciter, illudq;

 pariter

pariter credit Fide divina. Alii autem Fideles, qui jam supponuntur conversi ad Fidem, debent pariter supponi conversi ad Ecclesiam, tanquam ad regulam credendi. Sed sive de his, sive de illis loquaris, videris in eo deceptus, quod non advertas discrimen inter discere quid sit credendum, & ipsum credere. Priùs illud fit successivè tam in Neophytis, & Catechumenis, quam in aliis, ut experientia docet. At posteriùs nunquam ita limitatur ad unum credibile, ut implicitè, animique præparatione non extendatur ad omnia, quæ credit Ecclesia, ut rectè declarat S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 3. Esto in explicitè creditis proficiant quotidie fideles, ut idem S. Doctor ante declaraverat quæst. 2.

PUNCTUM SECUNDUM,

De communibus fidei motivis, & speciatim de miraculis

CAP. XII.



1. NEC ille tuus error dissimulandus est, quo Sect. 7. §. 2. & quæst. 1. §. 8. videris universè supponere persuasionem de rebus credendis, quam communia motiva Fdei gignunt, esse simpliciter incertam, & fallibilem. Contra ego contendo ex se, objectoque suo esse omninò certam, & infallibilem, sive de sola credibilitate, sive de ipsa etiam veritate rerum credendarum habeatur. Nam imprimis communia motiva

motiva Fidei sunt gloria tot miraculorum impletio tot Prophetiarum; constantia tot Martyrum; augustissima majestas Ecclesiæ Christianæ orbe toto fusæ comparata cum tenebris adversarum omnium factionum & sectarum; sanctitas & integritas doctrinæ Christianæ; divinus & supernaturalis splendor internarum inspirationum, quibus & præveniuntur accedentes ad Fidem, & stantes in Fide confirmantur, & tam hi, quàm illi efficaciter moventur ad externa signa prudenter perpendenda, tanquam divinitus procurata. Persuasio autem à tot, & tantis motivis partim internis, partim externis orta, non potest dici ex se, objectoque suo fallax, vel incerta, nisi ab errore fingente Deum posse signis mendacibus homines ad se allicere; vel negante quod affirmat Scriptura, omne Dei testimonium esse fidele, & sapientiam dare parvulis.

Vnde Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine*, inquit, *si error est, quem credimus, à te decepti sumus. Hæc enim nobis iis signis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.*

Præterea persuasio proximè, per se, & non per accidens, obligans totam Ecclesiam ad credendum ex Fide Divina non potest esse incerta, & fallax. 2.
At talis est persuasio, ad quam fundandam per se ordinantur communia motiva Fidei. Ergo, &c. Major probatur. Quia ultimum complementum divinæ Legis hominem ad supernaturalem assensum obligantis, debet esse paris cum ipsa Dei Lege certitudinis & firmitatis. Lex enim Domini tota tam quoad initium, quàm quoad complementum, est immaculata convertens animas, & omne testimonium Dei fidele sapientiam præstans parvulis, ut

patet

patet Psalm. 18. Persuasio autē proxime & per se, & non per accidens, obligans ad credendum, est tale complementum, taleque testimonium. Est enim ipsa ratio proximè intimans singulis supernaturalem Legem credendi. Vnde nisi nitatur regulâ pariter infallibili, non potest quemlibet obligare ad tantam certitudinem assensus, quanta debetur præcepto Fidei divinæ. Minor patet ex terminis. Cum enim in rebus à Deo revelatis credendis, duplex distinguatur assensus, alter in solam earum credibilitatem, quo res taliter propositæ priusquam credantur, prudenter judicantur credibiles, posseque vel debere credi; alter in ipsarum earumdem veritatem, qui vocatur credere ob auctoritatem revelantis. Communia motiva Fidei fundant proximè priorem illum assensum prudentis credibilitatis, qui sicut pręcedit piam voluntatem credendi ita intimat obligationem divinæ Legis ad credendum.

3. Tertiò, Vnanimi consensu fatentur nostri Theologi, quod & ex Scripturis convincitur res Fidei nostræ spectatis omnibus, quibus eas Deus confirmavit, esse evidenter credibiles evidentiâ practicâ, & morali, quæ sufficit ad arguendos apertæ imprudentiæ non credentes post proposita illis communia motiva Fidei. (Hoc enim ad minimum sensu Psal. 92. dixit Regius Propheta, *Testimonia DEI esse credibilia nimis*, ubi licet sermo ad literam sit de primo mundi opificio, rerumque ordine per Moysen descripto, sicut & de signis, quibus Deus confirmavit Propheticam Moysis descriptionem; fateri tamen oportet non minori jure idem dici posse de veritate pręducationis Evangelicæ, tot signis & portentis à Christo, & Apostolis confirmatæ.) At

cum tali & tanta evidentia signorum in divino præcepto credendi hominibus proponendo, non potest stare moralis dubitatio de vi, & veritate obligationis. Iudicium ergo in tali evidentia fundatum, est omninò certum, & infallibile.

Dicet fortè quispiam, Licet cum evidentia credibilitatis nequeat stare dubitatio credibilitatis, posse tamen stare dubitationem de ipsa rerum non apparentium veritate. Cùm enim hæc veritas non fiat ex communibus Fidei motivis evidens, sed his non obstantibus maneat in se occulta, non cogitur intellectus advertens communia motiva Fidei ad assensum præbendum ipsi rerum veritati, sed soli earum credibilitati. 4.

Vnde sicut in rebus humanis ab humana, v.g. testium auctoritate in publico judicio pendentibus, falsa quandoque fiunt credibiliora veris latentibus, immò evidenter credibilia, ut patet in Iudice debente secundum allegata & probata ferre sententiam; Quidni etiam in rebus divina Fide credi debitis potest mens hominis advertentis credibilitatem obligationemque credendi, dubitare de ipsa eorum veritate?

Respondeo. Licet sola evidentia credibilitatis non expellat formaliter formidinem oppositam certitudini latentis veritatis, nec per se, proximeq; cogat intellectum ad assentiendum eidem veritati, ut objectio bene probat. Expellit tamen formaliter dubitationem de supernaturali obligatione credendi. Quatenus autem obligat ad certũ, & indubitatum assensum præbendum rebus propositis, pariter etiam obligat ad omnem contrariam dubitationem, & formidinem expellendam. Cæterum ex hac obligatione tanquam principio taliter 5.

per

per motiva Fidei præcognito, & prudenter, liberè tamen perpenso per Theologicum postea, vel Catechisticum discursum deducitur veritas rerum alioqui non apparentium, assumendo aliud principium, vel ex Philosophia notum, quo constat divina Lege per se loquendo, neminem posse obligari ad assensum Fidei divinæ præbendum ulli falsitati. Vnde assensus qui vi talis discursus præbetur ipsi rerū latentium veritati est ex se certus, & infallibilis, & ex motivis Fidei consequens, quamvis inferior eo, quem postea Theologica Fides præbet ex immediato imperio piæ voluntatis eidem veritati ob auctoritatem revelantis. Nec est simile, quod opponitur de obligatione humani Iudicis ad credendum, quod per testes probatur, licet sæpe reipsa falsum. Quia obligatio hæc humani Iudicis non est ad speculativam dubitationem de sinceritate testium ab animo suo expellendam, sed duntaxat ad practicam conformitatem externæ sententiæ cum publicis probationibus præcisam à latente veritate fortasse per iniquos testes adulterata vel negata.

6. Postremò contra te argumentor ex proprio fine doni miraculorum dati primùm Prophetis veteris Testamenti, tum Apostolis novi Testamenti ad missionem suam populo, cui prædicarunt, monstrandam tanquam legitimam, & à Deo, ut patet in miraculis Moysis Exod. 4. in eum finem factis, ut crederent Israelitæ Dominum apparuisse Moysi, & eumdem misisse. Quam ob causam passim in Scripturis miracula vocantur signa, quia nempe spectatoribus notificant primùm divinam missionem facientis, tum veritatem à misso promulgatam.

Vnde 2. Corinth. 12. *Signa*, inquit, *Apostolatus mei*

mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus. Et Marci ultim. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hebr. 2. prædicatio Evangelii dicitur *in nos confirmata contestante* Deo *signis, & prodigiis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.*

Certè miracula non fuissent huic fini apta media, si ex se persuasionem tantùm genuissent incertam & fallibilem, ut tu fingis, nec obligassent spectatores ad credendum Fide divina. Nec enim rationabilis obligatio credendi aliquid summa certitudine fundari potest in signo fallibili, vel in persuasione incerta ex hujusmodi signa per conjecturam incertam deducta. Vnde sicut Christus quando Ioan. 10. *Si non facio,* inquit, *opera patris mei, nolite credere mihi.* Et Ioan. 15. *Si opera,* inquit, *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Supposuit ex miraculis a se patratis colligi potuisse à Iudæis certissimam persuasionem tum de credibilitate, tum de veritate suæ prædicationis, nisi perversis illi affectibus excœcati restitissent Spiritui sancto. Pari modo nos possumus supponere non tantùm de omnibus, qui visis signis Apostolorum sua nova culpa credere noluerunt, sed etiam de omnibus hodie Sectariis, qui non obstante gloria miraculorum tum veterum, quibus incœpit, tum recentiorum, quibus per singula sæcula noviter confirmat Deus veritatem Ecclesiæ suæ visibilis, sese ab hac unitate separarunt.

Confirmari potest, & illustrari hoc argumentum distinguendo duplicem persuasionem à muliere illa 7.

3. Reg.

3. Reg. 17. formatam de Propheta Elia, unam priusquam miraculo recipisset filium à mortuis, fundatam utpote in viri probitate, moribusque externis, tanquam in signo tantùm probabili; alteram post redivivum filium, quando non amplius timide opinans, sed cum omni certitudine credens dixit: *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Vbi patet in miraculo tanquam signo ex se certo fundatam fuisse certitudinem posterioris illius persuasionis priore longè perfectioris.

8. Video à te in tui erroris patrocinium allegari è nostris Durandum, Becanum, Gregorium à Valentia, sed magna sapientissimorum virorum injuria, qui nihil minus intenderunt, quam quod tu illis affingis. Et Durandus quidem loco à te citato 3. sent. dist. 24. quæst. 3. n. 8. postquam dixisset Ecclesiam regi à Spiritu sancto, ut non decipiatur in Fide hoc sensu interpretatus illud Luc. 23. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Mox subdit, *Ad hoc autem clarè, & concorditer concurrit ratio humana, quæ dictat ex apparentibus, quod doctrina confirmata per tot signa, conservata à Martyribus inter tot supplicia sit vera, &c.* Vbi perperam tu particula *ex apparentibus*, putas à Durando intelligi nudam speciem probabilitatis topicæ destitutam omni certitudine medii ex se infallibilis; quasi miracula tibi sint signa in speciem probabilia, sed simpliciter incerta. Sensum certè hunc exclusit Durandus adverbio clarè. Vbi enim est qualiscumque claritas, & evidentia, non potest deesse certitudo ejusdem generis, licet vicissim certitudo esse possit sine claritate,

tate. Sensus ergo Durandi est, quem ipsemet explicat opponens signa visibilia rebus invisibilibus ex divina revelatione credendis, quæ propter obscuritatem latentis in se veritatis dicuntur non apparentes, nequaquam tuo sensu, id est, improbabiles, vel incredibiles. Sensus enim hic absurdior est, quàm ut refutari debeat, sed duntaxat quia sensibus & principiis Philosophicis absconduntur, quibus alioqui miracula, & alia similia signa sunt obvia. Quo sensu ipsa Fides Hebr. 11. dicitur *non apparentium*. Nec tibi favet Durandus, quando rationem hanc ex visibilibus signis rerum invisibilium petitam, quam Fides supponit præviam, negat esse demonstrativã: loquitur enim de dèmonstratione physica, quæ per locum intriusecum se sola convincit intellectum: demonstrationem verò Theologicam vel Catechisticam ex medio extrinseco, & morali liberè quidem perpenso, & persuaso ex se tamen infallibili non negat Durandus, sed potius supponit.

Non minus longè aberras à mente Becani, & Gregorii à Valentia. Nam Becanus non negat quod tu fingis eum negare, communia motiva Fidei facere, ut aliquid infallibiliter credi possit, in actu saltem exercito, sed duntaxat postquam distinxit duplex judicium de credibilitate rerum revelatarum, alterum priorem assensu Fidei divinæ, propriumque prævia prudentiæ, alterum ab ipsa Fide divina elicitum ex Dei auctoritate, consequenter duplicem distinguit credibilitatem objecti materialis, alteram prævia prudentiæ præsentatam per miracula, & alia motiva; alteram verò, quæ ab ipsa Fide attingitur tanquam in actu signato jam infallibilis ex Dei testantis auctoritate.

Gregorius à Valentia non loquitur universè, nec sensu à te apprehenso, quasi persuasio ex omnibus simul motivis, vel eorum præcipuis sit ex se incerta, sed duntaxat in casu particulari, quo per accidens ratione subjecti quandoque contingit, ut quis ad Fidem accedens ex prævia persuasione timida, & probabiliter opinativa formata de particulari aliquo motivo Fidei, prudenter moveatur ad volendum credere fide divina, priusquam totam vim persuasivam præcipuorum signorũ Fidei percipiat. Sicut enim in humanis disciplinis sæpe contingit, ut quis conclusioni ex se demonstratæ, atque scibili assensum præbeat tantum opinativum, & timidum, sive quia medium ex se alioqui demonstrativum propter ingenii tarditatem non penetrat, sive quia medio alio quam demonstrativo nititur, ita etiam in addiscendis rebus Fidei frequenter contingit, ut quis ad Fidem accedens fundet præviam suam prudentiam in opinione, quam præconcipit de sapientia & probitate immediati preconis, indeque moveatur ad volendum credere Fide certissima. Verum non hinc sequitur omnem persuasionem, quam præcipua motiva Fidei sunt apta ex se gignere, esse taliter incertam, & fallibilem.

Nec enim hinc infirmatur vis & necessitas consequentiæ in discursu Catechistico, vel Theologico paulò ante declarato, per quem quivis mediocriter instructus, & erga ea quæ Dei sunt, affectus potest ex præcipuis motivis Fidei deducere persuasionem penitus certam, & infallibilem, ut probatum est.

AVCTO-

AUCTORIS DUPLICATIO.

PUNCTUM PRIMUM.

An propter Ecclesiæ testimonium credi debeat Sacræ Scripturæ authoritas?



QVinque argumenta in medium attuli Disput. Part. 2. Quæst. 1. ad confutandam eorum sententiam qui docent Ecclesiæ testimonium esse principale fundamentum illius fidei qua creditur Sacræ Scripturæ authoritas. Ex his, tu tribus prætermissis, duo solummodo, videlicet tertium & quartum, vellicare ausus es. Quod quam feliciter præstiteris nunc videbimus. 1.

Tertium nostrum argumentum, quod apud te est quarta objectio (confundis enim argumenta à me proposita Part. 2. Quæst. 1. cum ijs quæ à me allata sunt Part. 1. Sect. 7.) concludebat Ecclesiæ testimonium non esse fundamentum principale illius fidei qua cre- 2.

ditur Scripturæ authoritas, quia inde sequeretur vltimam resolutionem fidei fieri in authoritatem Ecclesiæ. Respondes fidem vestram non resolvi in Ecclesiam tanquam in formale objectum fidei, sed tanquam in vniversalem regulam credendi, qua discernitis id quod verè est Verbum DEI, ab eo quod non est DEI Verbum.

3. Hoc tuum effugium jam sæpius est à me confutatum; præsertim Tract. 4. Cap. 2. §. 4. vbi probavi Ecclesiæ testimonium ex communi vestrorum Theologorum sententia esse formale fidei objectum, quia revelatio divina ex communi eorundem sententia est formale fidei objectum. Ecclesiæ enim testimonium vobis est revelatio divina, seu Verbum DEI. Ergo Ecclesiæ testimonium ex vestra sententia est formale fidei objectum. Videat lector ea quæ me dicta sunt Tractatu præcedenti Cap. 1. vbi ex tuis etiam verbis probavi Ecclesiæ testimonium esse formale fidei objectum.

4. Quarto argumento, quod tibi est quinta objectio principalis, (tria enim reliqua argumenta à me proposita Quæst. 1. tanquam *objectiones minus principales* data opera transilis) probabam fidem totius Verbi Divini non niti authoritate Ecclesiæ; quia inde sequeretur Ecclesiæ authoritatē à nobis credi

di debere prius, saltem ordine naturæ, quam credamus ullam partem Verbi DEI esse verè divinam, seu divinitus revelatam. Hoc autem esse impossibile ex eo demonstravi, quod nullum fundamentum assignari possit quo nitatur fides illa de infallibilitate Ecclesiæ quæ præcedit fidem totius Verbi Divini. Hoc argumentum eludere conaris repetendo tuum delirium *de simultate credendi*, hoc est, asserendo Ecclesiæ infallibilitatem, Verbi DEI authoritatem, & omnia materialia fidei objecta *simul, & semel* credi ab ijs qui incipiunt credere. Sed hoc effugium tibi eripui Tract. 6. qui est *de ordine credendi*: & proinde jam constringeris inevitabili necessitate respondendi ad quæstionem à me propositam de fundamento illius fidei qua creditur Ecclesiæ infallibilitas antequam ulla pars Verbi Divini credatur. Prodi igitur gloriose miles ex tuo latibulo, nam formidabilem illam quæstionem amplius defugere non potes. Qui pleniorem hujus responsionis confutationem desiderat legat Cap. 22. quinti Tract. & Cap. 5. sexti Tractatus.

Punct

PVNCTVM SECVNDVM.

An disputatio Turnebulli de Motivis fidei sit hîc necessaria? An sit plena & perfecta? An denique doctrina in ea tradita sit sana, & orthodoxa?

1. E hac tua disputatione qua probare conaris, *praviam persuasionem quam communia motiva fidei gignunt, ex se, objectóque suo esse certam, & infallibilem*, tria dico: Primò, assero eam non esse plenam & perfectam; idque quia loco à te citato, videlicet Part. 2. Quæst. 1. §. 8. tribus argumentis demonstravi communia fidei motiva non posse proximè fundare illam fidem infallibilitatis Ecclesiasticæ, quæ præcedit fidem totius Verbi Divini. Tu duo priora silentiò involvens, solum tertium sugillas & insectaris. Hæc igitur tua disputatio de prævia illa persuasione quæ communibus fidei motivis nititur, parum, aut nihil tuam causam juvat. Quamvis enim tertio illo argumento cederem, & faterer persuasionem quam gign

gignunt communia fidei motiva esse certam & infallibilem; adhuc tamen mea positio de communibus fidei motivis, qua videlicet assero *infallibilitatem Ecclesiæ non posse propter ea credi fide divina*, firma, & inconcussa maneret: quia videlicet munita est duabus rationibus illîc propositis ad quas tu nondum respondere ausus es; et nunc Tract. 7. Cap. 5. quatuor aliis argumentis confirmata est.

Secundò, dico eam non esse hîc necessariam; nam locis à te citatis non tam meam quam vestrorum Theologorum sententiam de communibus fidei motivis proposui. Dixi enim Part. 1. Sect. 7. persuasionem quæ communibus fidei motivis nititur *fatentibus ipsis Adversariis*, seu ex Adversariorum confesssione, esse incertam & fallibilem. Et ne gratis hoc asserere viderer in meæ assertionis confirmationem allegavi Durandum, Becanum, & Valentianum, Parte 2. Quæst. 1. §. 8. 2.

Dicis id à me factum esse *magna sapientissimorum virorum injuria, eósque nihil minus intendisse, quam quod ego illis affingo*. At certè eorum scripta testantur eos apertè profiteri illam sententiam quam ipsis ascribo. 3.

 Et

4. Et primò quidem quod ad Durandum attinet, non tantum negat rationem à communibus fidei motivis petitam ad confirmandam veritatem religionis Christianæ esse *demonstrationem Physicam*, ut tu nimis impudenter asseris §. 8. Capitis 12. sed generaliter negat eam esse *demonstrativam*, & disertè asserit eam esse *probabilem*, seu *topicam*. *Ratio* (inquit) *inducta pro fide, & praecedens fidem, aut est demonstrativa, & tunc totaliter tollitur meritum fidei, quia tollit libertatem, & inducit necessitatem assentiendi, tollit etiam necessitatem fidei, quia sciens demonstrativè DEVM esse vnum non indiget fide ad hoc credendum.* - - - - - - - - - - - - - - *Si verò ratio non sit demonstrativa, sed solùm* probabilis & persuasiva, *& accipiatur vt talis, sic non tollit meritum fidei, nec minuit.* Hæc ille Lib. 3. Sentent. Distinct. 24. Quæst. 3. §. 9. Idem etiam §. 5. istius Quæstionis, rationes a communibus fidei motivis petitas ad suadendam Religionis Christianæ credibilitatem, *quasdam probabilitates* vocat: *Quamvis* (inquit) *ea quæ propriè sunt fidei sint supra rationem, ita vt ad ea non possit* ratio demonst

demonstrativa; vel omnino efficax *adduci, non sunt tamen sic supra rationem quin possint per* aliquas probabilitates *declarari*. Perpende, mi Turnebulle, hæc verba Durandi, & tua mendacia, ac fraudes 5.
erubesce, si quid tibi frontis, aut pudoris est.

Nec minus longè aberras à mente Becani, & Valentiani. Nam Becanus loco à me citato, non tantum distinguit duplex judicium de credibilitate rerum revelatarum, & consequenter duplicem credibilitatem objecti materialis Fidei, ut tu ais; sed etiam judicium fidei à judicio præviæ prudentiæ distinguens, judicio fidei hoc tanquam quid ei proprium, & peculiare ascribit, quod eo judicemus, *hoc objectum infallibiliter credi posse*. Ergo non putavit hoc competere judicio præviæ prudentiæ, hoc est, non tecum putavit judicium præviæ prudentiæ esse judicium evidens, & infallibile de obligatione divinæ legis ad credendum, & de veritate rerum credendarum. Manifestum igitur est discrimen inter tuam, & illius sententiam. Ille enim ex communibus motivis fidei hanc solam persuasionem colligi posse putat, *Iudico hoc prudenter credi posse*. Tu verò ex iis illam ipsam persuasionem colligis (ut patebit ex puncto sequenti) quam Becanus fidei divinæ

attribuit, viz. *Iudico hoc infallibiliter tredi posse, & debere.*

6. Præterea, ut magis de mente Becani constet consulat lector caput 8. illius libri. Ibi enim quæstione 5. §. 5. dicit; *intellectum non determinari sufficienter per motiva fidei, ut credat mysteria religionis Christianæ esse vera.* Ergo non tecum putavit infallibilem, & evidentem persuasionem de veritate dogmatum fidei ex motivis communibus haberi posse. Nam ubi talis persuasio habetur, ibi intellectus efficaciter ad assentiendum determinatur. Ibidem etiam dicit evidentiam quam ex communibus motivis habemus de credibilitate dogmatum fidei esse similem evidentiæ quam quis habet de credibilitate duarum opinionum contrariarum quando ei ita proponuntur, ut ambæ magnorum virorum authoritate & plausibilibus argumentis confirmentur. *Tunc enim* (inquit) *intellectus ejus propter ejusmodi motiva, evidenter cognoscit utramq; opinionem esse probabilem, & credibilem* (ecce pro eodem accipit probabile, & credibile) *& tamen ex eo non potest determinatè judicare, hanc esse veram, & illam esse falsam, sed quasi suspensus hæret.* Perceptis igitur motivis

fidei intellectus, ex Becani sententia, suspensus hæret, nec potest determinate judicare doctrinam quam profitetur Ecclesia esse veram, & necessariò credendam, sed tantum esse probabilem, seu credibilem.

Gregorius de Valentia loquitur universè, & generatim affirmat persuasionem quæ ex cōmunib⁹ fidei motivis habetur esse ex se suoq; genere incertam & fallibilem. *Tertiò* (inquit) *potest ex dictis intelligi non esse absurdum quod quis fide acquisita ex motivis ad credendum inducatur,* quamvis fides hujusmodi sit ex suo genere incerta, & fallibilis. *Ratio est: Nam hujusmodi cognitio fidei acquisitæ non est fundamentum fidei Christianæ secundum se, sed ratio duntaxat ob quam amplectimur fidē. Nullum autē absurdū est, ut homo ratione, aut fundamento alioqui fallibili prudenter inducatur ad aliquid faciendum, atque adeo ad fidem amplectendam secundum se infallibilem: is enim est consuetus modus actionum humanarum.* 7.

Præterea quæ fuerit Valentiani sententia patet ex aliis ejus dictis: Nam eodem Tomo Disput. 1. quæst. 1. puncto 4. §. 4. Col. 69. dicit evidentiam propriè dictam de credibilitate 8.

litate fidei haberi ex argumentis probabilibus. *Quare* (inquit) *ad eam Minorem astruendam opus non erit evidentia argumenta adferre pro fide nostra. Satis erit si probabilia, aut ex historia, aut ex auctoritate humana attulerimus. Nam evidens est etiam argumenta probabilia esse gravia, & fide digna apud homines.* Item ibidem Col. 95. dicit, *Motiva fidei non cogere ut assentiamur* Et quæst. 2. punct. 7. Col. 316. dicit motiva fidei *non convincere, nec demonstrare ipsam fidei veritatem.*

9. Tertiò dico tuam sententiam quam hic tueris esse variis, iisque non levibus difficultatibus, imò incommodis, & absurditatibus obnoxiam. Hujus assertionis veritas patebit ex duobus punctis sequentibus.



PUNCTUM TERTIUM.

Turnebulli sententia de persuasione quam communia fidei motiva gignunt quinque assertionibus explicatur.



VAM sententiam quatuor assertionibus comprehendam: prima est hæc. *Ex communibus fidei motivis habetur infallibilis certitudo de obligatione credendi*: Hoc est, certò, & infallibiliter ex motivis fidei scire possumus, quod ea dogmata quæ à Pastoribus Ecclesiæ proponũtur, à nobis fide divina credi, & possint, & debeant. Hanc assertionẽ satis apertè, & directè proponis cum dicis §.5. evidentiam credibilitatis quæ ex motivis fidei oritur, *expellere formaliter dubitationem de supernaturali obligatione credendi.* 1.

Secunda assertio: *Ex hac certitudine de obligatione credendi nascitur alia non minus infallibilis de veritate ipsarum rerum credendarum.* Hoc est, sicut ex motivis fidei percipimus dogmata quæ proponuntur esse credenda, ita etiam ex iisdem certò, & infallibiliter colligimus ea esse vera. Hanc assertionem manifestè lectori exhibes illis verbis: *Cæterum ex hac obligatione tanquam principio taliter per motiva fidei recognito, & prudenter, liberè tamen expenso per Theologicum postea, vel Catechist* 2.

techisticum discursum deducitur veritas rerum alioqui non apparentium assumendo aliud principium vel ex Philosophia notum, quo constat divina lege per se loquendo, neminem posse obligari ad assensum fidei divinæ præbendum ulli falsitati. Quasi diceres; Quicquid fide divina credi debet, verum est. At ex motivis fidei evidenter percipimus hæc, & illa dogmata credenda esse fide divina. Ergo ex iisdem etiam evidenter colligimus ea esse vera.

3. Tertio assertio: Non solum prior illa persuasio quæ est *de credibilitate doctrinæ Christianæ*, sed etiam illa altera quæ est *de veritate ipsarum rerum credendarum*, est judicium evidens, hoc est, intellectus qui illud judicium elicit convincitur ad præbendum assensum, ita ut non indigeat imperio voluntatis. Priorem enim persuasionem hoc syllogismo colligitis: *Doctrina multis & efficacibus motivis seu argumentis confirmata necessariò est credenda. At talis est doctrina religionis Christianæ. Ergo ea est necessariò credenda.* Posteriorem verò hoc syllogismo stabilitis. *Doctrina necessariò credenda est vera. At talis est doctrina religionis Christianæ. Ergo est vera.* In

utroque

utroque hoc syllogismo præmissæ sunt, ex tua sententia, naturaliter evidentes: & per consequens conclusiones quæ ex iis inferuntur etiam evidentes sunt. Nam ubi tota ratio formalis propter quam assentimur alicui conclusioni est evidens, assensus qui isti conclusioni præbetur necessariò est evidens, ut rectè observat Becanus, Tract. de Fide, Cap. 1. quæst. 3. §, 8. & 13.

Quarta assertio. Vtrumque hoc judicium est naturale secundum substantiam suam, & elici potest naturali discursu & lumine intellectus cum generali auxilio & concursu Dei. Hæc assertio non à te directè proponitur, attamen ex præcedentibus assertionibus & earum confirmationibus manifestè colligitur. Judicium enim illud quod fundatur in humano discursu; & in principiis humano modo cognitis, est judicium naturale, ut sæpiùs docet Suarez, Dispur. 4. de fide, Sect. 6. & Disput. 6. Sect. 8. At tale est utrumque illud judicium de quo hîc agimus, ut patet ex confirmatione assertionis præcedentis. Ergo utrumque est judicium naturale. Præterea, vestri Theologi, ut v. g. Suarez locis citatis, et Becanus Tract. de fide, Cap. 8. quæst, 6. §. 3. docent prius illud judicium esse naturale, seu *solis naturæ viribus haberi posse*. Ergo etiam dicendum est posterius judicium

judicium esse naturale: quia viz. id etiam habetur per naturalem discursum, et ex principiis naturaliter, ac evidenter cognitis.

5. Quinta assertio: Solis naturæ viribus absq; auxilio speciali haberi potest, et ordinariè habetur infallibilis, et evidens certitudo de veritate omnium Articulorum fidei. Hanc etiam assertionem, quamvis directè eam non proponis, meritò tibi ascribo: idque quia ex fundamentis à te positis ea necessariò colligitur, ut patet ex omnibus assertionibus præcedentibus, præcipuè vero ex assertione 2. et 4.

PVNCTVM QVARTVM.

Confutatur sententia capite præcedente proposita.



1. DOCTRINA jam proposita et explicata de infallibilitate, et evidentia istius persuasionis quam communia fidei motiva gignunt, ex Scholis Theologicis, explodenda est. Primò enim ex ea sequitur fidem divinam esse tantum eorum quæ *videntur*, hoc est, eorum quæ demonstrativè

ſtrativè cognoſcuntur; imò hanc *demonſtrabilitatem*, et evidentiam cognitionis eſſe conditionem neceſſariò requiſitam in objecto fidei. At hoc non ſolum eſt novum, et antehac inauditum in Theologia, ſed etiam adverſari videtur Apoſtolo dicenti, *Fidem eſſe argumentum rerum non apparentium*. Ergo &c. Ratio propoſitionis eſt, quia *credibilitas*, ſeu eſſe quid prudenter credibile, eſt conditio neceſſariò requiſita in objecto fidei. At, ex te, ea ſola dogmata ſunt credibilia, ſeu prudenter credi poſſunt de quibus evidentem, & infallibilem perſuaſionem ex motivis fidei habemus quod credi poſſint, & debeant, atque adeo quod vera ſint.

Secundò, ex ea etiam ſequitur actum ſcientiæ, ſeu evidentis cognitionis non ſolum ſtare poſſe cum actu fidei, ſed etiam eſſe neceſſariò & inſeparabiliter cum eo conjunctum; quod etiam novum eſt, & nunquam antehac auditum. Ratio eſt, quia cum actu fidei quo aliquod dogma creditur neceſſariò conjuncta eſt voluntas credendi: & cum voluntate credendi neceſſariò, ex tua ſententia, conjuncta eſt evidens, & infallibilis perſuaſio, atque adeo ſcientia de veritate iſtius dogmatis. Ergo, a primo ad ultimum, cum actu fidei neceſſariò conjunctus eſt actus ſcientiæ. Hoc conſequens, non ſolum in ſe 2.

absurdum est, sed etiam majori Theologorum Pontificiorum parti absurdum videbitur. Nam ut testatur Smiglecius in sua Logica parte 2. Disput. 16. quæst. 14. *Theologorum, imò & sanctorum Patrum communis sententia est, non posse actum fidei stare cum scientia.* Si autem illi negant hos actus esse compossibiles, proculdubiò multò magis negabunt eos esse necessariò, & inseparabiliter conjunctos.

3. Tertiò, per hanc doctrinam extenuatur necessitas gratiæ ad credendum requisitæ, et nimium tribuitur viribus naturæ. Primò enim quid opus est auxilio gratiæ ad assentiendũ dogmatis fidei, ubi homines lumine naturæ percipiunt ea esse necessario credenda, atq; adeo esse vera, idque tam evidenter ut intellectus convincatur, et necessitetur ad assentiendũ. Secundò, si homo lumine naturæ certò et evidenter scire potest, ea quæ à Pastoribus Ecclesiæ proponuntur esse credenda, atque adeo esse vera, poterit etiam firmiter iis assentiri naturæ viribus, seu absque illuminatione, et inspiratione Spiritus sancti. At posterius est absurdum, et directè contradicit Canoni 7. Concilii Arausicani, quo definitum est, *Hominem non posse consentire prædicationi salutari absq; illuminatione & inspiratione Spiritus sancti.* Ergo etiam anbsrdum est

prius. Ratio propositionis est, quia non solū possibile est intellectum assentire objecto sic evidenter cognito, sed etiam impossibile est eum dissentire, ut omnes fatentur. Tertiò, Quicquid intellectus solo lumine naturæ judicat esse utile, aut necessarium, id voluntas per solas naturæ vires potest appetere. At intellectus solo lumine naturali, ex tua sentētia, judicat esse utile, imò necessarium credere dogmata fidei Christianæ, idque *fide divina* ut docet Suarez, Disp. 4. de fide, Sect. 5. §. 2. Ergo, voluntas potest hoc velle: id est, potest appetere, talem actum credendi. Hæc conclusio evidenter ex tua doctrina colligitur, ut patet ex isto argumento; attamen non audes ut opinor eam tueri. Nam in Concilio Arausicano, Canone 5. definitum est (ut fatentur Vasquez in 1. 2. Disp. 186. Cap. 2. Becanus Tract. de fide, Cap. 8. quæst. 5. Bellarm. Lib. 6. de Gratia, Cap. 2. et alii) non solum ipsum fidei divinæ actum, sed etiam voluntatem, seu affectum credendi esse *Donum gratiæ*, et nobis inesse per inspirationem Spiritus sancti.

Quartò, per hanc tuam doctrinam manifestè tollitur ea libertas quam vestri Theologi in actu credendi requirunt. Nam cum veritas aliqua ita proponitur intellectui, ut intellectus convincatur, et ad assentiendum necessitetur 4.

cessitetur vi argumentorum quibus ea confirmatur, tunc manifestè excluditur libertas assentiendi. At, ex tua sententia, sic proponi possunt, et debent veritates fidei: hoc est, debent dogmata fidei proponi cum suis *motivis*, ex quibus certò et evidenter percipimus ea esse necessariò credenda, atque adeo esse vera. Ergo, assensus fidei non est liber, et voluntarius: quia viz. cum intellectus elicit actum fidei, non potest dissentire; Quomodo enim potest quis iis dissentire de quibus *evidenter* scit quod sint vera, & credenda fide divina, *tanquam dicta à DEO*, ut loquitur Suarez loco citato. Nec satisfacit quod illîc dicit hic author, viz. voluntatem posse efficere ut intellectus dissentiat Articulis fidei, idque *avertendo intellectum ab actuali judicio credibilliatis*, seu à consideratione eorum motivorum quæ evidenter demõstrant articulos illos esse credendos. Primò enim impossibile est intellectum iis Articulis dissentire quorum veritatem non solum certò, sed etiam evidenter ex motivis fidei percipit: nam ut rectè docet Ruvius, quæst. 8. in 1. cap. 1. Poster. *Sicut voluntas non potest odio prosequi bonum, ut bonum sibi repræsentatum: ita intellectus non potest dissentire vero, ac necessario, ut*

tali

tali sibi proposito. Secundò, ex eo quod voluntas potest avertere intellectum ab actuali consideratione motivorum, non sequitur assensum fidei esse liberum quoad *specificationem*, sed tantum quoad *exercitium*: hoc est, non sequitur voluntatem posse efficere ut intellectus dissentiat articulis fidei, sed tantum ut assensum suspendat & ad tempus cohibeat. Sic Ruvius loco citato, & Conimbricenses in 1. Poster. Cap. 1. quæst. 4. Art. 4. dicunt, *intellectum positis assensibus præmissarum posse suspendere assensum conclusionis voluntate eum divertente ab actuali consideratione præmissarum ad operandum circa aliud objectum.* At nihilominus docent hi Autores, & communis Philosophorum sententia est, assensum qui præbetur conclusioni, habitis assensibus præmissarum, non esse liberum *quoad specificationem*, sed *quoad exercitium* tantum. Erit igitur assensus fidei, ex isto fundamento Suarezii, liber quoad *exercitium* tantum, & non quoad *specificationem*; quod tamen esse falsum ipse docet, Disput. 6. de Fide, Sect. 6. §. 5.

Quintò, ex hac tua doctrina, sequitur infallibilem Ecclesiæ propositionem non esse 5.

necessariam ad certitudinem fidei nostræ. Possumus enim ex motivis fidei, seclusa Ecclesiæ testificatione, certam, & infallibilem, imò evidentem persuasionem habere de veritate dogmatum fidei: & per consequens possumus sine ea cautè, & prudenter credere. Malè igitur dixisti, cap. 3. §. 6. Ecclesiæ testimonium *esse regulam prudenti necessariam, ut cautè, non temerè, ut religiosè, non superstitiose velit, possitque quis credere.*



Pvnctvm Qvintvm.

Expenduntur objectiones Adversarii.

1. 

RIMA tua objectio adversus assertionem à me propositam de Motivis fidei est hujusmodi. Si persuasio à tot, & tantis motivis partim internis, partim externis orta sit incerta, sequetur Deum homines ad se allicere *signis mendacibus*. At absurdum est hoc. Ergo & illud. Respondeo vitiosam & ineptam esse connexionē illam majoris propositionis. Primo

mò enim argumenta, & motiva probabilia ineptè dicuntur *signa mendacia*. Dialecticus utitur medio probabili, non tamen dicitur uti medio mendaci, aut fallaci. Alii aliis motivis ad credendum inducuntur, ut notat valent. Tom. 3. Dispur. 1. quæst. 1, punct. 1. §. 8, & quidam iis motivis alliciuntur quæ nihil ferè certitudinis hominibus adferre possunt, ut v. g. *præconcepta opinione de sapientia, & probitate immediati præconis.* ut ipse fateris sub finem Cap. 12. An igitur dicendum est Deum hos ad se *mendacibus signis* allicere? Secundò, laudabile est, & divinæ prudentiæ congruum à confusis ad distincta, ab imperfectis ad perfecta procedere, ut patet ex historia creationis. *Ergo* non est quid Deo indignum, aut ab ejus prudentia alienum, homines ad se primò allicere mediis minus efficacibus, id est motivis probabilibus, modo postea adhibeat medium aliquod certum & infallibile. Et sic revera facit: nam quos primò ad persuasionem probabilem de veritate Religionis Christianæ per communia fidei motiva adduxit, eosdem postea ad perfectam & infallibilem fidei certitudinem per verbum suum perducit.

Secnnda objectio. Persuasio proximè, per se, & non per accidens obligans totam Ecclesiam ad credendum ex fide divina non po- 2.

test esse incerta, & fallax. At talis est persuasio quæ ex communibus motivis fidei habetur. Ergo &c. Respondeo minorem esse falsam. Persuasio enim *proximè, & per se* obligans homines ad credendum, non est naturalis illa, seu humana persuasio quæ ex motivis fidei habetur, sed est persuasio supernaturalis, & obscura quæ oritur ex illustratione divina, & immediatè versatur circa credibilitatem mysteriorum fidei, non propter motiva, sed propter revelationem Dei. Duplex enim est judicium de credibilitate doctrinæ Christianæ, ut docent Suarez, Disp. 6. de fide, Sect. 8. §. 6. & Becanus Tract. de fide, Cap. 8. quæst. 6. Vnum naturale, quod fundatur per se in motivis creatis. Alterum supernaturale quod fundatur in authoritate Dei revelantis. Posterius hoc judicium, seu posterior hæc persuasio, proximè & per se obligat ad credendum. At priorem illam talis obligatio non consequitur. Non enim tenemur ea omnia dogmata credere quæ hujusmodi motiva, credibilia faciunt: nisi etiam ex Verbo Dei de eorum veritate constet.

3. Tertiò, Vnanimi (inquis) consensu fatentur nostri Theologi, quod & ex Scripturis convincitur, res fidei nostræ spectatis omnibus quibus Deus eas confirmavit esse evidenter credibiles evidentia practica & mo-

rali

rali,&c. Respondeo vestros Theologos dicere doctrinam fidei esse evidenter credibilem, non quod ex eorum sententia evidens sit eam esse necessariò credendam, atque adeo esse in se veram, sed quod evidens sit eam gravibus, id est, valde probabilibus argumentis confirmari (nam ut notat Valent. Tomo. 3. Disput. 1. quæst. 1. punct. 4. §. 3. *argumēta etiam probabilia gravia sunt, et fide digna apud homines*) Itē, quod evidens sit eam esse probabilem, imò probabiliorem omnibus sectis oppositis. Hoc certè vestri Theologi asserunt, et ego libenter tantundem concedo. Vide Valent. loco citato, Colum. 68. §. *Secundo eisdem*, et Colum. 95. §. *Ad Secundum.*

Quæ à te ex Scripturis afferuntur ad confirmandam generalem tuam assertionem de motivis fidei, ea nihil pro te faciunt. Nam illud Psalmi 19. *Testimonium Dei fidele est, sapientiam præstans parvulis*, intelligendum est (ut ipse fateris §. 2.) de lege Domini, et per consequens ineptè à te adhibetur §. 1. ad probandam infallibilitatem istius persuasionis quam communia motiva fidei gignunt. Illud etiam Psalmi 93. *Testimonia tua sunt credibilia nimis* (quod ab aliis rectius legitur sic, *Testimonia tua sunt firma valde*) 4.

valde) commendat legem Dei non ab humana credibilitate quam habet ex motivis fidei, sed ab eminentiori illa, et planè divina credibilitate quæ ut loquitur Suarez, *Disput.* 6. de fide Sect. 8. §. 6. *resultat ex authoritate Dei*, qui viz. legem illam tulit, et populo Israelitico tradidit.

PVNCTVM SEXTVM.

An ex miraculis firmum, & certum argumentum sumi possit ad demonstrandam Ecclesiæ alicujus veritatem, & infallibilitatem?

1. RIMA assertio. Gloria miraculorum, seu fama, et celebritas quam hæc, vel illa Ecclesia apud homines habet ob miracula quæ in ea fieri dicuntur, non est certa et infallibilis veræ Ecclesiæ nota. Hîc miraculorum gloriam (intellige humanam, quæ viz. in hominum æstimatione, et laude consistit, ut docet Thomas Prima Secundæ, quæst. 2. Art. 3. Nam ea miraculorum gloria quam Ecclesia aliqua apud

apud Deum habet, est ex se arcana, et nobis incognita, et proinde non ita propriè inter motiva fidei numerari potest) ab ipso miraculorum dono non sine ratione distinguo. Potest enim Ecclesia aliqua celebrari ob miracula quæ in ea fieri dicuntur, quamvis verè, et a parte rei instructa non sit virtute faciendi miracula.

Patet veritas hujus assertionis: Primò 2. quia fama illa, seu celebritas quam Ecclesia aliqua habet ob miracula quæ in ea fieri dicuntur nititur iis historiis, et narrationibus, de quarum veritate illi qui non adfuerunt cum miracula illa fierent, firmam et infallibilem certitudinem habere non possunt. Secūdò, Illi etiam qui hujusmodi spectaculis intersunt facile decipi possunt. Nam, ut fatetur Bellarm. Lib. de Notis Ecclesiæ, Cap. 14. non constat nobis *certitudine cui non potest subesse falsum*, ea quæ nobis videntur esse miracula, revera esse talia, & non esse præstigias, seu illusiones Dæmonum. *Dæmon enim* (inquit) *etsi non potest facere verè miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quæq;.*

Secunda assertio: Vera et propriè dicta 3. miracula fieri possunt extra veram Ecclesiam, viz. in cœtibus hæreticorum: et proinde miracula nudè, et in se spectata non sunt genui-

na

na, et infallibilis veræ, seu orthodoxæ Ecclesiæ nota. Hæc assertio Enthymematicè proponitur, et antecedente, ac consequente constat. Consequentis illatio ex antecedente, est ex se manifesta. Veritas etiam antecedentis ex ipsorum adversariorum confessione patet. Quamvis enim quidam ex illis (ut statim patebit) negent vera miracula posse fieri ab hæreticis pro confirmatione erroris, seu ad errorē confirmandū, fatentur tamen ea ab illis fieri posse ab alios fines, ut. v. g. propter hominum utilitatem, quando viz. illi ab hæreticis miraculosè sanantur; Item ad confirmandam veritatem aliquam fidei in qua illi hæretici cum orthodoxis conveniunt. Ita docet Bellarm. Lib. de notis Ecclesiæ, Cap. 14. §. *Ad postremum.* Estius in 2. Sent. Dist. 7. §. 19. Suarez. Disput. 4. de fide, Sect. 3. § 10, Malderus in Sancti Thomæ 2. 2. Quæst. 1. Art. 5. Dubio 4. Sect. 3. et alii.

4. Tertia assertio. Ex veris, et propriè dictis miraculis non potest sumi firmum, et certum argumentum ad demonstrandam hujus, aut illius Ecclesiæ infallibilitatem. Patet hoc primò ex Assertione præcedente: Si enim miracula non demōstrant certò & infallibiliter veritatem illius Ecclesiæ in qua fiunt, multo minus demonstrant ejus infallibilitatem in docendo: Sique miracula verè divina Eccle-

ctu errantibus conveniunt proculdubio e-
iam quibuslibet Ecclesiis errori obnoxiis
competere possunt. Secundò, miracula non
unt à Deo instituta ad demonstrandam eo-
um infallibilitatem per quos fiunt miracu-
a. Nam si hoc verum esset, sequeretur eos
omnes qui olim miraculorum gloria fulse-
unt, etiam infallibilitate docendi præditos
uisse. At hoc apertè falsum est : Nam in pri-
mitiva Ecclesia non solum Apostoli (qui in-
fallibiles veritatis testes fuerunt) sed etiam
lii pastores, imò et laici credentes miracula
faciebant. Tertiò ipsi Pontificii non solent ex
miraculis demonstrare Ecclesiæ suæ infallibi-
litatem, sed ex iis solummodo probare co-
nantur eam esse veram, atque unicam Christi
Ecclesiam.

Hæ tres assertiones abunde sufficiunt ad
vindicandam positionem nostram de miracu-
lis ab adversarii objectionibus. Dixi enim
parte 2. Disput. quæst. 1. §. 8. fidem eam
qua creditur Ecclesiæ infallibilitas in testifi-
cando non niti miraculorum gloria, tanquam
firmo, & certo assensus nostri fundamento.
Et non solum id nunc probavi, sed etiam
(quod majus est) ostendi ex veris, & propriè
dictis miraculis, si modo nudè, & in se ea
spectentur, Ecclesiæ alicujus veritatem non
posse efficaciter probari, & multò minus e-
jus

jus infallibilitatem. Cæterùm ut Lectori ma-
gis satisfiat, alias aliquot Assertiones adda
Puncto sequenti.



PUNCTUM SEPTIMUM.

**An ex miraculis in testimonium ali-
cujus doctrinæ factis firmum, & cer-
tum argumentum sumi possit ad
probandam illius doctrinæ veri-
tatem?**



1. QVARTA assertio: Non
certò constat, nec inter ip-
sos Adversarios conven
num miracula in testimo
nium alicujus doctrin
facta, evidenter nobis de-
monstrent illius doctrinæ veritatem? Ut hæc
assertio melius intelligatur subjiciam Sua-
rezii distinctionē de miraculis quam is in me-
dium affert. Disput. 4. de fide Sect. 3. §. 10
Respondetur (inquit) *duobus modis posse fie-
ri miraculum. Primùm sine ullo respectu
ad veritatem aliquam per illud confirman-
dam, sed solum propter alicujus homini
utilitatem, ut ad conferendam sanitatem,*
vel

vel quid simile. Secundò fit miraculum in
testimonium alicujus doctrinæ, ut eam ve-
ram esse confirmet. Priori modo verum
est, Deum posse facere miracula per pra-
vos homines (hîc sub pravis hominibus,
comprehendit etiam deceptores, seu hæreti- 3.
cos, ut patet ex verbis quæ hanc respon-
sionem immediatè præcedunt) *et hoc mo-*
do procedit objectio facta, quamvis for-
tasse rarissimè hoc contingat & quan-
do evenit, magis est ex fide recipien-
tis, quam ex virtute operantis. Poste-
riori autem modo fieri non potest ut mi-
raculum fiat in confirmationem falsitatis,
quia alias Deus cooperaretur mendacio, &
esset testis ejus. Vult igitur Suarez mira-
cula quæcunque propriè sic dicta & in testi-
monium doctrinæ facta, esse certum & infal-
libile veræ doctrinæ signum, quia viz. vera
miracula in confirmationem falsæ doctrinæ
fieri non possunt.

At contra primò, Vnde sciemus miracula
ea quæ fieri videntur in hujus, aut illius do- 2.
ctrinæ confirmationem esse vera, et propriè
dicta miracula? Bellarm. Lib. de Notis Ec-
clesiæ, cap. 14. dicit *non constare nobis cer-*
titudine, cui non possit subesse falsum, ea

non esse illusiones Dæmonis. Et Suarez in Defensione fidei Catholicæ, Lib. 1. Cap. 7. §. 3. asserit, *opera miraculorum adulterari posse, & ita exterius fingi, ut non sint necessaria signa veræ fidei.*

3. Secundò, Non possumus evidenter scire hoc, vel illud miraculum factum esse in confirmationem talis doctrinæ. Ergo miraculum hoc, vel illud factum esse in confirmationem talis doctrinæ, non est nobis, seu respectu nostri, certum & evidens signum veræ doctrinæ. Ratio consequentiæ est, quia id de quo non certò constat, nec constare potest, utrum sit an verò non sit, non est signum idoneum ad evidenter demonstrandam doctrinæ veritatem. Probatur antecedens; quia cum Deus (*cujus inscrutabilia sunt judicia, & viæ impervestigabiles*, Rom. 11. 33.) varios fines sibi propositos in producẽdis miraculis habere possit, ut fatetur Suarez, loco citato, nos qui *non cognovimus mentem Domini, nec ei à consiliis sumus*, evidenter scire non possumus utrum miraculum hoc, vel illud ab eo factum sit ad confirmandam talem doctrinam, an verò in aliquem alium finem? Hoc diserte asserit Valentianus, Tom. 3. Disput. 1. quæst. 1. punct. 4. §. 3. Col. 79. *Quod autem* (inquit)

in argumento sumebamus miracula hæc ad eam rem divinitus facta per Christum fuisse, ut Christiana firmaretur doctrina: id verò si non evidenter (quis enim, præsertim citra lumen fidei, ut ad fidem ipsam jam persuadendam loquimur, cognovit penitus, atque vidit sensum & consilium Domini) at ita certè compertum est ut non nisi imprudenter, ac temerè in dubium vocari possit.

Tertiò, quamvis certum sit Deum nunquam facere miracula in confirmationem erroris (ipsa enim veritas non potest hoc sibi propositum habere, ut errorem confirmet, vel stabiliat) dubitari tamen potest, utrum Deus ad tentandos homines, seu ad probandam eorum fidem Deuter. 13. 3. facere possit miracula per hæreticos falsam doctrinam confirmare intendentes, seu ut alii loquũtur, utrum Deus unquam exaudiat petitionem hominis volentis ad confirmandum errorem miraculum adhibere. Et certè hac de re inter ipsos Adversarios, ut dixi, non convenit. Quamvis enim Bellar. Estius, Suarez, & alii, cum concedunt hæreticos posse facere vera miracula, hoc addãt, miracula ab iis fieri, non in erroris quem tuentur, sed in alicujus veritatis quam retinent confirmationem, aut in

aliquem alium finem, ut patet ex Assert. 2. tamen Gerson, & Stapletonus longius progrediuntur, dicuntque vera miracula in erroris confirmationem ab hæreticis fieri posse. Item, quamvis Suarez, Malderus, & quidam alii, affirment miracula *in testimonium veritatis facta*, esse infallibile signum veræ fidei, tamen major est numerus eorum Pontificiorum qui aliter sentiunt.

Quod igitur vera miracula fieri possint
4. ab hæreticis in erroris confirmationem docet Stapl. in Prompt. Morali Dominica 24 post Pentecost. *Signa autem* (inquit) *& prodigia quæ dabunt pseudo-prophetæ, ut majorem electis tentationem inferant, sunt quidem ex parte opera miraculosa de quibus Apostolus dicit, 2. Thess. 2. ipsum Antichristum venturum secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus: vel sane quia non vera, sed falsa erunt miracula, & potius miranda quam miracula, ac nil nisi præstigiæ, & oculorum deceptiones, vel quia etsi* vera sint prodigia, quoad actus supernaturales, *non nisi mendacia tamen erunt, quia non nisi mendacio servient. Certè ad majorem fidelium probationem,*

etiam

etiam vera miracula *non solum Antichristus ipse, ejusque proximi præcursores, sed quilibet hæretici, non secus quam Magi, Deo permittente operari potuerunt.* Et infra. *Sed si aliqua fortè* veri nominis miracula *Hæretici hodiè proferre poterunt ab ipsis facta, fugiendi nihilominus sunt ut seductores, propter ea quæ jam dicta sunt.*

Johannes Gerson parte 2. Sermone de quatuor Domibus etiam asserit Deum facere vera miracula per Hæreticos falsam doctrinam confirmare intendentes; Sed cautius loquitur quam Stapletonus: dicit enim Deum nunquã hoc facere quin per Scripturas, aut aliquo alio modo *reclamet,* & doctrinam illam non esse credendam doceat. Hoc enim casu, et non aliter potest Deus, ex Gersonis sententia, ad probandam suorum fidem exaudire petitionem hominis volentis ad confirmandum errorem miraculum adhibere. *Amplius* (inquit) *scire convenit quod sicut apud homines moris est quod in attestationem literarum sigillum appenditur, vel apponitur signum proprium; Non aliter Deus miraculorum verorum operationem, veluti sigillum, & signum proprium inducit in robur veritatis illius quam jubet* 5.

credi: Et nulla unquam invocatione, miraculorum conditor est, vel erit in opere mendoso, quin reclamet: & quin per Scripturas, per prophetias, per revelationem, vel aliter, illam falsitatem non esse credendam edoceat. Et infra, *Hæc ita quamvis se habeant, quod per mendaces miraculi Author esset Deus; nunquam tamen sigillum proprium sic falsari, nunquã homines eo abuti in mendacio sineret, quin & reclamaret & contradiceret.*

6. In hac etiam sententia fuisse videtur Durandus: nam quæst. 1. in Prologum Sentent. §. 46. de miraculis sic disserit: *Tertium est quod quamvis esset per se notũ aliquod esse fieri à solo Deo, sicut fuit resuscitatio Lazari; tamen non esset per se notum, quod hoc fieret ad testificandũ hoc quod diceret iste, vel ille qui prædiceret miraculũ.* Et infra ibidem: *Posito ergo quod Christus dixisset, quod Deus resuscitaret Lazarum ad testificandum quod ipse Christus esset verus Deus, & constaret evidenter de resuscitatione Lazari facta à Deo, & quoque de veritate Christi prædicentis talem resuscitationem, non tamen propterea esset per*

se notum quod Christus verum dixisset pro illo addito, scilicet quod resuscitatio fieret in testimoniũ quod ipse Deus esset. Item §. 47. *Sed quantumcunque concurrant talis invocatio, & miraculum, non est tamen propter hoc per se notum quod miraculum fiat ob talem invocationem.* Et infra de pseudopropheta dicente Deum facturum, miraculum in confirmationem suæ doctrinæ, sic scribit: *Talis sic dicens, falsum dicit, sed Deus faciens miraculum quod prædicitur, non testificatur falsum: quia non facit miraculum propter id quod alius dicit quan vis simul concurrant; & sic non est per se notum quod miraculum fiat ad testificandum dictum cujuscunque hominis, etiam Christi, &c.*

Similiter quod miracula per se non efficiant infallibilem certitudinnm de veritate doctrinæ, docent multi Scriptores Pontificii, idque absolutè, & sine ulla limitatione. Bellarm. lib. de Notis Ecclesiæ, Cap. 14. §. Est autem, dicit., *Ecclesiam Orthodoxam non demonstrari ex miraculis quoad certitudinem rei, sed tantum quoad certitudinem credibilitatis*, hoc est, nos non 7.

posse ex miraculis certò, & infallibiliter scire huncparticularem hominum cœtum esse veram Ecclesiam, sed tantum quod credibile, seu valde probabile sit eum esse talem. Nam *certitudo credibilitatis*, prout contradistinguitur à *certitudine rei*, est qua ita certò scio hoc esse credibile, ut tamen non certò sciam id esse verum. Nec solum hoc dicit Bellarm. sed etiam id hac ratione confirmat: *Cujus rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiæ non est evidens, aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum.*

8. Maldonatus in Cap. 7. Matth. v. 22. scribit Hieronymum, Chrysostomum, Euthymium, & Theophylactum, *multis probare exemplis, etiam per homines infideles vera fieri miracula*. Item ex illo Matthæi loco quem interpretatur, probari posse, *falsos illos prophetas de quibus Christus loquitur vera miracula fecisse, verè prophetasse, verè Dæmonia ejecisse.* Et addit, *Nec magnum esset, si moneret nos, ne falsa facientibus miracula crederemus: magnum omnino, & admirabile quod moneat, ne falsis prophetis credamus vera etiam miracula facientibus: nec ex solis miraculis,*

lis, sed etiam ex fructibus, id est, ex moribus ipsorum, veros falsósque prophetas discernamus. Postea hic Anthor quæstionem subjicit, *An ergo nullum ad probandam veram doctrinam argumentum ex miraculis sumi possit?* Cui respondet hoc modò: *Non sequitur omnino nullum, sed non necessarium sumi posse.* Et infra: *Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem sæpè, sine fide raro fieri solent.*

Andradius Defens. Fid. Trid. lib. 2. pag. 239 expendens Agustini sententiā de miraculorū usu in demonstranda vera Ecclesia, sic disserit *Augustinus contendit Ecclesiæ certa, atq; firma indicia è sacris literis petenda esse, quia ab omni sunt falsitatis suspicione libera. Nam cum miracula, stupendáque prodigia quæ sæpe à viris fiunt sanctissimis, Dæmonum opera à perditis etiam, & facinorosis fieri posse dicat, & futurarum rerum prædictiones non modo piis, sed impiis quoque, & flagitiosis hominibus accidere aliquando soleant, FALSA profecto sunt hæc plerumq; INFIRMA etiam SEMPER, Ecclesiæ veræ indicia.* 9.

 Ioannes

10. Ioannes Ferus, Lib. 3. Comment. in Math. Cap. 24. v. 23. & 24. audacter affirmat, non doctrinam ex miraculis, sed contrà miracula ex doctrina probari debere. *Habes* (inquit) *hîc textum unde internoscas inter vera & falsa miracula. Vera miracula sunt, si qui facit, verbo DEI contraria non docet: falsa autem, si contra verbum DEI jamdudum miraculis confirmatum docet. Non igitur doctrina ex miraculis, sed miracula ex doctrina probanda sunt.*

Gregorius de Valentia, Tomo 3. Disput. 1. quæst. 1. Punct. 4. §. 3. Colum. 80. suam sententiam de miraculis, sic proponit: *Nam quamvis ipsa per se miracula non efficiant certitudinem infallibilem de veritate doctrinæ, & de Ecclesia legitima, sed contrà potius Ecclesia vera, & legitima certos nos de veritate miraculorum faciat, ut Divus Augustinus lib. de unitate Eccles. Cap. 16 indicat, tamen prudenter homines moventur miraculis, & aliis argumentis, ad credendum certò veræ doctrinæ, ob revelationem divinam sicut supra exemplicavimus.*

11. Quinta assertio: Certum tamen est, & fatentur

tur omnes miraculorum donum à DEO in Prophetas, & Apostolos ideo collatum fuisse, ut eorum divina missio, veritasque doctrinæ ab iis prædicatæ per miracula credibiles fierent; Nam, ut rectè monet Bellarm. Lib. 6. de Gratia & libero Arbitrio, Cap. 1. *non satis est ad hoc quod homines credere teneantur, si solùm iis doctrina à DEO revelata proponatur, sed necesse est, ut accedat etiam aliquid quod eam doctrinam credibilem faciat. Sic enim Dominus Exodi 4. Cum mitteret Mosem ad prædicandum, dedit illi potestatem faciendi miracula, quibus fidem faceret prædicationem suam esse verè divinam.* Hæc assertio exprimit verum & proprium finem doni miraculorum: miracula enim à Deo instituta sunt non ut iis nitatur infallibilis certitudo de veritate doctrinæ ad quam confirmandam illa fiunt. Nam, ut fatetur Bellarm. loco citato, *miracula non possunt mentem omnino convincere:* Sed ut illi qui non adhuc crediderunt, attentiores & dociliores reddantur, utque doctrinam sibi propositam non aspernentur, sed reverenter de ea sentiant, judicentque eam prudenter credi posse.

Sexta assertio: Ad veram seu orthodoxam 13.

Ecclesiam

Ecclesiam certo & infallibiliter demonstrandam cum miraculis necessariò conjungenda est doctrinæ veritas: nam sic miracula, & veritas doctrinæ se mutuò illustrabunt, & confirmabunt Bellarm. Lib. de Notis Ecclesiæ, Cap. 14. *dicit ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesia miracula demonstrari, sed diverso genere demonstrationis.* Ego similiter assero, *veram doctrinam per miracula, & miracula per veram doctrinam cōfirmari.* Nam miracula ab iis facta qui veram doctrinam prædicant efficiunt, ut homines judicent doctrinam illam esse credibilem, id est, eam prudenter credi posse. At veritas doctrinæ lumine fidei cognita, & credita efficit ut certò, & infallibiliter sciant miracula quæ ad doctrinam illam confirmandam eduntur verè esse divina. Nam si doctrina in cujus confirmationem miracula fiunt convenit cum ea quæ per Mosen, Prophetas, Christum, & Apostolos revelata est, tunc etiam miracula quibus ea confirmatur pro divinis sunt habenda. Miracula igitur, ut Bellarmini distinctionem supra allatam meæ sententiæ accommodem, demonstrant veritatem doctrinæ tantum quoad *certitudinem credibilitatis.* At ex veritate doctrinæ demonstratur miraculum quoad *certitudinem rei,* hoc est,

certò

certò & infallibiliter probatur, id verè esse divinum.

Ex his patet miracula, si non habeant doctrinæ veritatem conjunctam, non demonstrare certò et infallibiliter veram Ecclesiam. 14.
Sunt enim miracula doctrinæ sigilla, ac tesseræ. Quemadmodum igitur sigillum à literis avulsum nihil probat, ita quoque miracula sine doctrina nihil valent. Atque hinc est quod Christus ipse non ad sola miracula provocavit, sed ad Mosen et Prophetas ex quorum scriptis dogmata sua confirmavit. Disserit hac de re egregiè Tertullianus Lib. 3. adversus Marcionem in principio. *Non fuit, inquis, ordo ejusmodi necessarius, quia statim se & filium, & missum, & DEI CHRISTVM rebus ipsis esset probaturus per documenta virtutum. At ego negabo* solam *hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam & ipse postmodum* exauctoravit. *Siquidem edicens multos venturos, & signa facturos, nec tamen ideo admittendos, temerariam signorum, & virtutum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudo-Christos facillimam.* Sic Apostoli dono miraculorum instructi ex Mosaicis, et Propheticis scriptis doctrinam suam domonstrabant, Actor. 26. v. 22.

v. 22. idque exemplo Christi, et ex ejus præscripto. Vnde rectè scribit Theophylactus, in Cap. 9. Lucæ, v. 2. Christum mandasse Discipulis suis, ut cum miraculis conjungerent prædicationem veræ doctrinæ: *Dans autem* (inquit) *iis potestatē contra malos spiritus; non illo contentus fuit, sed jussit Evangelium prædicare. Docet enim ut is cui concredita est doctrina, & prædicare, & miracula patrare debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem. Multi enim sæpenumero miracula per Dæmonas fecerunt, sed illorum prædicatio sana non fuit, quare neq; illorum miracula ex Deo fuerunt.* Ecce Theophylactus apertè nobiscum asserit doctrinam ex miraculis, et vicissim miracula ex doctrina probari, et confirmari.

15. Septima asserrio: Cum miracula non semper ac perpetuò *Ecclesiæ* conveniant (neque enim semper sunt necessaria, imò non semper sunt utilia, ut observant ipsi scriptores Pontificii viz. Stella in Cap. 11. Luc. Acosta Lib. 2. de procuranda Iudorum salute, *Cap.* 9. Roffensis adversus Lutherum, de Capt. Babylonica, Cap. 10. Cornel. Mussus in conc. Dominic. Pentecost. Abluensis Levitic. 9. quæst.

quæst. 14. Barradius Tomo 4. Comment. in Concor. Evangel. Lib. 9. Cap. 8. pag. 394. et Cap. 9. pag. 396. et alii) cumque veræ doctrinæ probatio per miracula multis modis nunc sit incerta, omnino necessarium est ut pro comperto habeamus quæ sit illa doctrina quæ tot miraculis olim comprobata fuit à Mose, Prophetis, Christos et Apostolis. Illi enim Ecclesiæ miraculorum gloria verissimè debetur, quæ profitetur doctrinam à Christo, Prophetis, et Apostolis Ecclesiæ traditam, et tot, tamque stupendis miraculis confirmatam: Nam, ut notat Barradius, loco proximè citato, *miracula quæ in Ecclesia Primitiva facta sunt, omnibus etiam posteris facta sunt.* Dixi veræ doctrinæ probationem per miracula *nunc* esse valdè incertam et dubiam, quia nulla extat divina promissio, quod miracula his postremis Ecclesiæ temporibus à verè fidelibus facienda sint, sed contra prædictum est, Matth. 24. v. 24. *Pseudo-Christos, & Pseudo-prophetas facturos esse signa magna, & miracula.* Item, *Antichristi adventum fore secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* 2. Thess. Cap. 2. v. 9. Vnde Gerson, in Tractatu contra Sectam se flagellantium pulcherrimè notat, *quod mun-*

dus

dus senescens patiatur phantasias falsorum miraculorum, sicut homo senex phantasiatur in somno. Item, *quod nunc miracula sunt habenda valde suspecta, nisi facta prius examinatione diligenti.* Hactenus de Quæstione prima.



QVÆSTIO SECVNDA.

An fundamentũ principale illius Fidei qua Sacræ Scripturæ authoritas creditur, sit Traditio aliqua divina non scripta, ab Apostolis ad nostra tempora derivata.



1. NON *quæritur hic an detur aliqua talis Traditio, sed hoc posito, aut dato, quod detur talis Traditio non scripta de Scripturæ authoritate, quæritur an fides qua credimus Scripturæ authoritatem, ea nitatur tanquam principali suo fundamento. Affirmant Pontificii: negant Orthodoxi. Horum sententia ut intelligatur, tenendum est nullum verbum* DEI, *sive scriptum, sive non scriptum, esse idoneum fidei nostræ fundamentum*

mentum, quamdiu de ejus authoritate non constat certò, idq; certitudine fidei. *Necesse est igitur ut fide divina credamus illam Traditionem verè esse Divinam, priusquam propter illam Traditionem credamus Scripturam esse Dei verbum. Quamobrem merito quærunt Orthodoxi, quo fundamento nitatur eorum fides qui credunt illam Traditionem non scriptam esse Divinam, quæ testatur Scripturam esse DEI ipsius verbum. Fides enim illius traditionis non scriptæ vel nititur illa ipsa traditione non scripta; vel traditione aliqua in sacro codice scripta; vel aliqua alia traditione non scripta; vel regulis illis, quibus traditiones veræ, ab adulterinis distinguuntur; vel denique præsentis Ecclesiæ testimonio. At nihil horum dici potest. Ergo, &c.*

Primò, igitur fides qua illius traditionis, 2.
Divina authoritas, creditur, non nititur illa ipsa traditione: idque quia Sacra Scriptura (ex Pontificiorum sententia) non potest nos de Divina sua authoritate, certos reddere: Ergo multo minus illa traditio non scripta hoc præstare poterit. Unde Valent. Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 7. §. 12. *sic de hac quæstione disserit.* Sicut de authoritate Scripturæ necesse est per aliquam aliam certam authoritatem constare: ita etiam de authoritate traditionis. Non enim traditio loquitur clare, et perspicuè de sese, ut neque ipsa Scriptura.

Secundò, fides illius traditionis non scriptæ, 3.

non

non nititur traditione aliqua scripta, seu aliqua sententia in sacris literis proposita. Primò, quia Sacra Scriptura non potest satisfacere homini dubitanti, de authoritate illius traditionis à cujus authoritate, ipsius Scripturæ authoritas pendet: quamdiu enim de illius traditionis non scriptæ authoritate dubitamus, tamdiu ipsius Scripturæ authoritatem (juxta Pontificiorum Doctrinā) dubiam & incertā esse necesse est. Ridiculum autem est, petere confirmationem alicujus doctrinæ ex Scriptura, donec prius de Scripturæ authoritate constet. At de Scripturæ authoritate constare non potest (si vera sit Pontificiorum doctrina) quamdiu de authoritate hujus traditionis non constat: Ergo quamdiu de illius traditionis non scriptæ authoritate dubitamus, nullum firmum, aut validum argumentum ex Scriptura peti potest ad illam traditionem stabiliendam. Secundò, quamvis ex Scriptura demonstrari possit esse aliquas traditiones dogmaticas non-scriptas, ab Apostolis originem trahentes, & proinde divinæ authoritatis (quod tamen concedendum non est) nunquam tamen ex Scriptura demonstrari potest, traditionem illam particularem quæ est de librorum Canonicorum numero, deque ipsius Scripturæ authoritate esse verè Apostolicam, aut divinam: *idque quia Scriptura nusquam de illa particulari traditione loquitur: hoc est, nullibi asserit eam traditionem ab Apostolis descendisse. Tertiò, Qui credit Scripturæ* authoritatem propter traditionem, *& tamen*

sola

sus Traditionis authoritatem propter Scripturam, *ille ridicule admodum admittit* Circularem progressum *in stabilienda fide.*

Tertiò, Fides illius traditionis non scriptæ non nititur alia aliqua traditione non scripta: quia si authoritas Scripturæ pendeat à traditione non scripta, & illius traditionis nō scriptæ authoritas pēdeat ab alia traditione non scripta; etiam illius alterius traditionis non scriptæ authoritas pendebit ab alia traditione non scripta, & illius rursus ab alia, & sic dabitur processus in infinitum. 4.

Quartò, Non nititur illis regulis quas Bellar. Lib. 4. de Verbo. Cap. 9. & Valent. Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. Punct. 7. §. 44. Col. 268. *adducunt ad distinguendas veras traditiones ab adulterinis: illæ enim regulæ vel sunt* Divinæ, *vel sunt* Humanæ: *si* Divinæ, *eadem quæstio de istarum regularum authoritate moveri potest; unde, videlicet, constet eas esse* Divinas: *si* Humanæ, *non sunt* idoneum fundamentum *fidei Christianæ.* 5.

Quintò, non nititur, Ecclesiæ præsentis testimonio: quia ut superiore quæstione monui, Ecclesiæ testimonium non est idoneum fidei Divinæ fundamentum, saltem principale: & ipsi Pontifici fatentur fidem eam quæ Ecclesiæ testimonio nititur, non esse Divinam, *sed* alterius inferioris ordinis. *Ex his patet Traditionis non scriptæ Divinam authoritatem non minus dubiam esse, & incertam quam est ipsius Scripturæ authoritas, & proinde eam non posse esse* 6.

 principale

principale fundamentum fidei nostræ qua credimus Scripturæ authoritatem.

Mirari satis non possum (candide Lector) quod huic secundæ quæstioni nihil opposuerit Turnebullus, nec solvere conatus sit argumentū istud § 1. propositū, quo tam evidenter contra communem Pontificiorū Theologorū sententiā (ut patet ex Bellarm. de verbo Dei, lib. 4. cap. 4. Grets. in Defensione ejusdem Capitis, Becano Tract. de Fide, Cap. 4. § 14. Suarezio Disput. 5. de fide, Sect. 4. §. 9. & aliis) probatur *fidem qua creditur sacræ Scripturæ authoritas non niti Traditione aliqua non scripta, ut fundamento suo principali.* Fuit hic nodus vindice dignus, sed Adversarius eum nec solvere, nec dissecare potuit.

QUÆSTIO TERTIA.

An Fides qua credimus Scripturam esse DEI Verbum, nitatur interno sancti Spiritus testimonio, ut fundamento suo principali?

 Resp.



RESPONDETUR negativè 1. quia DEUS nihil ordinariè per Spiritum suum, intus revelat, nisi quod prius extrinsecus in Verbo suo revelavit: Ergo Scripturæ authoritas quæ intus per Spiritum revelatur, prius in ipsa Scriptura, aut per eam revelata est: Si autem prius in ipsa Scriptura, aut per ipsam revelata est: proculdubio dicendum est illam revelationem authoritatis sacræ Scripturæ quæ per ipsam Scripturam facta est, potius esse formale objectum fidei nostræ de Scripturæ authoritate, quam illam revelationem quæ intus in corde fit. Nam formale objectum fidei omnium Christianorum, seu formalis ratio propter quam omnes credunt, & in quam omnes fidem suam resolvunt, non debet esse quid privatum, aut internum, sed publicum, externum, omnibusque fidelibus obvium & expositum. 1.

Secundò, Formale objectum fidei est causa principalis, & quasi fons omnis certitudinis fidei. At internum hoc testimonium Spiritus (quod non est nova revelatio, sed revelationis prius factæ applicatio) non est tale: illud enim probare, & ad externam revelationem in Scriptura factam, examinare debemus. Ergo certitudo fidei pendet potius ab externa revelatione. 2.

Tertiò formale objectum fidei, creditur propter se. At internæ motiones, & instinctus Spiritus sancti, 3.

non credantur propter se, sed propter conformitatem suam, cum Spiritu in Scripturis loquente. Tunc enim certò scimus hunc cordis nostri instinctum à Spiritu sancto proficisci, quando quidem convenit cum Spiritu in Scripturis loquente.

4. Denique, *distinguendum est sedulò inter* principalem causam effectivam *aßensus fidei, & causam* principalem objectivam assensus fidei. *Spritus sanctus per internam illuminationem intellectus & efficacem motionem voluntatis humanæ,* est principalis causa effectiva *assensus fidei: at ipsum Verbum* DEI *insita sua luce, virtute, & majestate* Divinitatem *suam nobis manifestans est* principalis causa objectiva, *seu est* principale fundamentum *assensus Fidei.*



QUÆSTIO QUARTA.

An ex sola Scriptura, aut per eam solam, perfecte scire valeamus librorum Canonicorum Numerum, Authores, & Authoritatem?



C*AVTE hic utendum est, præpositionibus* per *&* propter: *nam præpositio* per, *importat usum mediorum sine quibus, fides ordinarie non producitur: at præpositio* propter *importat principale fidei fundamentum. Hæc observatione*

præmissa, ad quæstionem in titulo propositam assertionibus aliquot respondebo. Prima sit hæc.

Scripturæ Divina authoritas, creditur per Ecclesiæ præsentis testificationem, primitivæ Ecclesiæ traditionem, & internam Spiritus sancti operationem, non tamen propter aliquid horum: quia videlicet nihil horum est principale, fidei nostræ fundamentum. 1.

Propter *Scripturam solam, non tamen per eam solam, credimus Scripturam esse* DEI *Verbum: idq́ quia nemo juxta ordinarium credendi modum à* DEO *institutum, ex Scriptura sola, aut per eam solam, absq́ Ecclesiæ testificatione, certo scire aut credere potest Scripturæ Divinam authoritatem.* 2.

Probatur hæc assertio: Primò, quia hoc principium, Deus dixit, *seu* hoc Dei Verbum est, *non est simile* communissimis principiis, *quorum veritas omnibus vel primo intuitu patet, sed potius est simile* particularium scientiarum principiis, *quorum cognitionem non nisi per præceptorum instructionem assequimur. Secundò, pastorum Ecclesiæ testimonium, est medium ordinarium à Deo institutum, ad fidem in cordibus nostris ingenerandam: nam ut docet Apost.* Rom. 10. *fides est ex auditu. Deus autem ordinariè non operatur nisi per media à seipso instituta. Ergo fides illa, qua Scripturæ authoritas creditur, absq́ Ecclesiæ testificatione non producitur ordinariè. Tertiò, experientia docet neminem credere Scripturam esse Dei Verbum, nisi qui Ecclesiæ*

vocem prius audiat & amplectatur.

3. *Ipsa Scriptura, praeunte aut praesupposita* Ecclesiæ testificatione, & Spiritus sancti illuminatione, *interna sua luce, majestate, virtute, sufficienter Divinitatem suam nobis manifestat: nosque de ea certos reddit: & proinde creditur esse Divina, non propter aliud, sed propter se.*


4. *Quædam sunt ad canonis cognitionem, aut potius ad illius cognitionis perfectionem pertinentia, quæ etiam* præsupposita Ecclesiæ testificatione, *nequaquam ex Scriptura colligi, aut* per *eam certò sciri possunt.*

5. *Qui enim fuerint singulorum librorum Canonicorum authores; & an revera ab iis, quorum nomina in titulis præferunt, hi libri scripti fuerint; an omnes isti authores aliquid scripserint; aut an eorum scripta non interciderint, sed ad nos pervenerint, non ex Scriptura, sed ex sola Traditione constat.*

6. *Ex librorum titulis, & inscriptionibus, constare non potest, quinam singulorum librorum authores fuerint. Statim enim obrepit dubitatio de illorum titulorum veritate; an videlicet, genuini & legitimi sint. Sic dubitant non solum Orthodoxi, sed etiam Pontificii (teste* Melchiore Cano, Lib. 2. de Locis, cap. 11. pag. 76.) *de veritate tituli Epistolæ ad* Hebræos. *Sic titulum libri Sapientiæ falsitatis arguunt non solum Orthodoxi moderni, sed etiam antiqui patres, teste* August. lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20.

7. *Quamvis (ut supra monui) verum sit, singulos libros*

libros Canonicos suam Divinitatem nobis manifestare, & proinde nos singulos libros percurrendo, facilè integrum librorum canonicorum, qui nunc extant, numerum colligere posse, præsupposita videlicet Ecclesiæ attestatione; tamen si quæratur, an Ecclesia Catholica semper usa sit, eodem illo canone, quo nos utimur, an verò olim aut plures, aut pauciores libros pro canonicis habuerit. Item, an in hac Scriptura quam nos habemus extent omnes libri quos Apostoli, ut Canonicos Ecclesiæ commendarunt, an vero partes aliquot illius Canonis qui tunc extabat perierint, tempore alicujus gravis persecutionis: si (inquam) hoc quæratur quæstio hæc, aliaque similes de librorum Canonicorum numero, non ex Scriptura, sed ex sola Traditione dirimi poterint.



QVÆSTIO QVINTA.

An quia Quæstiones de Librorum Canonicorum Authoribus, & Numero ex Scriptura dirimi nequeunt, sacra Scriptura imperfectionis arguenda est?



RESPONDETUR negativè, I.
1. quia harum rerum cognitio non est simpliciter omnibus necessaria. Hæc sententia est Whitakeri, Controvers. 1. quæst. 6. cap. 9. Resp. ad arg. 5. & 6.

eamque esse veram fatetur Melchior Canus, Lib. 2. de Locis, Cap. 11. Respons. ad Argum. 5. pag. 75. *Deinde (inquit) librum esse hujus & illius Scriptoris, non admodum interest Catholicæ fidei.* Nec diffitetur Grets. *nam in defensione,* Lib. 4. de Verbo, Cap. 4. Col. 1579. *dicit,* necessarium non esse ut omnes formaliter, & explicite sciant quinam sunt Libri Canonici, *&* Colum. 1583. *fatetur,* non esse necessarium ut Evangelium quod D. *Marci,* nomine circumfertur, & legitur, credamus revera esse D. Marci.

2. *At (inquit Gretserus) quamvis harum rerum cognitio non sit omnibus necessaria est tamen necessaria nonnullis ut v. g. populi doctoribus, & institutoribus, & proinde si Scriptura nos de his certos reddere nequeat, procauldubio fatendum est, scripturam non esse plenum & perfectum fidei canonem.* Resp. *istarum rerum non* Fidē, *sed* notitiam Historicā *esse doctorib⁹ Ecclesiæ necessariam*: cognosci enim *debent hæc à doctoribus & pastoribus: at vero ab iis* credi nec *debent, nec possunt: idq; quia notitia quam de iis habemus non divina, sed humana est: non enim Dei, sed hominū authoritate nititur, priscorū videlicet patrum, Doctorum, & Historicorum, qui suis scriptis, & monumentis harum rerum cognitionē, ad nos trāsmiserunt.*

3. *Illud autem consequens quod inde inferre conantur doctores Pontificii, de imperfectione S. Scripturæ, quia videlicet hæc suo ambitu non complectitur, plane ridiculum est. Scriptura enim quamvis sit perfectißima*

regula fidei, non tamen complectitur ea omnia quæ Doctores Ecclesiæ scire debent, sed ea sola, quæ credere debent fide Divina. Doctores Ecclesiæ debent esse trium principalium linguarum, historiæ Ecclesiasticæ, & doctrinæ veteris ac purioris Ecclesiæ gnari ac periti: at nemo tam absurdus est ut dicere audeat Canonem fidei hæc omnia complecti debere.

Hactenus fuit prima nostra ratio. Secunda non minus valida est. Nullus enim Canon quantumvis perfectus nobis satisfacere potest in iis quæstionibus quas diximus ex Scriptura dirimi non posse. Quamvis enim Deus hoc nostro seculo per aliquem infallibilem, & divinitus inspiratũ Scriptorem, perfectißimum Canonem fidei nobis consignaret, ea omnia videlicet expreßè & manifestè complectentem, quæ Adversarii nostri in sacra Scriptura desiderant: nihilominus tamen, seculis sequentibus, si quis ex posteris nostris quærat, quomodo sciant hunc Canonem a tali Scriptore esse exaratum, quomodo item sciant se omnes illius Canonis partes apud se habere; certè illi non per ipsum Canonem scriptum, sed per traditionem non scriptam illis quæstionibus satisfacere poterunt. Sic igitur, contra Pontificios concludimus. 4.

Quod perfectißimus Canon præstare non potest, illud ad Canonis perfectionem non requiritur.

At perfectißimus Canon satisfacere nequit quæstionibus quæ moventur de numero, & auctoribus partium ipsius.

Ergo hoc ad Canonis perfectionem non requiritur.

REP.

REPLICATIO TURNEBULLI:

Quam quæstioni quintæ opposuit Cap. 9. à §. 3. ad finem.

3. BIICIS 2. parte tuæ Disput. quæst. 5, duo. Primum. Quamvis quæstiones de numero, & auctoribus librorum Canonicorũ dirimi nequeant ex Scriptura, sed ex Traditione, non inde probatur Scripturam non esse plenum Canonem rerum credendarum Fide divinâ. Quia solutio talium quæstionum non ex DEI auctoritate habetur, sed hominum. Vnde non ad Fidem, sed ad notitiam historicam spectat præcognoscenda quidem à Doctoribus Ecclesiæ, non tamen credenda; nec enim Scriptura quamvis sit perfectissima regula Fidei, complectitur ea omnia, quæ Doctores Ecclesiæ scire debent, sed ea sola quæ credere debent. Alioqui trium principalium linguarum, historiæ Ecclesiasticæ, doctrinæ veteris, & purioris Ecclesiæ debent esse gnari, & periti. At nemo absurdus tam est, ut dicere audeat Canonem Fidei hæc omnia complecti debere.

4. Respondeo plures hac ratiuncula involvi errores, quibus sublatis sponte sua evanescet. Primum, quod non distinguat divinam Traditionem, cujus auctor, & revelator est Deus, ab humana, cujus auctor est homo historicus, vel Ecclesia. Contendimus nos, pluribusque jam ostendimus necessita-

tem Traditionis divinæ, id est, verbi à Deo revelati, & in Ecclesia semper crediti, distincti à Scriptura, omnibusque Ecclesiæ decretis antiquioris, eademque proinde Fide credendi, qua creditur Scriptura.

Alter tuus error est, quo supponis Traditionem, qua Catalogus librorum Canonicorum, nominaque eorum, qui eos ex dictamine Spiritus sancti conscripserunt, nobis proponuntur, esse merè humanam, nec nisi fide historica, aut humana niti. Certè si totus hic Catalogus est ex dictamine Spiritus sancti datus Ecclesiæ, prima ejus Traditio non hominum; sed Dei auctoritate nititur. Esse autem totum ex dictamine Spiritus sancti certissimum est, Quia totum nihil est præter omnes, & singulas ejus partes. Omnes autem singulæque partes sunt totidem Dei verba ex dictamine Spiritus sancti excepta. Quod de libris dictum est, idem dicendum de præcipuis scriptoribus communi Ecclesiæ semper consensu creditis, tanquam totidem Dei amanuensibus. Nec enim nisi divina Traditione nititur tam constans, & antiqua Fides. Dixi signanter (præcipuis scriptoribus communi Ecclesiæ consensu semper creditis) quia non negamus de auctoribus quarumdam partium Scripturæ, salva fide ipsius textus sæpè dubitatum esse

Tertius, nimisque absurdus tuus error est, quo 5.
supponis non alia necessitate requiri in Ecclesia notitiam Traditionum non scriptarum, quàm requiratur peritia trium linguarum principalium, & Ecclesiasticæ historiæ, quasi ubique non divinæ, sed humanæ tantum fidei ratio habeatur. Certè neutra peritia, id est, nec trium linguarum, nec Ecclesiasticæ historiæ notitia connectitur cum veritati-
bus

bus divina fide creditis, tanquam conclusio necessariò consequens, vel principium necessariò præsuppositum, & in iisdem implicitè inclusum, qualiter tamen connecti veritates plurium Traditionum non scriptarum, tanquam pariter implicitè, saltem revelatas discursus tam hujus cap, quàm septimi omnino demonstrat, Unde omnis in istis error est contra Fidem divinam, in illis autem non nisi contra Grammaticam, vel humanam historiam, v. g. Qui negaret quatuor Evangelia, esse eadem quoad verba, & sensum, ejusdemque auctoritatis cum autographis, quæ suis manibus quatuor Evangelistę dictante Spiritu sancto exceperunt, erraret contra Fidem non tantum humanę historię, sed etiam Traditionis divinę in Ecclesia conservatę. Nam veritas affirmans hanc identitatem, licet non sit scripta, quia tamen negari non potest, nisi pariter negetur certitudo Fidei divinę debitę transcriptis, quibus pręsens utitur Ecclesia, ideò error contrarius huic affirmationi est contra Fidem divinam. Dices, Non potest hęc Traditio esse auctoritatis divinę, nisi Deus eam sit testatus. At non apparet ubi, vel quando est eam testatus.

6. Respondeo. Incepit Deus hoc testari, quando primum dictavit Evangelistis quid scriberent, & Ecclesiam constituit custodem, & interpretem, hujus sui dictaminis; perrexit verò postea, pergitque quotidie idem testimonium absolvere, quando per Ecclesiam, tanquam per sponsam & interpretem nobis loquitur quam constituit tum custodem, tum judicem depositi apud eam thesauri. Pro qua re melius capienda, cogitandus est Deus post datum Ecclesię primum autographum, assistere deinde invisibiliter trauscriptionibus aliis post alias per sin-

gula sęcula necessariis, totamque manuum humanarum, per quas fit ista traditio, catenam cœlesti sua manu texere. Nec aliunde contrarius huic veritati error tibi obrepsit, quàm quod antea non agnoveris Ecclesiæ definitionem, & declarationem in hujusmodi quæstionibus esse infallibile Dei verbum; Et qui Ecclesiam de his loquentem spernit, ipsius Dei auctoritatem spernere.

Altera tua objectio est hujusmodi. *Quod perfectissimus Canon præstare nō potest, illud ad Canonis perfectionem non requiritur. At perfectissimus Canon satisfacere nequit quæstionibus, quæ moventur de numero, & auctoribus Scripturæ. Quamvis enim Deus hoc nostro sæculo per aliquem infallibilem, & divinitùs inspiratum scriptorem perfectissimum Canonem nobis consignaret ea omnia expresse complectentem, quæ adversarii nostri in sacra Scriptura desiderant, tamen si sæculis cōsequentibus quis ex posteris nostris quærat, quomodo sciant hunc Canonem à tali Scriptore esse exaratum, quomodo item sciant se omnes illius Canonis partes apud se habere? Certe illi non per ipsum Canonem scriptum, sed per traditionem non scriptam illis quæstionibus satisfacere poterunt.* 7.

Verum & ad hanc objectionem obvia est responsio ex dictis præcedenti capite. Neganda enim est minor. Nec quod ad ejus probationem affertur, aliud probat quàm nullum Canonem inanimatum, qualis est omnis Scriptura, posse satisfacere quæstionibus deinceps de hac ipsa Scriptura movendis, sed necessarium esse alium Canonem vivum per modum Iudicis. At vel hinc nos concludimus nullam

Scrip-

Scripturam esse posse plenum, & ultimum Canonem omnium credendorum.

AUCORIS DUPLICAIO.

PVNCTVM PRIMVM.

An Traditio absoluta de Librorum Canonicorum numero sit verè divina? Et an sit re distincta à sacra Scriptura?

1. 
APVT nonum tui libri, Iesuita Turnebulle, pro diversitate rerum in eo tractarum, in duas partes dividi potest. Parte 1. quæ §. 1. & 2. habetur, tractas quæstionem generalem de necessitate Traditionum non scriptarum, seu de imperfectione S. Scripturæ. Hanc meritò hic rejicio tanquam alienam, & minimè pertinentem ad præsens institutum; idque partim ne liber hic in nimiam molem excrescat (requirit enim quæstio illa prolixam, & accuratam variarum rerum tractationem) partim quia ea pertinet ad controversias de Regula Fidei,

Fidei, & perfectione S. Scripturæ, de quibus plenum ac integrum tractatū adornare, & in lucem emittere, si Dominus voluerit, decrevi. Parte 2. quæ à §. 3. usque ad finem istius capitis extenditur, vellicas ea quæ à me dicta sunt Quæst. 5. ideoque istius quæstionis defensionem, & uberiorem explicationem hîc subjiciam.

Dixi §. 1. prædictæ quæstionis, Scripturam non esse ideo imperfectionis arguendam quod quæstiones omnes de librorum Canonicorum numero, & authoribus, ex ea dirimi nequeant; idque duabus rationibus confirmavi. Prior est, quia harum rerum cognitio (intellige cognitionem fidei Divinæ) non est omnibus simpliciter necessaria, imò non est possibilis. Nam de his habere non possumus certitudinem fidei divinæ, sed tantum notitiam Historicam, quæ humana traditione, & authoritate nititur. Posterior est; quia nullus Canon quantumvis perfectus nobis satisfacere potest in hujusmodi quæstionibus. Priore illa ratione tres errores involvi affirmas. Primus est quod non distinguam Traditionē Divinam ab humana, & quod non agnoscam necessitatem Traditionis Divinæ non scriptæ. Secundus est quod supponam Traditiones de numero & authoribus librorum Canonicorum esse merè humanas, nec nisi 2.

fide

fide historica, aut humana niti. Tertius est quod supponam non alia necessitate requiri in Ecclesia notitiam Traditionum non scriptarum, quam requiritur peritia trium linguarum principalium, & Ecclesiasticæ Historiæ.

3. Primum errorem ridiculè admodum, & ineptè mihi affingis. Nunquam enim negavi Traditionem divinam ab humana esse distinguendam: imò apertè hanc ab illa distinxi §. 2. quæstionis hujus, ubi docui traditiones de numero, & authoribus librorum Canonicorum esse merè humanas. Qui enim dicit traditionem aliquam nõ esse divinam, sed merè humanam, is traditiones divinas ab humanis manifestè distinguit. At (inquis) non agnoscis necessitatem Traditionis divinæ non scriptæ. Respondeo: Alia est ista quæstio, sed aliena à præsenti instituto. Nam neq; hîc, neque in ulla alia meæ disputationis parte quæstioné illam tractavi, aut tractandam suscepi. Non enim generatim disserui de Traditionibus divinis non scriptis, aut de earum necessitate, sed speciatim consideravi traditiones illas quibus numerus & authores librorum Canonicorum nobis proponuntur: & ostendi nihil ex iis colligi posse contra doctrinam Ecclesiæ reformatæ de perfectione sacræ Scripturæ.

Quod

Quod ad secundum errorem attinet, ut tuam calumniam commodius obteram, & contundam, Primò de Traditione illa quæ est de librorum Canonicorum numero, & deinde de Traditionibus eis, quibus eorum nomina exprimuntur, qui libros sacros dictante Spiritu sancto conscripserunt, verba faciam.

Traditio de librorum Canonicorum numero duplex est. Vna *absoluta*, qua simpliciter, & absolutè proponitur numerus librorum Canonicorum qui nunc extant. Alia *relativa*, seu *comparativa*, qua numerus librorum Canonicorum qui nunc extant confertur cum numero librorũ Canonicorũ qui olim vel in Ecclesia Iudaica, vel in primitiva Ecclesia Christiana extiterunt, & qua declaratur tot libros Canonicos nunc extare, quot olim extiterunt, atque adeo nullos libros Canonicos intercidisse. 5.

De priori Traditione dicimus primò eam esse verè divinã. Secundò eam nõ esse Traditionem distinctam, quoad rem ipsam à Scriptura: quia viz. ex ipsa Scriptura, præeunte Ecclesiæ testificatione, habetur sufficiens cognitio, & certitudo fidei de veritate hujus Traditionis. Nam (ut monui Quæst. 4. Assert. 7.) *Singuli libri Canonici divinitatem suam nobis manifestant: & proinde nos, singulos libros percurrendo, facile integrum librorum Canonicorum nunc* 6.

extantium numerum colligere possumus, præsupposita, videlicet Ecclesiæ attestatione. Hinc patet te frustra laborare ut probes divinam authoritatem hujus Traditionis. Nam nos eam libenter admittimus, sed interim negamus hanc Traditionem esse Traditionem verè et propriè non scriptā, seu distinctam quoad rem ipsam a Scriptura. Dico *quoad rem ipsam*, quia hæc Traditio differt à Scriptura *quoad modum tradendi*: directè enim, & expressè proponit librorum Canonicorum numerum; quod de Scriptura dici non potest. Dicet aliquis: Tu supra, quæst. 2. §. 3. asseruisti hujus Traditionis divinam authoritatem ex Scriptura probari non posse. *Resp.* me illîc locutum esse de Traditione hac quatenus ea ex Pontificiorum sententia est traditio non scripta, & à Scriptura re distincta, quo sensu verum est ejus divinam authoritatem ex Scriptura probari non posse. Quamvis enim Adversarii ex Scriptura probare conentur, esse aliquas traditiones non scriptas verè divinas, nunquam tamen ex Scripturis probare conabuntur, hanc vel illam Traditionem non scriptam in specie esse verè divinam. Nam hoc repugnat naturæ Traditionis non scriptæ,



Pvnctvm Secvndvm.

An Traditio Relativa, seu Comparativa de librorum Canonicorum numero sit Divina, & Catholica?



E posteriori Traditione dicimus primò, eam non esse verè Divinam: Nam dogma istud de identitate, & covenientia Canonis nunc extantis *quoad numerum librorum*, cum Canone qui in Ecclesia Iudaica, aut in Ecclesia primitiva Christiana extitit, non fuit olim à Deo per Prophetas & Apostolos revelatum, neque de eo extat aliqua revelatio recens facta, neque potest ejus veritas per necessariam & evidentem consequentiam colligi ex iis quæ in sacra Scriptura revelata sunt, ut omnes fatentur. *Ergo* non est Traditio verè divina, nec de eo haberi potest plena & absoluta fidei certitudo. 1.

Præterea, nulla Ecclesiæ de hac re (argumentum est *ad hominem*, ut loquuntur) extat definitio, Ergo non est de fide. Vnde 2.

Stapletonus Princip. Doctrinalium Lib. 9. Cap. 14. & in Controversiarum Relectione Controv. 5. quæst. 2. Artic. 4. dicit Ecclesiam præsentem posse in Scripturarum Canonem aliquos libros referre qui nondum in eum recepti sunt. Et in Defensione authoritatis Ecclesiasticæ, Lib. 2. Cap. 11. sect. 5. hoc explicans sic scribit: *Negamus sacræ Scripturæ Canonem vel Apostolorum temporibus, vel postea in aliis Conciliis sic plenum, & integrum consignatum esse, ut novum aliquem librum Apostolorum tempore scriptum, & nunquam ab antiquis Ecclesiis approbatum in Canonem referre Ecclesia non potuerit.* Hîc negat numerum librorum Canonicorum qui nunc extant esse ab Ecclesia definitum. Ergo multò minus putavit numerum omnium librorum Canonicorum qui vel nunc extant, vel aliquando in Ecclesia extiterunt plenè & sufficienter ab Ecclesia definitum esse. Nam si eorum numerus plenè & sufficienter ab Ecclesia definitus esset, non liceret eum novi libri adjectione augere.

3. Secundò dicimus hanc Traditionem non esse Catholicam, seu universaliter receptam: nam de ea variæ, & discrepantes sunt, tum Patrum, tum recentiorum Theologorum senten-

sententiæ, Chrysostomus Homilia 9. in Math. & Homil. 7. in priorem ad Corinthios dicit, *multa ex Propheticis periisse monumentis*; seu multos libros Canonicos intercidisse. Hanc ejus sententiam sequuntur quidam scriptores Pontificii, videlicet Bellar. Lib. 4. de Verbo Dei, Cap. 4. Gretserus in Defensione istius capitis, Col. 1565. & Becanus Lib. de Iudice Controv. §. 36. ubi enumerat novēdecim libros qui sunt ex Canone amissi. Quidā etiam ex nostris Theologis, ut Whitakerus Controv. 1. quæst. 6. cap. 9. & in Duplicatione adversus Stapler. Lib. 2. Cap. 1. §. 7. Contrariam sententiam tenent Origenes in Præfatione in Cant. Canticorum, & Augustinus Lib. 18. de Civitate Dei, Cap. 38. quos sequuntur Abulensis in Comment. in 1. Paralip. Cap. ultimo. quæst. 30. Salmeron. Proleg. 9. Can. 4. Stapler. Princip. Doctrinalium, Lib. 9. Cap. 5. & in Defens. authoritatis Ecclesiasticæ, Lib. 2. Cap. 1. §. 7. Quidam etiam ex nostris Theologis ut v. g. Iunius contra Bellarm. Lib. 4. de Verbo, Cap. 4. Nota 17. Polanus in Syntagmate, Lib. 1. Cap. 46. resp. ad object. 1. Chamierus Tomo 1. Lib. 9. Cap. 5. Pag. 292. Gerardus in Exegesi loci primi de Scriptura sacra, Cap. 6. §. 110. Ioh. Camero Tomo 3. in Prælectionibus de Verbo Dei, Cap. 13. Rivetus in Isagoge ad

ad S. Scripturam Cap. 6. §. 6. & in Summa Controversiarum Tom. 1. Tract. 1. Quæst. 1. §. 6.

PVNCTUM TERTIUM.

An Traditiones de scriptoribus librorum Canonicorum sint necessariæ creditu? & an sint verè Divinæ?

1. PRIMA Assertio: Traditiones illæ quibus proponuntur eorum nomina qui libros sacros ex dictamine Spiritus sancti conscripserunt, non sunt simpliciter omnibus necessariæ scitu, aut creditu. Hoc disertè asserit Hieronymus in Epistola ad Dardanum de terra promissionis *Illud* (inquit) *nostris dicendum est hanc Epistolam ad Hebræos non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli, suscipi,* & nihil interesse cujus sit, *cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur.* Idem dicit, & egregiè confirm

confirmat Gregorius in Præfat. in expositionem libri Iob. Cap. 1. *Si* (inquit) *magni cujusdam viri susceptis Epistolis, legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profecto esset, si non Epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus Cum ergo rem cognoscimus, ejusq́; rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quærimus, quid aliud agimus nisi legentes literas de calamo perscrutamur.*

Ita etiam docent Gretserus, & Melchior Canus locis à me citatis, quæst. 5. quibus adde Tannerum in Examine Relationis Humanæ, Cap. 18. Pag. 184. sic scribentem. *Si ex sola Scriptura agnoscitur an & quænam Scriptura sit Canonica; ex Traditione verò tantum authores librorum Canonicorum cognoscuntur, cadet Traditionis Ecclesiasticæ in gravißimis ejusmodi controversiis, quæ de Scriptura oriri possunt, neceßitas. Hac enim cognitione facile carere potest Ecclesia, Quis sit scriptor hujus vel illius libri Canonici?* 2.

Secunda Assertio: Hæ Traditiones, magna 3.

ex parte, non ſunt divinæ, nec à fidelibus ut tales acceptari poſſunt; idque quia plenam & firmam fidei certitudinem habere non poſſumus de earum veritate, & divinitate, ſeu divina authoritate. Patet hoc primò, quia, ut ipſi Pontificii docent, quamvis quidam Scripturæ libri eorum nomina præferant qui eos ſcripſerunt tamen de titulorum veritate dubitari poteſt. Secundò, in multorum librorum titulis nomina ſcriptorum non exprimuntur. Tertiò, nihil de librorum authoribus ab Eccleſia definitum eſt. Ergo ſecundum ipſorum Pontificiorum hypotheſin non poteſt de iis haberi certitudo fidei divinæ. Quartò, communis ſententia, aut conſenſus Theologorum & Paſtorum Eccleſiæ Romanæ de ſcriptore hujus aut illius libri Canonici, hîc nobis ſatisfacere non poteſt, quia non eſt infallibilis. Vnde Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum communi ſententiæ Eccleſiæ Romanæ præfert auctoritatem veterum ſcriptorum idque in quæſtione majoris momenti. *Quod ſi* (inquit) *Epiſtolam ad Hebræos Latinorum conſuetudo non recipit inter ſcripturas Canonicas, nec Græcorum Eccleſiæ Apocalypſin Ioannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos utramque ſuſcipimus, nequaquam hujus*

hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes. Quintò, Ipsi Pontificii non consentiunt inter se de authoribus multorum librorum Canonicorum: nam, ut taceam veteris Testamenti libros, dubitant quidam etiam inter eos de authoribus quarundā Epistolarum, videlicet Epistolæ ad Hebræos, secundæ Epistolæ Petri, secundæ & tertiæ Iohannis. Item de authore Apocalypseos. Vide Melchiorem Canum Lib. 2. de Locis, Cap. 11. respons. ad argumentum 8. 9. 10. & 11.

At (inquis) non nisi divina fide nititur tam constans & antiqua fides. Respondeo: fides divina non nititur nisi Traditione Divina. At fides humana, qualis est ea quam de plerisque librorum Canonicorum scriptoribus habemus, niti potest traditione humana, etiam quamvis constans & antiqua sit. Nam constante & antiqua fide novimus libros Platonis, Aristotelis, Ciceronis, esse ab istis authoribus conscriptos. Imò tam constans & certa est hæc humana fides, *ut de istorum librorum authoribus dubitare dementis sit, utq; ridendus sit, non refellendus, qui de iis quæstionē movet.* Ita loquitur Augustinus contra Faustum Manichæum, Lib. 32. Cap. 21. & Lib. 33. Cap. 6. ubi etiam apertè docet 4.

docet nos eodem modo *ſcire has literas eſſe Apoſtolorum*, quo Manichæi ſciebant literas Manichæi eſſe Manichæi, videlicet, fide humana fundata in *temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua.*

PVNCTVM QVARTVM.

An Traditio de integritate, ſeu puritate, & perfectione Scripturæ ſit verè Divina? & an ſit in numerum Traditionum non ſcriptarum aſcribenda?

1. 

ERTIVM illum errorem, de quo loqueris §. 5. peſſima fide mihi attribuis. Primò enim, loco à te citato, non loquor univerſaliter de omnib⁹ Traditionibus non ſcriptis, ſed ſpeciatim de Traditionibus illis quibus numerus, & auctores librorum Canonicorum nobis proponuntur. Secundò, non doceo quam neceſſaria ſit harum Traditionum notitia, aut an magis vel minus neceſſaria ſit quam peritia trium Linguarum principalium, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & do-

ctrinæ veteris Ecclesiæ, sed tantum generaliter, & absolutè affirmo earum notitiam Historicam, non verò fidem divinam esse necessariam in Ecclesia: atque sic indico eas cum tribus prædictis exemplis in hoc convenire, quod tam de his, quam de illis, in Pastoribus Ecclesiæ requiratur notitia humana, seu naturalis, non vero fides divina.

At (inquis) *neutra peritia, id est, nec trium linguarum, nec Ecclesiasticæ Historiæ notitia connectitur cum veritatibus fide divina creditis, tanquam conclusio necessariò consequens, vel principium necessariò præsuppositum, & in iisdem implicitè inclusum, qualiter tamen connectuntur veritates plurium Traditionum non scriptarum cum dogmatibus divina fide creditis.* Hinc infers omnem in istis, id est, in Traditionibus non scriptis, errorem esse contra fidem divinam, in illis verò, id est, in linguis principalibus, & in Ecclesiastica Historia non nisi contra Grammaticam, vel humanam historiam. Idque illustras, ac confirmas hoc exemplo: *Qui negaret quatuor Evangelia quæ hodie extant, & leguntur in Ecclesia, esse eadem quod verba & sensum cum autographis quæ suis* 2.

manib

manibus quatuor Evangelistæ dictante Spiritu sancto exceperunt, erraret contra fidem divinam, &c.

3. Respondeo primò: Quod in antecedẽte argumẽti tui asseris de cõnexione plurium Traditionũ cum veritatibus fide divina creditis, id nihil cõtra me facit. Nã Traditio cõparativa de numero librorũ Canonicorũ, & Traditiones de eorundem scriproribus,(de quibus solis ego dissero loco citato) nequaquam sic connectuntur cum veritatibus fidei: hoc est, neq; sunt conclusiones necessariò ex iis consequentes, neque principia necessariò præsupposita, & in iisdem implicitè inclusa. Secundò consequenter dico eos qui in his Traditionibus errant,non errare contra fidem divinam. Qui enim negant tot libros Canonicos nunc extare quot olim extiterunt, aut Epistolam ad Hebræos esse Pauli, aut secundam & tertiam Iohannis esse Iohannis Apostoli, illi multis gravibus & eruditis viris errare videntur: at non videntur errare contra fidem divinam, nec ob id hæretici vocantur.

4. Quod ad exemplum illud in contrarium à te allatum attinet; Respondeo te hîc ea confundere quæ distinguenda sunt. *Primò* enim aliud est negare hæc quatuor Evangelia,quæ nunc extant,esse ejusdem authoritatis

tis cum autogrophis primò Ecclesiæ datis: aliud vero negare hæc quatuor Evangelia esse eadem quoad verba & sensum cum prædictis autographis, atque adeo ea nullam unquam mutationem passa esse: Prius illud est error contra fidem Traditionis verè divinæ. Nam Traditio de divina authoritate Evangeliorum quæ hodie extant est verè divina, sed non est annumeranda Traditionibus non scriptis, ut patet ex is iis quæ dicta sunt puncto 1. §. 6. at posterius contingere potest absque ullo errore contra fidem ut patebit ex distinctione sequente.

Secundò aliud est negare Evangelia, quæ hodie extant, esse eadem quoad verba et sensum cum primis seu Apostolicis exemplaribus, in rebus ad fidem et mores pertinentibus, aliud vero negare ea esse eadem cum prædictis exemplaribus seu autographis, in aliis quæ minoris momenti sunt, et non pertinent ad substantiam doctrinæ. Hoc posterius fieri potest sine ullo errore in fide. Nam v. g. si quis diceret editionem originalem quatuor Evangeliorum esse quibusdam in locis vitiatam et corruptam, additione, vel detractione vocum quarundam, aut forte etiam sententiarum, salva interim manente substantia doctrinæ, et Evangelicæ Historiæ veritate, is non erraret contra fidem, nec labe- 5.

facta-

iactaret divinam et Canonicam authoritatem istius editionis. Ipsi enim Pontificii non diffitentur hujusmodi defectus et vitia observari posse in vulgata editione Latina quam Concilium Tridentinum declaravit esse authenticam. Unde Bellarm. Lib. 2. de verbo Dei, Cap. 11. §. *Nam vulgata*, de vulgata editione Latina sic scribit: *Nec ita tamen hanc editionē approbavit Ecclesia, ut asseruerit nullos in ea librariorum errores reperiri, sed certos nos reddere voluit, in iis præsertim, quæ ad fidem, & mores pertinent nulla esse in hac versione interpretum errata*. Non negat igitur Bellarminus librariorum errores, imo et interpretum errata in iis quæ ad fidem et mores non pertinent, reperiri in vulgata editione Latina, quam tamen, hoc non obstante, authenticam et infallibilem esse docet. Idem etiam sæpius affirmat Gretserus in Defensione Lib. 2. de Verbo Dei, Cap. 11. Colum. 560. 573. et 574. Item Sixtus Senensis Lib. 8. Bibliothecæ, Andradius in Defens. Concil. Tridentini, Lib. 4. Pag. 618. Vega et Marcellus Papa 2. ab Andradio illîc citati, Franc. Lucas Brugensis, in Epistola Dedicatoria quam præfixit libello 2. de variis lectionibus in Latinis Bibliis, et alii multi de quibus vide

Gretserum Tractatu de novis translationibus, et Franciscum Lucam loco citato.

6. At prius illud manifestum errorem contra fidem involvit. Quicunque enim dicit historiam Evangelicam esse in rebus ad fidem et mores pertinentibus corruptam et adulteratam, is errat contra fidem Traditionis vere divinæ de substantiali integritate, seu puritate, et perfectione sacri Canonis. Cujus veritatem (ne forte videatur vobis esse Traditio non scripta) ex ipsa Scriptura demonstrare possumus. Patet enim ea primò ex conspiratione et consensu omnium dogmatum in Scriptura propositorum, quæ sanè consistere nequit cùm corruptione sacri contextus in rebus ad fidem et mores pertinentibus. Nam ubi falsa veris, et humana divinis admiscentur, ibi manifesta apparet non tantum dissimilitudo, sed etiam discrepantia, et contrarietas dogmatum. Secundò, sacræ Scripturæ finis (quem Deus Scripturæ author sibi propositum habet) est ut nos *credamus* seu veram fidem amplectamur, *& ut credentes vitam æternam habeamus in nomine Christi*, Ioan. 20. 31. Item, *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus*, 2. Timoth. 3. 17. et *ut habeamus ἀσφάλειαν earum rerum de*

quibus

quibus instituimur, à pastoribus Ecclesiæ, *Luc.* 1. 4. At Deus hunc finem non assequetur per Scripturam, si contingat eam aliquando corrumpi, aut vitiari in rebus ad fidem & mores pertinentibus. Tertiò, Deus vult Scripturam esse nobis regulam fidei usq; ad diem judicii. Ergo non patietur eam ita mutari, aut corrumpi ut fiat inepta ad regulandam & dirigendam fidem nostram. Probatur antecedens ex verbis Petri 2. Epist. Cap 1. v. 19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum: cui rectè facitis quod attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris*, id est, usque ad *diem judicii*, *& fælicitatis æternæ*, ut interpretantur Augustinus, ac Prosper *& major pars expositorum*, fatente Lorino in Comment. in 2. Petri Cap. 1, v. 19, pag. 660. Quartò, Ecclesia est extructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Ergo Deus non patietur libros Prophetarum & Apostolorum corrumpi ac depravari, alias fundamentum Ecclesiæ labefactaretur & convelleretur.

7. Gretserus in Defensione Cap. 12. Lib. 4. de Verbo, Col. 1840. ex perpetua conservatione Ecclesiæ colligit perpetuam conservationem

nem traditionũ: *Omnia (inquit) illa Scripturæ loca quæ Ecclesiæ perpetuam conservationẽ pollicentur; pollicentur itidem traditionum non interruptã conservationẽ.* Et hanc suæ assertionis rationem reddit, *Ecclesia (inquit) subsistere non potest sine veritate doctrinæ; ad veritatem vero doctrinæ spectant quoq; traditiones*: quasi diceret, ad veritatem doctrinæ spectant non solum Scripturæ, sed etiam Traditiones. Argumentum itaque Gretseri de Traditionibus divinis petitum à promissionibus, quæ in Scriptura extant de perpetua Ecclesiæ conservatione, non excludit, sed manifestè includit Scripturas sacras, & pariter probat eas perpetuò incorruptas servari. Vnde ut Gretseri verbis utar sic argumentor. *Ecclesia subsistere non potest, sine veritate doctrinæ; ad veritatem vero Doctrinæ imprimis spectant Scripturæ sacræ. Ergo necesse est eas incorruptas conservari* (intellige quoad substantiam doctrinæ) *si Ecclesia incorrupta conservanda est, et si implendum est illud,* Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

PUNCTUM QUINTUM.

An poßibile sit regulam aliquam inanimatam, qualis est Scriptura, esse perfectam, & sufficientem fidei regulam.

1. 

E Priori ratione à me proposita ad probandum, *Scripturam sacram non esse ideo imperfectionis arguendam, quia satisfacere nequit quæstionibus, quæ moventur de numero, & auctoribus partium ipsius*, satis ad necessitudinem rei dictum est. Nunc progredior ad posteriorem rationem, quam hoc syllogismo expressi; Quod perfectissimus Canon præstare non potest, illud ad Canonis perfectionem non requiritur. At perfectissimus Canon satisfacere nequit quæstionibus, quæ moventur de numero & auctoribus partium ipsius. Ergo hoc ad Canonis perfectionem non requiritur. Major hujus syllogismi per se clara & manifesta est: Minorem confirmavi §. 4. istius quæstionis de qua nunc agitur. Tu eam

eam negas; sed ejus confirmationem in tantum admittis, quantum sat est ad stabiliendam assertionem nostram. *Neganda* (inquis) *est minor. Nec quod ad ejus probationem affertur aliud probat quam nullum Canonem inanimatum, qualis est omnis Scriptura, posse satisfacere quæstionibus deinceps de hac ipsa Scriptura movendis, sed necessarium esse alium Canonem vivum per modum Iudicis.*

Hîc tria dicis, aut saltem innuis: Primò medium hujus syllogismi à me propositi nihil probare contra vos; Secundò id contra nos demonstrare necessitatem regulæ animatæ; Tertiò nullam regulam inanimatam posse esse plenam, & sufficientem fidei regulam. 2.

Ego contra dico, Primò hoc argumentum sufficienter contra vos probare Scripturam non esse ideo imperfectionis arguendam quia quæstiones de numero & auctoribus librorum Canonicorũ ex ea dirimi nequeunt. Nullus enim Canon *inanimatus*, ut ipse fateris, hoc præstare potest. Ergo hoc non requiritur ad perfectionẽ Canonis *inanimati*, qualis est Scriptura; & per consequens argumenta vestra hinc allata ad demonstrandam Scripturæ imperfectionem, non sunt valida.

 Secun-

3. Secundò dico id non probare contra nos necessitatem regulæ animatæ. Nam quæstiones illæ de numero & authoribus librorum Canonicorum, de quibus procedit argumentum, non sunt de rebus necessariò credendis; imò non sunt de iis rebus quæ fide divina credi possunt: & proinde non necessariò requiritur aliqua fidei regula, sive animata, sive inanimata, ad hujusmodi quæstiones determinandas. Possunt enim manere (sicut revera manent) indeterminatæ, sine ullo Ecclesiæ dispendio, aut detrimento.

4. Tertiò dico te falsò asserere nullam regulam inanimatam posse esse perfectam fidei regulam. Primò enim ratio qua nititur hæc tam audax assertio, videlicet ratio petita ab ineptitudine Canonis inanimati ad satisfaciendum quæstionibus quæ moventur de numero & authoribus partium ipsius, jam est confutata. Secundò eadem ratio multò verius, & efficacius probat regulam vestram animatam non esse perfectam. Ecclesia enim Romana non potest satisfacere quæstionibus quæ de ea moventur, ut patet ex Tract. 5. Cap. 22. §. 3. 4. 5. & 9. Tract. 7. Cap. 6. & Tract. 8. Cap. 4. Tertiò cum dicis nullam regulam inanimatam posse esse perfectam & sufficientem fidei divinæ regulam, contradicis Scholasticis, ut v. g. Thomæ parte 1. quæst. 1. Art. 8. & parte 3. quæst. 1.

Art. 3. Scoto quæst. 2. Prologi in libros Sententiarum, Cameracensi in 1. Sentent. quæst. 1. Liter. E E. Durando in præfat. in libros Sententiarum, Anton. Florent. Tom. 3. Tit. 18. Cap. 3. §. 3. & aliis, asserentibus Scripturam esse perfectam regulam credendorum.

Contradicis etiam Bellarm. Lib. 4. de Verbo Dei, Cap. 12. Becano Tract. de fide Cap. 7. §. 5. Coppensteinio in Epitome Controv. part. 1, quæst. 5. omnibusque aliis, qui docent ex Scriptura & Traditione non scripta constitui unam perfectam & totalem fidei regulam: Nam non solum Scriptura, sed etiam Traditio non scripta, hoc est, *doctrina quæ non est scripta à primo suo authore* (ita enim ipse definis Traditionem Cap. 4. §. 6.) ad regulas inanimatas spectat. Imò, quod minus ferendum est in homine Romano-Catholico, repugnat hæc tua assertio Decreto primo Sessionis 4. Concilii Tridentini ubi definitum est, *salutarem veritatem & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ab Apostolis acceptæ sunt*. Quibus verbis apertè indicant Tridentini patres perfectã & totalẽ fidei regulam, cõstitui ex Scriptura & Traditionibus non scriptis. Eorú enim scopus illic est assignare plenam et perfectam fidei regulam, ut omnes fatentur. 5.

6. At ex tua sententia sequitur plenam ac perfectam fidei regulam ex Scriptura & Traditionibus non scriptis non posse constitui. Primò enim neque ex Scriptura, neque ex Traditionibus non scriptis dirimi possunt quæstiones omnes quæ moventur de numero et auctoribus librorum Canonicorum; item de numero verarum Traditionum divinarum. Nam de hujusmodi rebus neque extat satis aperta revelatio in Scriptura, neq; habetur constans et perpetua Traditio ab Apostolis derivata. Verbi gratia non habetur constans et perpetua Traditio de authore Epistolæ ad Hebræos, nec de numero librorum Canonicorum, qui olim in Ecclesia Iudaica, et in primitiva Ecclesia Christiana extabant. Similiter nihil certi, vel ex Patrum scriptis, vel ex Conciliorum Decretis, vel ex definitionibus præsentis Ecclesiæ de numero Traditionum non scriptarum colligi potest.

7. Secundò regula constans ex Scriptura et Traditionibus non scriptis est regula inanimata, Ergo, secundum te, non potest esse perfecta. Novi equidem te Cap. 4. tui libri §. 5. revocare Traditiones non scriptas ad regulam fidei animatam; Sed ridiculè et ineptè; Nã Traditiones nihil aliud sunt nisi dogmata fidei non scripta: seu, ut ipse loqueris, loco citato, *doctrina quæ non est scripta à primo*

su

suo authore. At doctrina est quid inanimatum, ut cuivis per se patet. Præterea Traditio ex vestra sententia est regula Ecclesiæ, saltem partialis. Ergo est quid distinctum ab Ecclesia.



QUÆSTIO SEXTA.

An praeunte externa Ecclesiæ testificatione, & interna Spiritus sancti illuminatione, ipsa Scriptura, insita sua luce, virtute, & majestate, divinam suam authoritatem nobis sufficienter manifestet?



RESPONDENT *Orthodoxi affirmativè, suamque sententiam probant luculenter validißimis argumentis ex Scriptura petitis: videlicet ex* 19. Psal. vers. 7. 8. 9. 10. Psal. 119. versus 105. 119. et 140. Hebr. 4. 12. 1. ad Thess. 2. 13. 1. Cor. 2. 4. *&c. Ego iis omißis, quæ ab aliis tam fuse tractata sunt, hanc nostram Aßertionem ipsorum Adversariorum confeßionibus confirmabo. Multi enim Ponti-* 1.

ficii Doctores fatentur ipsam Scripturam esse suæ divinitatis testem sufficientem, præsupposita videlicet Ecclesiæ testificatione: Bellarm. Lib. 1. de Verbo Dei, cap. 2. *tribus argumentis ex ipsa Scriptura petitis probat, libris qui Canonici nominantur Verbum DEI contineri: videlicet, Primò ex veritate vaticiniorum. Secundò ex incredibili concordia tot virorum qui diversis locis, temporibus, occasionibus, linguis, sacra volumina conscripserunt. Tertiò ex Prophetarum, & Apostolorum asseveratione, qui affirmant sua scripta esse DEI ipsius Verbum.*

2. MVLHVSINVS, in Auctario primo speculi miseriarum DAVIDIS PARÆI, & GRETSERVS, in Defensione, capitis secundi, libri primi de Verbo, colum. 37. *aperte asserunt* ex ipsis Scripturis, saltem apud aliquos, fideles videlicet, probari posse eas Dei Verbum continere. Staplet. apud Whitt. lib. 1. de authorit. Scripturæ Cap. 9. §. 8. *dicit Sacram* Scripturam seipsam, fidelibus probare, et commendare. *Et* Lib. 2. cap. 5. §. 8. *manifestè agnoscit illa interna criteria, & divinitatis indicia, ex quibus nostri Theologi sacræ Scripturæ Canonicam authoritatem colligere solent: videlicet,* phrasin Propheticam et Apostolicam, rerum divinarum et gravissimarum tractationem, scribendi gravitatem, sermonis castitatem.

3. Gretserus in tractatu de agnoscendis Scripturis Canonicis, Cap. 4. colum. 1886. *non solum*

lum illa criteria, seu divinitatis certissima indicia in Scripturis agnoscit, sed etiam iis maximam efficaciam, & inflammatoriam virtutem ad persuasionem de Divina Scriptura authoritate, in animis nostris continuandam, & intendendam *tribuit. Vult quidem nos primò Scripturis ut Divinis assentiri propter Ecclesiæ testimonium: postea tamen hunc assensum* continuari & intendi, *hoc est, magis, aut firmius, nos credere Scripturis,* propter insitas illas Divinitatis notas *affirmat.*

Denique, Gregorius de Valentia, Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. Punct. 4. colum. 80. *de doctrina Christiana in sacro codice scripta sic loquitur*: Etsi enim est scripta verbis simplicibus, et caret fere artificio orationis, et ornamentis: nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut alia nulla doctrina, quod argumento est, illius authoritatem omnino diuinam esse, non humanam: hæc enim sine verborum arte, et orationis quasi lenociniis ad efficiendum animorum motum non valet. 5

QUÆSTIO SEPTIMA.

An sacra Scriptura credatur esse Divina & Canonica propter se.

Resp.

1. ESPONDETUR affirmativè 1. enim scriptura in doctrina religionis principii locum habet, ut fatetur Stapler. Lib. 3. de authorit. Script. Cap. 16. §. 1. & 3. Ergo creditur propter se. Respondet Staplet. ibidem: Quemadmodum scientiarum principia propter tarditatem nostram demonstrantur à posteriori, & primò à nobis creduntur propter authoritatem professorum, & magistrorum qui scientias docent; sic Scripturæ per Ecclesiam, ejusq; testimonium à posteriori demonstrantur, ut à nobis videlicet acceptentur, & ut divinæ suscipiantur. Hæc responsio non satisfacit: quamvis enim scientiarum principia primò suscipiantur, & vera esse credantur propter authoritatem docentium, & argumenta à posteriori, postea tamen iis assentimur, non propter aliquod externum medium, sed propter seipsa: quia, videlicet sua luce clara sunt. Pari igitur ratione, quamvis hoc primarium Theologiæ principium, S. Scriptura est Dei verbum, primò credatur propter authoritatem docentium, hoc est, pastorum Ecclesiæ, postea tamen sancto Spiritu mentes nostras illustrante, ut illius principii indemonstrabilem veritatem percipiamus, isti principio non propter aliud, sed propter se assentimur.

2. Et certè si huic propositioni, S. Scriptura est Dei Verbum, semper propter aliud, & nunquam propter

propter se, assentiremur, illa plane indigna esset quæ principium vocetur. Nam *principium, definiente* Aristotele 1. Top. Cap. 1. est quod non ab alio, sed à seipso fidem habet. *Vel igitur tandem huic propositioni propter se, assentiendum est, vel dicendum est eam verè & propriè non esse principium.* Staplet. *loco jam citato hoc percipiens aperte asserit,* Scripturam ita esse in religione principium, ut tamen vox Ecclesiæ prior sit. *Hujus assertionis duplex esse potest sensus: cum enim dicit* Ecclesiæ vocem esse priorem, *vel intelligit Ecclesiæ vocem, ac testificationem esse medium solummodo a* DEO *institutum ad fidem eam producendam, qua Scripturæ authoritas creditur, & sic ejus assertio vera est: nihilq; derogat dignitati, aut indemonstrabilitati hujus principii,* Scriptura est DEI Verbum. *Professorum enim, seu Magistrorum instructio præcedit assensum quem Discipuli scientiarum principiis præbent; estque medium ordinarium, ad illum assensum producendum, institutum: at nihilominus illa principia verè & propriè dicuntur principia, qui videlicet, tandem iis propter se assentiuntur Discipuli. Vel intelligit Ecclesiæ testimonium esse primarium, &* principale fundamentum *assensus nostri, quem habemus huic principio,* Scriptura est DEI Verbum, *seu ut planius dicam, esse* formalem rationem *propter quam huic principio assentimur: Et sic ejus assertio falsissima est; ut patet tum ex argumentis contra hanc sententiam* quæst. 1. *allatis, tum ex*

*ex adversariorum confeßionibus ibidem propositis, &
citatis.*

3. *Secundò revelatio Divina creditur propter se, ut fatentur ipsi Adversarii; videlicet* Valentianus Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 10. & Becanus in Summa Theologiæ, parte secunda, Tom. post. Tract. 1. Cap. 1. quæst. 2. §. 5. & Cap. 8. quæst. 8. §. 8. *aliique omnes, qui dicunt revelationem Divinam esse formale fidei objectum: nam formale objectum fidei non propter aliud, sed propter se creditur. Ergo etiam revelatio scripta, seu revelatio in Scriptura facta creditur propter se.*

4. *Tertiò revelatio Divina revelat seipsam, hoc est, divinam suam autboritatem nobis manifestat. Vide* Valent. *loco jam citato,* §. 5. colum. 28. *dicit* Fidem præbere assensum revelationi ut revelatæ, non per aliam revelationem, sed per seipsam. *Ergo etiam revelatio in Scriptura facta, seu Divina sacris literis comprehensa, seipsam revelat.*

5. *Quartò, fatentur Pontificii in revelatione Divina quiescendum, & non ulterius progrediendum esse. Vide* Becan. *Iesuitam loco jam citato, & in Opusculo de circulo* Calvinistico, §. 25. *At in revelatione divina sive scripta, sive non scripta, fides nostra quiescere non potest, nisi illa revelatio nos de divina sua autboritate certos reddat. Si enim certitudo nostra de divina ejus autboritate aliunde petenda est, fides nostra in illa ipsa revelatione tanquam in ultimo resolutionis termino, sistere, aut quiescere non poterit; sed necessariò ab-*

alia externa media progredietur, ex quibus plenam certitudinem de illius revelationis divina authoritate haurire potest.

Quinto aut admittendus est processus in infinitum in revelationibus divinis, aut tandem deveniendum est ad revelationem aliquam quæ propter se creditur nosque de divina sua authoritate certos reddit. Ratio manifesta est: quia fides nostra sola DEI revelatione, seu DEI solius testimonio nititur: Fides igitur qua credimus hanc revelationem esse divinam nititur aliqua revelatione divina, seu aliquo Dei testimonio, & proinde vel nititur hac ipsa revelatione vel aliqua alia. Si nititur hac ipsa revelatione habemus quod volumus: nam sic hæc revelatio nos de divina sua authoritate, certos reddet. Si aliqua alia, eadem quæstio de illa altera revelatione movebitur; unde videlicet constet eam esse divinam. Si ex ea ipsa revelatione hoc constet, habemus rursus id quod volumus: videlicet revelationem divinam nos de divina sua authoritate certos reddere. Si ex aliqua alia revelatione hoc constet eadem quæstio recurret de illa revelatione, unde videlicet constet eam esse divinam? & sic aut dabitur progressus in infinitum, aut deveniendum est tandem ad aliquam revelationem, quæ propter se creditur, quæque de divina sua authoritate nos certos reddit. Si autem ulla revelatio est talis, procul dubio ea est revelatio scripta: seu S. Scriptura: in ea enim sunt maxime illustria, & clara divinitatis indicia: ideoque, si ea nos de divina sua authoritate cer- 6.

tos

tos reddere nequeat, multo minus hoc expectandum erit, ab aliqua revelatione non scripta seu traditione.

6 Sextò, Pontificii profitentur se credere Scripturæ divinam authoritatem, non propter Ecclesiæ testimonium, sed propter revelationem divinam, ut supra sub finem quæstionis primæ ex Becan. & Valent. observavi. Quærimus igitur ubi inveniatur revelatio ista propter quam credere debemus, Scripturam esse DEI Verbum? Si dixerint eam inveniri in Scriptura, habemus quod volumus: videlicet, Scripturam nos de divina sua authoritate certos reddere. Si dixerint eam esse revelationem, aut traditionem non scriptam, statim quæremus unde constet eam revelationem non scriptam esse divinam? Deniq; si dixerint eam revelationem neq; verbo scripto, neque traditione contineri, sed esse internam, & arcanam revelationem, immediatè in singulorum fidelium cordibus a sancto Spiritu factam, si inquam hoc dixerint, merito ab omnibus piis, & prudentibus viris, cum Anabaptistis, Swenckfeldianis, & Libertinis explodentur.

7 Septimò, hujus sententiæ veritas, patet ex aliarum refutatione, fides enim qua Scripturæ authoritas creditur, neque nititur Ecclesiæ testimonio, neque Traditione non scripta, neque interno sancti Spiritus testimonio, ut fundamento suo principali, aut formali ratione assentiendi, ut jam probatum est. Ergo nititur ipsa sacra Scriptura, & internis ejus criteriis.

REP.

Replicatio Turnebullii,

Quam quæstioni 7. opposuit, Cap. 10. sui Libri.

Punctum Primum.

Scripturam non credi propter se, sed propter increatam inspiratoris auctoritatem.



VOMODO non vereris, Minister Baro, ne quis te suspicetur factum Idololatram, quando prima parte tuæ Disput. Sect. 5. §. 5. & iterum secunda parte quæst. 7. contendis Scripturam non propter aliud, sed propter seipsam credi? Cap 10. §. 1.

Quia nec major, nec planior idololatria fingi potest, quàm qua honor uni Deo debitus, tribuitur creaturæ, præsertim inanimatæ, ut si quis diceret creaturam aliquam in ratione ultimi finis, & summi boni esse propter se diligendam. Tu autem citatis locis quiddam simile pronuncias, quando quod Deo spectato in ratione primæ veritatis est proprium, tribuis inanimatæ Scripturæ. Loqueris ergo tanquam idololatra. Major notior est ex terminis, quàm ut negari possit. Probatur minor, quia esse formale objectum, quod à virtute Theologica

propter

propter se, & non propter aliud attingitur, & propter quod attinguntur cætera objecta materialia ejusdem virtutis, est proprium solius Dei. Fides autem, de qua disputas, est virtus Theologica. Solus ergo Deus in ratione primæ veritatis est, qui propter se creditur, & propter quem creduntur cætera revelata.

2. Quomodo suspicionem ejusdem in te superstitionis non auges, quando quæst. ibidem 8. *Ipsa*, inquis, *Scriptura interna sua luce, virtute, & majestate divinitatem suam manifestans est principale fundamentum illius Fidei, qua sacræ Scripturæ divina auctoritas creditur?*

Dic quid nomine internæ lucis, quam hic Scripturæ tribuis ad excludendam necessitatem externi objecti formalis intelligis?

Visne dicere Scripturam seipsa ita ubique manifestam esse, ut nullibi sit obscura, & de numero non apparentium? At sic te condemnat uterque Apostolus Hebr. 11. & 2. Petri 3. Dic iterum quid nomine divinitatis ibidem significes? Num aliquid cum interna illa luce conjunctum pariterque Scripturæ internum? At quomodo sic Scriptura non sit vobis numen, non apparet? Num increatam perfectionem inspiratoris, quam vocamus primam in testando veritatem? At sic manifestum est Scripturam non credi propter seipsam, & internam ei lucem, sed propter externam, æternamque inspiratoris auctoritatem. Forte nescis quid dicis, vel de quo affirmas, uti de sui temporis novatoribus dixit Apostolus. Tribuat tibi Deus intellectum primi principii, primæque in testando veritatis, in quam tanquam in formale objectum, nisi fatearis retexi Fidem,

quæ

quæ Scripturis debetur, velis, nolis, censeberis Idololatra.

Objicis multa, quæ tamen reipsa non sunt plura duobus, si tautologiis liberentur. Primum. *Dicunt Pontificii Scripturæ auctoritatem credi debere propter revelationem divinam. Attamen nec docent, nec docere possunt, ubinam inveniatur illa divina revelatio? Vel enim est ipsa Scriptura, vel est Traditio aliqua divina non scripta. Si est Scriptura, habemus* inquis, *quod volumus, &c. Si est Traditio non scripta, eadem quæstio movebitur de illa Traditione, Unde videlicet constet eam esse divinam? Illa enim Traditio non potest esse idoneum Fidei meæ fundamentum, nisi firma & certa Fide credam eam esse Dei ipsius verbum. At unde hoc sciam? non ex illa Traditione: quia sacra Scriptura (ut docent Pontificii) nos de divina sua authoritate certos reddere nequit. Ergo pari ratione hæc Traditio non scripta non potest nos de divina sua auctoritate certos reddere.* 3.

Hujus argumenti laqueos jactitas esse nobis inexplicabiles, iisque constrictum & coactum Gregor. à Valentia concessisse, quod vos contenditis. At ego contendo, &c. 4.

Vide cætera Tract. 4. hujus operis pag. 149. 150. & 151. Vide etiam ibidem pag. 169. & sequentibus partem illam nostræ Duplicationis, in qua argumentum supra propositum ab adversarii cavillis vindicatur.

PVNCTVM SECVNDVM.

Scripturam ita esse principium in doctrina Religionis, ut tamen credatur propter aliud.

6. 

LTERA tua Objectio: *Scriptura in doctrina Religionis habet locum principii. Ergo propter se creditur esse Dei verbum.* Consequentiam probas à paritate rationis in principiis Scientiarum, *quæ licet primo addiscantur ex auctoritate docentum, vel argumentis a posteriori, postea tamen iis assentimur, non propter aliud externum medium, sed propter se ipsa: quia videlicet sua luce clara sunt. Pari ratione quamvis hoc Theologiæ principium. Scriptura est Dei verbum, primò credatur propter auctoritatem Pastorum Ecclesiæ, postea tamen Spiritu sancto mentes nostras illustrante, ut illius principii indemonstrabilem veritatem percipiamus, tunc isti principio non propter aliud, sed propter se assentimur. Secundò ab incommodo, quia alioquin indigna esset Scriptura quæ vocetur principium definiente Aristotele* 1. *Topic. cap.* 1. *principium esse, quod non aliunde, sed à seipso fidem habet.*

Respondeo, nec vlaere consequentiam, nec vel vera, vel à coutradictione libera esse, quæ in ejus probationem assumuntur. Infirmitas consequentię patet in quavis alia regula credendi, quæ simul cum credi potest ob Dei testantis auctoritatem, tum esse principium credendi aliud, inde Theologica demonstratione deductum. Nam Theologica demonstratio licet immediatè non gignat actum fidei, ostendit tamen conclusionem, quæ credi potest & debet eadem Fide, & propter eandem auctoritatem; propter quam creditum est illud principium. Cæterùm quàm fallaci comparatione nitantur, quæ ad probandam hanc consequentiam à te proferuntur, vel inde patet quod comparationem instituas inter principia penitus heterogenea. Quorum diversitas vel teste Philosopho 7. Physic. solet sua æquivocatione fallere imperitos. Quàm enim distat divina Fides ab humana scientia, tam utriusque principia distant ab invicem in ratione, modoque dandi originem suis actibus. 7.

Sed speciatim prior tua probatio trifariam refellitur. Primò. Quia vel est sermo de primis & indemonstrabilibus principiis scientiarum simplicium nulli superiori subalternatarum, sed sibi alias subalternantium? At hoc sensu neganda est paritas rationis. Nam talium principiorum philosophicorum non est scientia, sed intelligentia, ut patet 6. Ethic. Scriptura verò creditur esse Dei verbum per eandem Fidem, per quam creditur res per Scripturam revelata. Vel extenditur tuus sermo ad principia quarumvis scientiarum etiam superioribus subalternatarum? At hic sensus nihil confert ad consequentiam probandam, sed potiùs obstat. Nam sicut principia scientiarum inferiorum sunt 8.

conclusiones à superioribus demonstratæ, ita quævis regula Fidei potest tum uno actu credi propter Dei testantis auctoritatem tanquam conclusio, tum esse principium exemplare credendi alio actu veritatem inde consequentem.

9. Præterea primorum principiorum philosophicorum termini sunt ex natura sua connexi. Vnde ut ab intellectu connectantur, non indigent nisi debita singulorum apprehensione definitiva. At hoc principium Fidei *Scriptura est verbum Dei*, non est notum ex terminis, nisi subintelligatur divinitus inspirata. In particulari autem discretio Scripturæ divinitus inspiratæ à non inspirata, non habetur ex apprehensione terminorum, sed aliunde. Nam indiget ope alterius regulæ non scriptæ, ut contra omnes Sectarios probatum est.

10. Denique apertè tibi contradicis, quando contendis principium hoc de quo est quæstio, quando creditur Fide humana propter auctoritatem Pastorum Ecclesiæ credi propter medium externum, quando verò creditur Fide divina non credi propter aliud, sed propter seipsum. Certè non potest credi Fide divina, nisi propter Dei testantis auctoritatem, sicut nec fide humana nisi propter humanam auctoritatem. At non minùs increata Dei auctoritas est externum medium, quàm humana rebus ab utroq; teste distinctis. Scripturam verò tam à Deo, quàm ab Ecclesia distingui manifestum est.

11. Altera probatio non minùs clarè claudicat. Nam ut tuam in te comparationem retorqueam. Sicut conclusio scientiæ subalternantis non est indigna vocari principium scientiæ subalternatæ, licet non esse, vel vi terminorum, sed per medium scientiale, neq;

nec fortè sine disciplina magistrorum innotuerit; ita nec Scriptura censeri debet indigna nomine principii, quamvis non propter se, sed propter inspirantis auctoritatem aliunde revelatam, aliaque regula propositam credatur. Philosophus verò 1. Topic. non loquitur de quibusvis principiis, sed de omnium tantùm primis, ut ibidem patet. Scripturam autem non esse primum principium credendi satis ante ostendimus.



AUTHORIS DUPLICATIO.

Punctum Primum.

Demonstratur Adversariorum imprudentia in agitanda adversus nos hac quæstione de ratione credendi Scripturæ authoritatem. Et primùm quia argumenta quibus contra nos hîc utuntur, non tantum contra nos, sed etiam contra totam Christi Ecclesiam militant.



ADVERSARIORUM imprudentia in agitanda hac quæstione, *Unde scis Scripturam esse DEI Verbum?* ex eo patet quod tres scopos, seu fines in hac Disputatione sibi propositos habeant, quos 1.

 neuti-

neutiquam assequuntur. Primus est probare Scripturam non esse perfectam & principalem fidei regulam, idque quia non potest satisfacere iis, qui dubitant de ejus authoritate, & proinde oportet eam ab alia regula superiori authoritatem suam emendicare. Secundus est ostendere fidem Evangelicorum, quam habent de primo Christianæ religionis principio, unde cæterorum omnium dogmatum firmitas pendet, id est, de Scripturæ authoritate, esse omnino incertam & instabilem: idque quia contemnunt præcipuum medium agnoscendæ Scripturæ Canonicæ, videlicet testimonium Ecclesiæ Romanæ. Tertius est demonstrare necessitatem regulæ animatæ, quòd videlicet necessariò agnoscenda sit judiciaria & infallibilis authoritas Ecclesiæ, quæ tanquam regula animata, in hac, & in omnibus aliis fidei controversiis consulenda est.

2. Quod ad primum eorum scopum attinet, manifestum est eos spe sua frustari. Primo enim (ut patet ex iis quæ dicta sunt quæst. 7. & infra magis patebit) fides qua credimus hanc revelationem esse verè divinam, seu hoc verbum esse Dei verbum, non nititur alia revelatione, sed hac ipsa. Ergo fides qua credimus verbum scriptum, seu sacram Scripturam esse verè Dei verbum, nititur ipsa

Scrip-

Scriptura: & per consequens Scriptura aliquid in se habet, quod nos de ejus divina authoritate certos reddere possit.

Secundò, si ad agnoscendã Scripturæ authoritatẽ, quando ea in dubium vocatur, opus est alia regula infallibili, viz. Ecclesia, tunc etiam ad agnoscendam Ecclesiæ authoritatem, quando ea in dubium vocatur, opus erit alia regula; & sic aut dabitur processus in infinitum, aut inter ipsas fidei regulas cõmittetur vitiosus circulus, probando hanc regulam per illam, & illam rursus per hanc. Ratio propositionis est, Primò quia quemadmodũ Scripturæ, ita etiam Ecclesiæ Catholicæ (& multò magis Ecclesiæ Romanæ, aut Romani Pontificis) authoritas in dubium vocari potest. Secundò Ecclesia per se, & seclusis aliis fidei regulis, non magis, imò minùs quam Scriptura, satisfacere potest illis qui de ejus authoritate dubitant, ut probatum est Tract. 5. hujus operis, Cap. 22. & Tract. 7. Cap. 6. 3.

Ex his patet argumenta vestra quibus contra nos hîc pugnatis, non tantum contra nos, sed etiam contra vos ipsos, imò contra totam Christi Ecclesiam militare. Probant enim nullam dari perfectam, & principalem fidei regulam, in qua fides sistere, & acquiescere possit; quia nimirum nulla fidei regula potest 4.

[si Scriptura non potest] nos de divina sua authoritate certos reddere. Satius igitur esset Scripturæ divinam & Canonicam authoritatem, tanquam primum fidei principium supponere, & abstinere spinosis illis quæstionibus de ratione & modo credendi Scripturæ authoritatem, quæ molestos & periculosos, imò perniciosos, & ad ipsum atheismum viam aperientes scrupulos Christianorum animis injiciunt. Et certè cum alicujus regulæ authoritas necessariò in S. S. Theologia supponenda sit, tanquam primum totius fidei principium, æquum est ut *hunc honorem timoremque* (phrasis est Augustini) sacræ Scripturæ deferamus. Primò enim ea *nihil est notius, nihil certius*, ut ait Bellar. Lib. 1. de Verbo, Cap. 2. & ejus authoritatem nullus Patrum, nullus Scholasticorum, nullus Canonistarum vel ignoravit, vel negavit, vel in dubium vocavit. At de infallibilitate Ecclesiæ in definiendis fidei controversiis, hoc dici non potest, ut patet ex Tract. 5. Cap. 18. & 19. Secundò quemadmodum in hac universi fabrica Deus exstare voluit certissimas notas potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ, ita etiam in Dei verbo elucent veluti vivis coloribus depicta arcanæ illius & reconditæ in Deo sapientiæ lineamenta. At de decretis seu definitionibus Ecclesiæ hoc dici
non

non potest: nam tam expressas atq; indubitatas divinitatis notas iis inesse ne ipsi quidem Pontificii dixerint.

Miranda est igitur impudentia Thomæ Stapletoni, qui Lib. 9. Princip. Doctr. Cap. 4. respondens ad id quod supra á me est observatum de Ecclesiæ infallibilitate, quod videlicet ea, non minus quam Scripturæ authoritas, in dubium vocari possit, audacter affirmat nullum Christianum Ecclesiæ authoritatem ignorare, vel simpliciter negare. *Respondetur* (inquit) *simile hoc non esse. Nam qui Ecclesiæ authoritatem vel omnino ignorat, vel simpliciter negat, fidelis omnino aut Christianus non est.----------- Dico autem omnino ignorare, vel simpliciter negare. Nullus enim hereticus est, qui vel omnino ignorat, vel simpliciter negat Ecclesiam (talis enim Ethnicus & infidelis potius dicendus est, quam hæreticus) sed aut falsam pro vera credit vel audit; aut ipsi veræ Ecclesiæ minus tribuit quam oportet. Fidelis autem & Christianus esse potest, & sunt multi, qui in reliqua fide à prima ætate instructi Scripturas nesciunt, donec vel studiis, vel alia aliqua ex causa, eas legere, vel audire incipiunt. Alii etiam*

qui

qui per totam ætatem eas nesciunt, &c. Hæc responsio Stapletoni duabus partibus constat. Prior est de Ecclesia; posterior de Scriptura.

6. Prior pars apertè falsa est. Primò, quia multi Catholici seu orthodoxi (intelligo eos qui vel revera orthodoxi sunt, vel saltem ab adversariis pro talibus habentur) tum Patres, tum Scholastici Doctores, Ecclesiæ infallibilitatem in definiendis fidei controversiis simpliciter negarunt, ut fusè probatum est Tract. 5. Cap. 18. & 19. Secundò, quia judiciariam infallibilitatem Papæ, quem Adversarii per Ecclesiam intelligunt (ut patet ex Valent. Tom. 3. Disput. 1. quæst. 1. Punct. 1. §. 6. & Gretsero in Defens. Lib. 3. de Verbo Dei, Cap. 10. Col. 1450.) Patres ignorarunt, multique Theologi Pontificii negarunt: imò hodie ab Ecclesia Romana tolerantur, & Catholici habentur, qui eam negant, ut patet ex Bellar. Lib. 4. de Pontifice, Cap. 2. Tertiò Stapletonus loco citato dicit Hæreticos *ipsi veræ Ecclesiæ minus tribuere quam oportet.* Ergo quidam Christiani Ecclesiæ infallibilem authoritatem negant. Nam hæretici non sunt infideles, aut Ethnici, ut ipse disertè illic asserit.

7. Ad posteriorem partem respondeo cum Whittakero Lib. 1. de authoritate Scripturæ,

Cap. 14. Sect. 2. non esse Christianum quempiam, qui Scripturas omnino ignoret. Omnes enim Christiani firmiter credunt divinam & infallibilem authoritatem Scripturæ *materialiter* acceptæ, id est, doctrinæ quæ in Canone Scripturarum continetur. Quod ad Scripturam *formaliter* acceptam, id est, systema seu collectionem librorum Canonicorum attinet, quamvis quidam indocti invincibili ignorantia illius laborent, tamen nullus unquam Catholicus cui eam legere contigit, ejus infallibilem & divinam authoritatem negavit, aut in dubium vocavit. At multi Catholici de Ecclesiæ infallibilitate dubitarunt, imò multi eam apertè negarunt, ut supra sæpius dictum est.

PUNCTUM SECUNDUM.

Eadem demonstratur, quia Evangelici utuntur omnibus necessariis & germanis mediis agnoscendi Scripturas Canonicas, quibus utuntur ipsi Pontificii.

Pro-

1. PROGREDIOR nunc ad secundum adversariorum scopum, quem etiam frustra attingere conantur Adversarii. Nam si certa & firma est fides quam ipsi de Scripturæ authoritate habent, nostram etiam fidem de eadem firmam & certam esse necesse est: quia nimirum nos utimur omnibus mediis agnoscendæ Scripturæ Canonicæ, quibus utuntur Pontificii, uno tantum excepto, quod quale sit, infra videbimus.

2. Profitentur Pontificii se quinque modis agnoscere librorum Canonicorum divinam authoritatem. Primò per Ecclesiæ testimonium. Secundò per traditionem Apostolicam de numero librorum Canonicorum. Tertiò per communia & externa fidei motiva: de quibus vide Scot. quæst. 2. Prologi in Libros Sentent. Bellar. Lib. 1. de Verbo Dei, Cap. 2. Valent. Tom. 3. Disput. 1. quæst. 1. Punct. 4. §. 3. Et Becan. Tract. de fide Cap. 6. Quartò per interna criteria, seu argumenta ipsi Scripturæ insita: & per revelationem in ipsa Scriptura factam. Nam interna criteria, seu divinitatis indicia in Scripturis agnoscunt, dicuntq; ea valere *ad Scripturam probandam, & commendandam fidelibus, & ad*

ad persuasionem de Scripturæ auctoritate in eorum animis continuandam & intendendam, Stapler. in Defens. Auctoritatis Ecclesiast. Lib.1. Cap.9. Sect. 8. & Lib. 2. Cap. 5. Sect. 8. Grets. in Tract. de agnoscendis Scripturis Canonicis, Col. 1886. Valent. Tom.3. Disp.1. quæst.1. Punct.4. §. 3. Et Suarez. Tract. de Fide Disp.5. Sect. 2. §. 4. & Sect. 3. §. 8. & 9. Similiter revelationem in ipsa Scriptura factam esse *rationem, in quam propriè respicit illa fides qua creditur Scripturæ auctoritas* docet Valentia Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 43. Col. 1245. Quintò per internum testimonium Spiritus sancti, seu fidei ipsius lumen: ei enim summam efficaciam tribuunt, ad certitudinem fidei de Scripturæ authoritate, & de omnibus aliis fidei dogmatibus, animis nostris ingenerandam, Hosius in Confess. Petricov. Cap. 16. Canus Lib. 2. de Locis, Cap. 8. pag. 47. et 48. Bellarm. de lumine fidei Concione 1. Stapler. Lib. 8. princip. Doctr. Cap. 2. et 3. et in Defens. Auctoritatis Ecclesiast. Lib. 1. Cap. 1. Sect. 7. et Lib. 3. Cap. 12. §. 11. Malderus in Secundam Secundæ Divi Thomæ Quæst. 1. Art. 1. Sect. 8. & alii.

Evangelici hæc omnia media agnoscendæ Scripturæ Canonicæ admittunt, & iis omnibus 8.

nibus utuntur ad stabiliendam & confirmandam suam fidem de Scripturæ auctoritate. Et proinde eorum fides de primo hoc fidei principio non minus certa est quam fides Pontificiorum: quia videlicet eodem modo, quo Pontificii, sciunt Scripturam esse DEI Verbum.

De Ecclesiæ testimonio.

4. ET primò quidem, quod ad Ecclesiæ testimonium de Scripturæ auctoritate attinet, de eo hæc profitemur. Primò testificationem Ecclesiæ præsentis esse conditionem necessariò requisitam ad credendam Scripturæ auctoritatē, quia viz. fides ex auditu est, ut docet Apostolus, Rom. 10. Secundò ex universali totius *Ecclesiæ* præsentis, seu omnium Christianorum nunc viventium consensu firmum peti posse argumentum, ad probandam alicujus libri Canonici auctoritatem. Vnde Augustinus Lib. 2. de Doctrina Christiana, Cap. 8. dicit eas Scripturas, *quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponendas esse iis, quas quædam non accipiunt*. Tertiò, ex perpetua & universali traditione, ac praxi totius Ecclesiæ ab Apostolorum sæculo usque ad hæc nostra tempora, haberi posse persuasionem humanam, eamque certam & infallibilem de divina et Canonica auctoritate eorum librorum, qui semper indubitati fuerunt,

runt, quique à nonnullis distinctionis gratia protocanonici appellantur: atque adeo perpetuam hanc Ecclesiæ Traditionem, singularem usum et efficaciam habere, tum ad stabiliendam, et confirmandam illam fidem qua librorum Canonicorum divina authoritas creditur, tum ad redarguendos et convincendos errores contrarios. Quartò, neque præsentis Ecclesiæ testificationem, neque perpetuam Ecclesiæ Traditionem esse principale medium per quod Deus librorum Canonicorũ authoritatem revelat; atque adeo neque in hanc, neque in illam ultimò resolvendam esse illam fidem qua Canonicorum librorum authoritas creditur. *Non enim si aditum nobis præbet Ecclesia* (verba sunt Melch. Cani, Lib. 2. Cap. 8, pag. 51.) *ad hujusmodi sacros libros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum est, sed ultra oportet progredi, & solida Dei veritate niti.*

De Traditione Apostolica.

DE Traditione Apostolica, qua singulorum librorum Canonicorum authoritas 5
declarata est, et Ecclesiæ proposita, tria tenenda sunt. Primò eos qui vixerunt Apostolorum sæculo habuisse ex eorum testimonio plenam et perfectam fidei certitudinem de libro-

librorum Canonicorum authoritate. Secundò talem ac tantam fidei certitudinem de librorum Canonicorum authoritate, ex Apostolica Traditione nunc haberi non posse. Tertiò ultimum et plenum assensum fidei illius, qua Scripturæ authoritas creditur, non in Traditionem hanc Apostolicam, sed in interna divinitatis indicia, et argumenta quæ in ipsa Scriptura inveniuntur, resolvi. Vide clarissimum Episcopum Norwicensem in Replicatione contra Fisherum Iesuitam pag. 14. et 16. Et Authorem responsionis ad Fisheri Iesuitæ Relationem de tertio suo colloquio pag. 25. 26. et 29.

6. Dixi talem et tantam certitudinem de librorum Canonicorum authoritate ex Apostolica Traditione nunc haberi nō posse, quia (ut rectè monet Norwicensis Episcopus loco citato) hæc Traditio innotescit nobis per scripta Patrum, et acta Conciliorum ex quibus non fidei divinæ, sed humanæ persuasionis certitudo haberi potest. Immò nec universaliter verum est, hanc certitudinem ex iis haberi posse. Nam multi Patres de quibusdam libris verè Canonicis dubitarunt: quidam etiam eos à Sacro Canone excluserunt. Sic de Epistola Iacobi, et Iudæ diu dubitatum fuit in antiqua Ecclesia, idque quia *nonmulti ex veteribus earū meminerunt,* ut

ut loquitur Eusebius, Lib. 2. Historiæ Ecclesiast. Cap. 22. Sic Græci Apocalypsin Iohannis *non susceperunt ut Canonicam*: Et Latini Epistolam ad Hebræos *inter Scripturas Canonicas non receperunt*, teste Hieronymo in Epistola ad Dardanum. Cum igitur variæ et discrepantes sint Patrum sententiæ, de istorum librorum authoritate, impossibile est ex eorum scriptis certò scire, quid Apostoli ea de re tradiderint, aut docuerint.

Atque hinc est quod quidam ex Adversariis affirment, alii vero negent hos libros ab Apostolis in Canonem receptos fuisse. Stapleт. in Controv. Relectione, Controv. 5. quæst. 2. Art. 3. dicit, *varias Scripturas receptas esse in Canonem à multis sæculis, idque authoritate decernentis Ecclesiæ, quæ ab Apostolis & eorum proximis successoribus receptæ non erant*: ejusque sententiam sequuntur Becanus, Tract. de Fide, Cap. 3. quæst. 1. §. 6. Et Bailius Iesuita, in Epitome, seu Catechismo Controversiarum, quæst. 13. Contrà vero Bellar. Lib. 4. de verbo, Cap. 9. dicit, *omnia quæ Ecclesia fide tenet tradita esse ab Apostolis*: Et specıatim asserit, *numerum librorum Canoni-* 7.

corum haberi ex traditione Apostolica: hunc sequutus Gretſ. in Defenſ. Lib. 1. de Verbo, Cap. 10. Col. 183. dicit, *Christum & Apostolos pro Ecclesia Christiana Canonem condidisse* (intelligit Canonem comprehendentem omnes libros, quos Concilium Tridentinum declaravit esse Canonicos) *Concilium vero Tridentinum denuo sanxisse ac promulgasse Canonem à Christo & Apostolis conditum.* Item ibid. Col. 186. Eccleſiam cum definit librum aliquem, ut v. g. librum Tobiæ, eſſe Eccleſiaſtico Canoni accenſendum, declarare librum illum *à Christo & Apostolis in Canone positum fuisse.*

8. Hîc certè aqua hæret adverſariis; Nam neque Bellarmini, neque Stapletoni ſententiam commodè tueri poſſunt. Primò enim ex Bellarm. ſententia (quæ in ſe quidem vera eſt, ſed quibuſdam dogmatibus Eccleſiæ Romanæ repugnat) ſequitur Eccleſiam quæ ſubſequuta eſt Apoſtolos, non fuiſſe fidelem cuſtodem traditionis Apoſtolicæ de numero librorum Canonicorum. Nam ſi Traditionem illam diligenter conſervaſſet, et obſervaſſet, nunquam de quorundam librorum verè Canonicorum authoritate dubitaſſet. Hinc obiter percipiet lector veram eſſe ſententiam

tentiam nostrorum Theologorum contra Pontificios asserentium, Traditiones non scriptas non posse diu puras conservari, propter hominum perversitatem, negligentiam, & ignorantiam. Secundò, decretum Ecclesiæ Canonem Scripturarum consignantis obligat omnes, ex adversariorum sententia, ut libros ab ea in Canonē relatos pro Canonicis habeant & agnoscant. Ergo constitutio Apostolorū multò magis obligat omnes, ut libros ab iis in Canonem relatos, tanquam Canonicos suscipiant. Et proinde falsò asserunt Pontificii liberum fuisse Patribus ante definitionem Innocentii 1. et Concilii Carthaginensis 3, quosdam libros verè Canonicos pro non Canonicis habere. Vide Melchiorem Canum, Lib. 2. de Locis, Cap. 11. Resp. ad Arg. 4. Et Becanum in Opusculo de Titulis Calvinistarum, Titulo 1. §. 27.

Similiter ex sententia Stapletoni sequitur 9.
primò fidem qua creditur multorum librorum Canonicorum authoritas, non niti Traditione Apostolica: quod sanè repugnat communi Pontificiorum sententiç. Secundò ex ea etiam sequitur Ecclesiam prçsentem regi novis revelationibus: & non tantùm antiquæ fidei inniti; quia videlicet quçdam fide tenet, quç neque ab Apostolis, neque à Prophetis tradita sunt, ut v. g. quorundam li-

brorum Canonicorū auctoritatē. At hoc absurdū esse docent celeberrimi scriptores Pontificii, videlicet Bellar. Lib. 4. de Verbo, Cap. 9. Grets. in Defens. illius capitis, Col. 1714. Suarez Disp. 2. de Fide, Sect. 6. §. 16. ubi ex Irenæo, Hieronymo, & Vincentio Lirinensi probat Ecclesiam non debere *novam fidem tradere, sed antiquam semper stabilire.* Tertiò, ex eadem sequitur Ecclesiam Christianam per annos quadringentos sine certo Canone fuisse, & per consequens toto illo tempore (ut rectè observat doctissimus Rivetus in Isagoge ad sacram Scripturam, Cap. 7. §. 13.) miram fuisse Pontificum Romanorum oscitantiam, qui tamdiu Ecclesiam in dubio reliquerunt, cum tamen uno verbo potuissent litem totam dirimere. Quartò etiam ex ea sequitur, Apostolos Ecclesiæ & muneri suo defuisse in consignando Scripturarum Canone; quod sane blasphemum & impium dictu est. Debent enim illi qui in perpetuum Ecclesiæ usum Canonem consignant, eos omnes libros in Canonem referre, quos sciunt esse Canonicos, reliquosq; omnes à Canone excludere. At Apostoli perspectam & exploratam habuerunt omnium librorum Canonicorum auctoritatem. Ergo debuerunt omnes libros verè Canonicos in Canonem referre, reliquosque omnes ab eo excludere.

Nec

Nec satisfacit quod dicit Stapletonus Controv. 5. quæst. 2. Art. 3. resp. ad Arg. 1. Apostolos ideo non retulisse in Canonem eos libros, quos probè sciverunt esse Canonicos, *quia sanctus Spiritus voluit eorum publicationem in aliud tempus differri.* Non enim possibile est Spiritum sanctum aliquid velle quod librorum verè divinorum auctoritati derogat. At cum ita consignatur, aut constituitur Scripturæ Canon, ut aliqui libri verè divini omittantur, & in Canonem non referantur, multum derogatur auctoritati eorum librorum: quia videlicet illi censentur rejici & damnari tanquam Apocryphi. Cum enim consignatur Canon, illi libri qui non admittũtur in Canonẽ, rejici censentur. Nam cum Ecclesia Canonem consignat, non solet speciatim, & expresse omnes libros apocryphos enumerare, sed quos omittit, eos rejicere censetur. Vnde Staplet. Controv. 5. q. 2. Art. 2. respondens ad argumentum quo probari videtur, Ecclesiã sua auctoritate non rejecisse libros certò Apocryphos, quia nullum speciale decretum de iis edidit, sic scribit: *Ad primum ergo dicendum, quod etsi tales Apocryphos nullo fortasse Canone rejecit Ecclesia, tamen satis est quod nulla testificatione eos admiserit, ut dictum est.* 10.

 Posito

Posito enim certo Canone Scripturarum, quicquid extra illum est damnari censetur, ut ex Athanasio dictum est. Vnde & Augustinus, &c.

De communibus fidei motivis.

11. QVod ad communia fidei motiva attinet, nobis cum adversariis convenit, Primò ea multum valere ad suadendam credibilitatem hujus principii, *Scriptura est Dei verbum.* Secundò ea non esse principale fundamentum illius fidei qua sacræ Scripturæ authoritas creditur. Vide Melchiorem Cinum Lib. 2. de Locis, Cap. 8. respons. ad Arg. 4. & Valent. Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. Punct. 7. §. 43. Col. 245.

De internis ipsius Scripturæ criteriis.

12. DE motivis illis internis, quæ videlicet ipsi Scripturæ insunt, non solum cum Pontificiis dicimus Scripturam per ea *seipsam fidelibus probare & commendare*, Item ea valere ad persuasionē de Scripturæ auctoritate in eorum animis *continuandam & intendendam*, sed etiam hoc addimus, ea nos infallibiliter certos reddere de Scripturæ auctoritate, ultimamque resolutionem illius fidei

dei, qua Scripturæ auctoritas creditur, fieri in Deum ut per illa motiva vel criteria revelantem sacræ Scripturæ auctoritatem. Interim fatemur neminem posse propter illa criteria credere divinam & Canonicam Scripturæ auctoritatem, nisi prius mens ejus præparetur & disponatur extrinsecus per communia fidei motiva, per præsentis Ecclesiæ testificationē, aut per antiquæ Ecclesiæ traditionem: nisi etiam intrinsecus illuminetur, & ad assentiendum moveatur per habitum fidei, & auxilium speciale gratiæ. Ita doctissimus Author Responsionis ad Relationem Fisheri Iesuitæ, de tertio suo Colloquio, proponit & explicat sententiam nostrarum Ecclesiarum, de internis illis Scripturæ criteriis, pag. 25. & 26. sui libelli.

De Deo intus revelante.

DE habitu fidei, & auxilio gratiæ illuminantis intellectum, & moventis voluntatem ad assentiendum huic principio, 13.
Scriptura est Dei verbum (quæ à nostris Theologis internum testimonium Spiritus sancti appellantur) dicimus primò ea esse simpliciter necessaria ad hoc ut quis fide divina credat Scripturam esse Dei verbnm. Secundò ea non esse principium vel causam fidei

fidei ex parte objecti, sed ex parte potentiæ intellectivæ, seu (ut supra dictum est quæst. 3 §. 4. & infra fusius dicetur quæst. 8. §. 3. & 4) ea non pertinere ad principalem causam objectivam, sed ad principalem causam effectivam fidei. In priori illo puncto habemus omnes Pontificios consentientes. Fatentur enim neminem posse credere Scripturam esse Dei verbum, sine habitu fidei & auxilio gratiæ. In posteriori vero quidam scriptores Ecclesiæ Romanæ non solum à nobis, sed etiam ab aliis doctoribus illius Ecclesiæ apertè dissentiunt. Nam Canus Lib. 2. de Locis, Cap. 8. Stepler. in Controv. Relectione, Controv. 4. quæst. 3. Art. 2. resp. ad Arg. 1. & in Defens. authoritatis Ecclesiast. Lib. 3. Cap. 12. §. 11. Et Malderus in Secundam Secundæ, quæst. 1. Art. 1. Sect. 8. referunt lumen seu habitum fidei (nihil enim aliud est lumen fidei quam habitus fidei) & internum auxilium gratiæ, ad formale objectum fidei: dicunt enim Deum ut intus auxiliantem, & lumen fidei infundentem esse formale fidei divinæ objectum. Contra vero Vega; Lib. 9. de justificatione, Cap. 47. Valent. Tom. 3. Disp. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 5. & Suarez. Disp. 3. de Fide. Sect. 3. hæc ad causam fidei efficientem referunt.

14. Hæc posterior sententia multò probabilior

lior nobis videtur: nam, ut rectè observat Suarez, loco citato § 5. duo ad credendum sunt necessaria: unum ex parte objecti, aliud ex parte potentiæ: nam ex parte objecti necessario præcedere debet aliqua ostensio, seu propositio ejus sub divina auctoritate: ex parte vero potentiæ requiritur virtus effectiva actus, sive illa virtus sit habitus fidei, siue auxilium gratiæ.

Dicet aliquis: Nonne Deus etiam intus re- 15.
velat ea quæ exterius credenda proponuntur. Resp. Deum non aliter ea intus revelare, quam auferendo velum ignorantiæ & infidelitatis ab intellectu, eumque confortando & elevando ad præbendum fidei assensum, et ad percipienda illa divinitatis indicia quæ ipse doctrinæ à se revelatæ impressit. Nam (ut ex Hieronymo observat Suarez loco citato §. 7.) revelare nihil est aliud quam velum removere, quo res occultabatur; Potest autem, ut in visu apparet, occultari objectum, vel quia ipsum velatum est, vel quia velum est super oculos positum, & ita revelari potest, et ex parte objecti, et ex parte oculorum; Ita ergo in fide contingit: nam objectum ejus est nobis occultum, quatenus absens, vel excellens est, ut notavit D. Tho. q. 14. de Verit. Art. 9. et potentia nostra est improportionata, et quasi cæca respectu illius objecti

objecti; et ideo dixit ipse D. Tho. 2. ad Cor. 3. ignorantiam, seu cæcitatem mentis esse quasi velamen ejus. Primum ergo velamen tollitur per revelationem objecti fidei: nam per illam fit aliquo modo cognoscibile sub testimonio divino. Per infusionem autem fidei tollitur ignorantia mentis quæ, ut dictum est, est quasi velamen ejus.

De infallibili Testimonio Romanæ Ecclesiæ.

16. PErcurri jam omnia necessaria, & germana media agnoscendæ Scripturæ Canonicæ, quibus utuntur Pontificii: & ostendi Evangelicos iis omnibus uti, omnemque certitudinē de authoritate Scripturæ ex iis elicere, & depromere, quam revera ea fidelibus afferre, aut suppeditare possunt. Præter hæc, excogitarunt Pontificii aliud indicium agnoscendi Canonicas divinasque Scripturas, videlicet praxin, & decretum, seu definitionem Romanæ Ecclesiæ de libris Canonicis.

17. Hoc solum criterion à nostris Ecclesiis damnatur & rejicitur. Primò quia non est necessarium; nam aliunde haberi potest sufficiens, atque adeo infallibilis certitudo de librorum Canonicorum auctoritate, videlicet ex communibus fidei motivis, ex communi omnium

omnium Christianorum nunc viventium consensu, ex Traditione Apostolica, ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, quatenus per eam Traditio Apostolica nobis innotescit; atque his præsuppositis, ex internis ipsius Scripturæ criteriis. Secundò quia incertum & fallax est, ut patet ex iis, quæ Tract. 5. hujus operis contra infallibilitatem Papæ & Conciliorum ex Patribus, Conciliis, Scholasticis, & Canonistis disputata sunt. Tertiò, quia ridiculum & absurdum est. Ridiculum enim est dicere, *Credimus hos libros esse Canonicos, quia nos ipsi definivimus eos esse tales*: Ridiculum est in agnoscendis Scripturis Canonicis plus tribuere judicio unius particularis Ecclesiæ, id est Romanæ, & unius particularis hominis, id est, Papæ, quam consensui omnium Christianorum nunc viventium, & perpetuæ Traditioni, ac praxi Ecclesiæ. At hoc faciunt Pontificii: nam cum dicunt Ecclesiæ testimonium esse certissimum indicium agnoscendi Scripturas Canonicas, augusto illo nomine Ecclesiæ intelligunt solam Romanam Ecclesiam præsentem, imò solum Romanum Pontificem. Vide Tract. 1. cap. 2. §. 11. & Tract. 5. cap. 8. Quartò quia antiqua Ecclesia non usa est hoc criterio agnoscendi Scripturas Canonicas. Nam Patres in enumerandis libris Canonicis, iisque

discer-

discernendis ab Apocryphis, non sequuti sunt Romanam Ecclesiam, tanquam certam & infallibilem veritatis normam: quod variis ipsorum testimoniis demonstrari potest.

Augustinus Lib. 2. de Doctrina Christiana
18. Cap. 8. proponit regulam quandam quam in dijudicandis libris Canonicis observari vult; *Tenebit* (inquit) *hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponat iis, quas quædā non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq; accipiunt, eis quas pauciores, minorisve authoritatis Ecclesiæ tenent.* Hîc Augustinus neq; Romanæ Ecclesiæ, neque Romani Pontificis meminit. Ergo non putavit eorum judicium aut praxin esse certissimum criterion agnoscendi Scripturas Canonicas. Nam si facilem hanc & compendiosam viam eas discernendi cognovisset, non usus fuisset tot diverticulis in tradenda illa regula de librorum Canonicorum auctoritate: potuisset enim uno verbo litem totam dirimere.

19. Idem Author in controversia illa, quæ diu in antiqua Ecclesia agitata fuit, de auctoritate Epistolæ ad Hebræos, præfert judicium & praxin

praxin Ecclesiarum Orientalium authoritati Ecclesiæ Romanæ: *Ad Hebræos* (inquit) *quoque Epistola, quanquam nonnullis incerta sit, tamen quoniam legi quosdam huic nostræ de Baptismo parvulorum, sententiæ contraria sentientes, etiam istam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse*, magisque me movet authoritas Ecclesiarum Orientalium, *quæ hanc etiam in Canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, advertendum est*. Lib. 1. de Pec. Meritis, Cap. 27.

Similiter Hieronymus in Epistola ad Dardanum, communi sententiæ Ecclesiæ Romanæ de illa ipsa Epistola ad Hebræos præfert authoritatem veterum scriptorum. *Quod si* (inquit) *Epistolam ad Hebræos Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum Ecclesiæ Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes*. 20.

Bellar. Lib. 1. de verbo Dei. Cap. 10. Baronius anno 494. Becanus Tract. de fide, cap. 5 quæst. 21.

PVNC.

quæst. 1. & alii Scriptores Pontificii dicunt numerum librorum Canonicorum definitum fuisse, librosque Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, &c. in Canonem esse relatos, ab Innocentio 1. Gelasio 1. & Concilio Romano sub eo celebrato. At multi scriptores, tum Græci, tum Latini, qui eos subsecuti sunt, libros illos pro Apocryphis habuerunt, videlicet Damascenus, Anastasius Bibliothec, Ambrosius Ansbertus, Radulphus Flaviacensis, Hugo Cardinalis, Richardus & Hugo de Sancto Victore, Guliel. Occam, Antoninus Florentinus, Franciscus Picus Mirand. Lyranus, Carthusianus, Cardinalis Ximenius, Tostatus Abulensis, Ferus, Cajetanus, & alii multi. Imò ipse Gregorius Lib. 19. Moral. Cap. 17. nulla habita ratione sententiæ à suis prædecessoribus pronunciatæ, libros Machabæorum inter non Canonicos reposuit: *De qua re* (inquit) *non inordinatè agimus, si ex libris, licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiarum editis, testimonium proferamus.* Ergo hi Patres, et Doctores non putarunt decreta Romanorum Pontificum, aut Romanæ Ecclesiæ, de numero ac auctoritate librorum Canonicorum, esse certam et infallibilem fidei nostræ regulam.

PVNC.

Punctum Tertium.

Eadem demonstratur, quia per Ecclesiam haberi potest infallibilis certitudo, de librorum Canonicorum auctoritate, quamvis ipsa Ecclesia non sit infallibilis controversiarum judex.



T neque tertium finem, quem sibi in hac Disputatione proposuerunt, assequi possunt Pontificii. Cõcedimus enim infallibilem certitudinem persuasionis et fidei humanæ de librorum Canonicorum authoritate, per Ecclesiam haberi posse, imò actu haberi, et tamen negamus id quod Adversarii inde colligunt, videlicet judiciariam infallibilitatem Ecclesiæ in consignando Scripturarum Canone. Non enim ex judiciali aliqua, seu definitiva Ecclesiæ sententia (de cujus infallibilitate meritò dubitari potest, ut patet ex Tract. 5. Cap. 18. et sequentibus) habetur hæc certitudo de librorum Canonicorum authoritate, sed partim ex communi omnium Christ- 1.

Christianorum nunc viventium consensu, partim vero ex perpetua Traditione et praxi totius Ecclesiæ ab Apostolorum sæculo usq; ad hæc nostra tempora.

2. Nam in hac quæstione non recurrimus ad Ecclesiam, ut ad authoritativum & infallibilem judicem, ut videamus quos libros illa decernet, vel declaret esse Canonicos: sed eam consulimus, ut testem, custodem, & promptuarium librorum Canonicorum, ut sciamus quibus libris illa jam utatur semperque usa fuerit tanquam Canonicis. Certum enim est eos libros esse verè Canonicos, *qui semper ubique, & ab omnibus* pro verè Canonicis sunt habiti, ut patet ex celebri illa regula Vincentii Lirynensis, de qua vide Tract. 5. Cap. 18. §. 17. & sequentibus. Cæterum quia hoc Ecclesiæ de librorum Canonicorum authoritate testimonium, quod potius *reale* quam *verbale* est, egregiè explicatur ab Archiepiscopo Spalatensi, Lib. 7. de Repub. Eccles. Cap. 1. fruar eruditissimo ejus labore, & fruendo, laborem qui mihi subeundus fuisset, minuam.


3. Sic igitur scribit vir doctissimus loco citato, §. 9: *Ecclesiam habere potestatem desiniendi in actu signato circa libros sacros, itam qui pro divino non fuerit universaliter*

ſaliter à tota Eccleſia ante definitionem Eccleſiæ habitus, jam fiat divinus, & pro tali in tota Eccleſia habeatur, nullo modo eſt aſſerendum. Quod enim de fide non eſt, ut de fide ſit, Eccleſia facere non poteſt, novos enim fidei articulos formare & proponere Eccleſia non poteſt. Omnes enim articuli fidei, in tantum ſunt articuli fidei, in quantum ſunt à Deo revelati. Eccleſia vero non poteſt efficere, ut revelatum ſit, quod aut revelatum non eſt à Deo, aut non conſtat eſſe revelatum. Declarare poteſt Eccleſia, poſt diligentiſſimam & exactiſſimam inquiſitionem, & poſtquam revelationem jam à Deo factam clare agnovit, aliquid fide tenendum; non quod jam non eſſet de fide, ſed quod clare non conſtabat eſſe de fide, cum tamen revera revelatum, & de fide eſſet. Itaque ſi Eccleſia vult definire declaratoriè duntaxat (nam aliter non poteſt) hunc vel illum librum, ſeu partem libri, de quo, vel de qua dubia ſit Eccleſia, an ſit Scriptura divina; inquirere debet prius, & clare invenire librum il-

lum vel illam partem esse divinam, & Spiritu sancto dictante conscriptam. Ad hoc autem inquirendum, vel inveniendum, illam solam unicam, & singularem habet regulam, ut Ecclesia universalis seipsam consulat, & quid ipsa in actu exercito teneat, non quid in actu signato definierit, quærat, & planè cognoscat. ——————— Quia sola universalitas Catholicarum Ecclesiarum, in actu, ut dixi, exercito, custos est librorum Canonicorum; eodem ferme modo, quo Arca testamenti, erat custos certa, & fidelis legis Mosaicæ. Si quis enim ambigeret, num exemplum legis quod haberet, sit exemplum fidele & penitus conveniat cum exemplari quod Moyses à Deo accepit, consulere debuisset Arcam, & suum exemplum conferre cum exemplari in Arca servato; & sic omne dubium Arca auferre poterat, non quidem in actu signato definiendo sua propria auctoritate, ac pronunciando exemplum illud esse fidele, & veritatem legis vere divinæ continere; sed in actu exercito, per osten

ostensionem veri originalis, quod in ipsa Arca contineretur.

Ac quemadmodum veteris testamenti eloquia Dei tradita sunt Iudæis, ita ut apud illos solos tanquam in propria Arca à Deo instituta servarentur: Sic apud Ecclesiam Christianorum, maxima ex parte ex gentilibus congregatam, divina eloquia novi testamenti, tanquam in alia nova Arca sunt reposita. Neq; alia regula est discernendi novi testamenti Scripturas Canonicas, à non Canonicis, nisi ut videamus, quid in hac Arca universali servetur; Non quæramus ex Ecclesia Christianorum Catholica, ut ipsa suo decreto, in actu signato dicat nobis, illos & illos libros ut divinos admittite, alios vero respuite: sed totum quod ab ipsa petimus est, ut sciamus, quibus ipsa libris tanquam divinis universaliter & indubitanter utitur: ut hoc pacto in actu exercito videamus nos ipsi, ipsa etiam tacente, quinam libri in ipsius sinu, ut indubitatè divini, serventur: illi enim soli nobis esse debent verè divini. §.12



PUNCTUM QUARTUM.

Proponuntur variæ Theologorum responsiones ad quæstionem, Cur credis Scripturam esse Dei verbum? *& primùm confutatur eorum error, qui respondent se id credere fide humana, seu acquisita, propter humanam traditionem, & alia motiva humana.*



1. ACTENUS de Pontificiorum imprudentia in agitanda adversus nos hac quæstione, *Vnde scis? &c.* disseruimus. Nunc videamus quomodo ad quæstionem illam respondendum sit. Quippe cum variæ & discrepantes sint Theologorum de hac re sententiæ, expedit ut eas percurramus, & singillatim consideremus.

2. Primò enim non convenit inter eos de natura illius fidei qua credimus *Scripturam esse Dei verbum*. Nam quidam asserunt principia illa, quibus formale fidei objectum exprimitur (qualia v.g. sunt hæc axiomata

mata, *Deus hoc revelavit*, *Hoc Dei verbum est*, *Scriptura sacra est Dei verbum*) credi fide humana, seu acquisita, propter Traditionem humanam, aliaque humana motiva seu argumenta: & hoc satis esse, ut illa fundare ac terminare possint fidem divinam, seu infusam, qua ipsarum rerum revelatarum veritas creditur. Alii verò dicunt nos non posse fide divina credere veritatem rerum revelatarum, nisi eadem fide credamus earum revelationem, hoc est, nisi fide divina credamus Deum illas revelasse; & speciatim affirmant, neminem posse propter Scripturæ authoritatem fide divina credere veritatem eorum dogmatum quæ in Scriptura revelantur, nisi eadem fide divina credat *Scripturam esse Dei verbum*, seu Deum per Scripturam, tanquam per instrumentum infallibile, revelare dogmata fidei.

Secundò, qui posteriorem hanc sententiam sequuntur dissentiunt etiam inter se. 3.
Nam eorum alii ad quæstionem, *Cur credis Scripturam esse Dei verbum?* Respondent se id credere propter Dei veracitatem: Alii verò indefinitè & confusè dicunt se id credere propter revelationem divinam: non tamen docent definitè quæ vel qualis

qualis sit illa revelatio, propter quam credunt Scripturam esse Dei verbum: Alii denique distinctè & nominatim exprimunt illam revelationem propter quam credunt Scripturam esse Dei verbum, dicuntque se credere Scripturæ divinam authoritatem, quia Deus per hoc, vel illud medium in specie, eam revelavit.

4. Tertiò, illi etiam qui tertium seu ultimum hunc respondendi modum sequuntur dissentiunt inter se. Nam eorum alii internum lumen fidei, seu instinctum specialem Spiritus sancti, alii Traditionem Apostolicam, alii Ecclesiæ testimonium, alii denique ipsam Scripturam internis suis criteriis vestitam, & per ea divinitatē suam manifestantem, dicunt esse principale medium, per quod Deus Scripturæ authoritatem revelat, atque adeo propter quod nos eam credimus.

5. Primus ille respondendi modus tribui solet Scoto in 3. Sentent. Dist. 23. quæst. unica, Gabrieli Biel ibid. quæst. 2. Art. 1. & Art. 2. conclus. 1. Durando in 3. Sent. Dist. 24. quæst. 1. §. 8. & Dist. 25. quæst. 3. §. 4. Apertissimè vero eum tradit & fulè explicat Archiepiscopus Spalatensis, Lib. 7. de Repub. Eccles. Cap. 1. §. 17. 18. & sequentibus. Item Cap. 2. §. 8. & 22. ubi dicit ipsa dogmata à Deo revelata credi fide divina, idque prop

propter internam locutionem, seu testimonium Spiritus sancti: Deum vero illa dogmata revelasse, seu hoc aut illud dixisse, non credi fide divina, sed sciri aut percipi sensata cognitione per Traditionem humanam. Videat Lector, & perpendat ea quæ ab isto Authore dicuntur, Cap. 1. §. 21. & Cap. 2. §. 22. Contrariam sententiam tuentur Thomas Aquinas, Marsil. Capreol. Cajetanus, Canus, Valent. Vasquez, Suarez, Gretserus, Staplet. Becanus, omnesque alii quos me legisse memini. Nos etiam eam libenter amplectimur, & priorem illam sententiam tanquam periculosam, & ipsam naturam fidei divinæ evertentem, damnamus ac rejicimus.

Primò enim, actus fidei divinæ, si in propria & specifica sua essentia consideretur, 6.
est assensus quem præbemus doctrinæ Legis & Evangelii, non tantum *ut veræ*, sed etiam *ut divinitus revelatæ*: vel ut planius dicam, est actus quo credimus doctrinam illam non tantùm esse veram, sed etiam esse divinitus revelatam. Ergo actus fidei pro objecto habet non tantùm veritatem doctrinæ, sed etiam ejus revelationem: & per consequens notitia quam habemus de revelatione doctrinæ, seu qua scimus doctrinam esse divinitus revelatam, non est naturalis aut sen-

ſata notitia, ſed eſt notitia fidei divinæ. Probatur antecedens (nam conſequentia per ſe patet) ex verbis Apoſtoli 1. Theſſal. 2. 13, ubi Deo gratias agit, quod Theſſalonicenſes *excepiſſent verbum Eevangelii, non ut verbum hominum, ſed ut verbum Dei*, atque adeo quod verè illud credidiſſent. Ergo verè credere eſt aſſentiri verbo predicato, non ut verbo hominum, ſed ut verbo Dei, ſeu verbo divinitus revelato. Idem etiam probatur ratione manifeſtiſſima; Nam ſi credere nihil aliud eſſet quam certò & infallibiliter aſſentiri doctrinæ alicui tanquam veræ, ſequeretur fidem qua Chriſtiani credunt Deum eſſe, eumque eſſe cæli & terræ creatorem, non differre eſſentialiter à ſcientia quam Philoſophus infidelis per naturales demonſtrationes habet de exiſtentia Dei, & creatione mundi. Nam is etiam certò & infallibiliter aſſentitur doctrinæ de exiſtentia Dei & creatione mundi tanquam veræ.

7. Secundò, ſi certitudo quam habemus de revelatione divina eſt certitudo naturalis, vel, quod eodem redit, ſi eſt certitudo ſenſatæ notitiæ, ſeu humanæ perſuaſionis; talis etiam erit certitudo quam habemus de veritate ipſarum rerum revelatarum. At abſurdum eſt poſterius, ut omnes fatentur. Ergo et

go et prius. Probatur propositio: Tota certitudo quam habemus de veritate rerum revelatarum, seu articulorum fidei, fundatur in revelatione divina, tanquam in formali objecto, et in cognitione ac certitudine quam de ea habemus: nam revelatio divina non potest nos objectivè movere ad assentiendum rebus revelatis, nisi à nobis cognoscatur et apprehendatur. Ergo certitudo quam habemus de rebus revelatis non potest esse major quam certitudo quam habemus de earum revelatione: et per consequens si hæc certitudo est naturalis, illa etiam erit naturalis. Ratio consequentiæ est quia major certitudo non potest per se fundari in minori: Tota enim perfectio effectus est ex causa, & firmitas ædificii est ex fundamento. Ergo impossibile est ut cognitio fundata in alia sit certior, quam sit ea in qua fundatur.

Pvnctvm Qvintvm.

Considerantur assertiones aliquot Archiepiscopi Spalatensis, de sensata seu naturali cognitione hujus principii, Scriptura est Dei verbum.

PRIMA

1. RIMA Assertio: *Vt sciamus an Deus se revelaverit externè, nec ne; & an dixerit seu revelaverit ista, & ista, nec ne; sola fides humana requiritur, & sola sufficit.* Hæc assertio habetur Libro 7. Cap. 2. §. 22. ibique satis eleganter & artificiosè explicatur: non tamen est tenenda ut vera, imò nec ut probabilis defendenda. Nam, *Deum revelasse ea quæ credimus*, est formale objectum fidei nostræ, & in cognitione ac certitudine, quam de isto principio habemus, fundatur tota certitudo fidei nostræ. Ergo certitudo, quam de eo habemus, non est sola certitudo fidei humanæ. Nam sic sequetur majorem certitudinem fundari in minori, & ædificium esse firmius fundamento suo. Respondet Spalatensis loco citato certitudinem fidei divinæ quam habemus de veritate rerum revelatarum non fundari in revelatione aliqua externa, sive ea scripta sit, sive non scripta; sed in locutione, seu revelatione interna Spiritus sancti. Idem etiam asserit §. 8. istius capitis, sub finem.

2. At si vera est hæc responsio, falsa est thesis, seu assertio, quam propugnat Spalatensis. Si enim

enim certitudo fidei divinæ quam habemus de veritate doctrinæ Christianæ fundatur in revelatione interna tanquam in formali objecto; necesse est hanc revelationem internam à nobis percipi & cognosci: idque, quia non possumus aliquid credere propter internam locutionem sancti Spiritus, nisi certò sciamus Spiritum sanctum id nobis in corde loqui, seu revelare. Quæro igitur quo lumine hoc sciamus, seu percipiamus? Non lumine naturæ: quia locutio interna Spiritus sancti est spiritualis & supernaturalis. Ergo lumine fidei hoc percipimus: & sic habemus quod volumus, videlicet nos fide non humana, sed divina credere *dogmata fidei nostræ esse à Deo nobis revelata*. Cæterùm an rectè asserat Spalatensis internam revelationem sancti Spiritus esse formale objectum fidei divinæ, infra videbimus.

Secunda assertio: *Quod Deus dixit Abrahamo Genes. 15. v. 5. semen ipsius fore maximopere multiplicandum, erat revelatio, & hoc dictum Dei fuit Abramo articulus fidei. At verò illud Dei dicere, seu, Deum illa proloqui & promittere, non erat Abramo fide credendum: hoc enim Abram sensu ipso per-* 3.

percipiebat, non fide credebat. Quod de Abrahamo hic dicit, idē de aliis Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, quibus Deus extraordinariè voluntatem suam revelavit, dictum vult: videlicet eos fide divina credidisse res revelatas: earum vero revelationem sensu ipso percepisse. Quemadmodum igitur præcedenti assertione dixit nos sensata cognitione, & fide humana scire quod Deus articulos fidei nostræ revelavit, ita etiam hîc asserit cognitionem, quam Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli de Deo *ut revelante*, seu de revelatione divina habuerunt, fuisse sensatam & naturalem. Vide Lib. 7. hujus Authoris, Cap. 1. §. 21.

4. Hæc etiam assertio apertè falsa est. Primò enim tota certitudo quam Abraham habuit de multiplicatione seminis sui fundata fuit in promissione Dei. Ergo si Abraham habuit certitudinem fidei de re promissa, eandem certitudinem habuit de promissione Dei, &, ut planius dicam, si fide divina credidit semen suum fore multiplicandum, eadem etiam fide credidit Deum id promisisse & prolocutum esse. Nam alioqui, ut dictum est, sequetur majorem certitudinem fundari in minori, & ædificium esse firmius fundamento suo.

5. Secundò Spalatensis Cap. 2. §. 22. dicit

forma-

formalem rationem cur dogmata fidei credimus, esse, *quia Spiritus Dei id nobis in corde loquitur, quod humana vox in auribus sonat.* Ergo etiam formalis ratio illius fidei, qua Patriarchæ, & Prophetæ credebant veritates à Deo extraordinariè revelatas, fuit interna locutio seu revelatio Spiritus sancti. Eorum enim fides, ex hujus Authoris sententia, non potuit fundari, in externa Dei locutione, quia de ea solam naturalem seu sensatam cognitionem habuerunt. At interna illa locutio Spiritus sancti, ut patet ex iis quæ supra dicta sunt, non potuit iis esse formalis ratio credendi, nisi lumine fidei eam percepissent, seu cognovissent. Nihil enim potest objectivè movere intellectum ad assentiendum, nisi quod ab illo apprehenditur & cognoscitur. Ergo fide divina credebant Deum, seu, Dei Spiritum veritates illas sibi revelare, saltem revelatione interna.

Tertiò falso asserit Abrahamum, aliosque quos Deus externa & audibili voce allocutus est ipso sensu percepisse, illam locutionem esse Dei locutionem, seu Deum ea revelare quæ audiebant. Primò enim quamvis ipsam vocem perceperunt sensu, seu sensata cognitione, tamen vocem illam esse Dei vocem, sensu non perceperunt: hoc enim non est quid sensibile. Secundò non potuerunt 6.

sensu

ſenſu diſcernere utrum illa vox in aere formata eſſet ab Angelo malo, an vero à Deo, aut ab Angelo bono. Tertiò Samuel audita voce Dei ſe vocantis, putavit ſe ab Eli vocari, 1. Sam. Cap. 3. & Zacharias Luc. 1. dubitavit de veritate revelationis ſibi per Angelum factæ. Ergo hi non evidenter, atque adeo non ſenſu percipiebant revelationes illas eſſe divinas. Denique quædam ſunt ſpecies extraordinariæ, ſeu Propheticæ revelationis, quæ nequaquam poſſunt ſenſu percipi. Quemadmodum enim tres ſunt potentiæ cognoſcitivæ in homine, videlicet ſenſus, imaginatio, & intellectus; ita etiam tres ſunt principales modi, ſeu ſpecies Propheticæ revelationis (ut obſervat Thomas Secunda Secundæ quæſt. 174. Art. 1. et poſt eum Abulenſis, Thyræus, Suarez, et alii) viz. 1. revelatio quæ fit per objecta ſenſuum externorum, ut v. g. per externam & audibilem propoſitionem: 2. per imaginariam repræſentationem, ſeu per rerum corporalium ſpecies phantaſiæ hominum, tum vigilantium, tum dormientium impreſſas: ſicut quando Hieremias vidit incendium civitatis Hieruſalem ſub ſimilitudinæ ollæ ferventis (quæ ejus imaginationi impreſſa erat) ut 1. Hier. habetur. 3. per puram intellectualem illuſtrationem, quæ fit quando Deus immediatè, & per ſe in

intellectum hominis agit, eique species earum rerum, quas revelare vult, infundit.

Harum speciarum ultima procul omni dubio sensu percipi nequit. Vnde Gregor. Lib. 28. Moral. cap. 2. *Sed cum* (inquit) *per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur: quia virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur.* 7.
Quod ad secundam speciem attinet, quando revelatio prophetica fit per imaginariam repræsentationem, tres actus concurrere solent: 1. apprehensio rerum corporalium quæ per phantasmata imaginationi impressa repræsentantur. 2. cognitio, qua scimus, & credimus hoc vel illud significari per res illas corporales in imaginatione apprehensas. Hic actus manifestè est diversus à priori. Nam Pharao, exempli gratia, in phantasia seu imaginatione sua apprehendit septem vaccas pingues, & septem spicas plenas, non tamen intellexit earum significatum, quod videlicet significarent septem annos saturitatis; & proinde hæc representatio illi facta, non fuit revelatio. At Iosepho, qui somnium ejus interpretatus est, facta est revelatio propriè dicta. 3. judicium quo Propheta judicat id revera futurum

futurum, seu eventurum esse, quod per res in imaginatione apprehensas significatur. Horum actuum duo postremi manifestè ad intellectum pertinent, & sine lumine aliquo supernaturali intellectum illustrante perfici nequeunt, atque adeo non sunt sensatæ seu naturales cognitiones. Primus etiam non est talis sensata cognitio qualem intelligit Spalatensis; fit enim sine ullo usu aut exercitio sensuum externorum. Nam, ut rectè observat Thomas Secunda Secundæ, quæst. 173. Art. 3. non solum in *somniis* dormientium, sed etiam in *visionibus* vigilantium, revelatio quæ fit per formas seu species imaginarias, conjuncta est cum ecstasi, seu alienatione à sensibus externis; idque ut illi quibus fit hujusmodi revelatio possint sufficienter apprehendere res illas quarum formæ, seu species phantasiæ imprimuntur.

3. Tertia assertio Spalatensis est de formali objecto fidei nostræ, et habetur Cap. 2. §. 31. *Credo* (inquit) *Christum esse filium Dei, non propter Traditionem, sive non scriptam, sive scriptam; sed quia Spiritus Dei id mihi in corde loquitur, quod humana vox in auribus sonat.* Hanc assertionem probare non possum. Primò quia internis

afflatibus

afflatibus et enthusiasmis viam aperit dicēdo certitudinem fidei non inniti verbo Dei olim tradito per Prophetas, et Apostolos (quia videlicet non nisi naturali et sensata cognitione, scimus illud verbum esse Dei verbum) sed internis et privatis revelationibus. At contrà Apostolus Ephes. 2. 20. dicit fideles esse superædificatos, supra fundamentum Prophetarum et Apostolorum. Secundò interna hæc locutio seu revelatio Spiritus sancti non est formale fidei objectum, ut patet ex iis quæ dicta sunt quæst. 3. et infra magis patebit. Tertiò, si est formale fidei objectum, et si credimus articulos fidei, quia Deus nobis eos interna locutione Spiritus sui revelat, necesse est ut fide divina credamus articulos illos nobis interna locutione Sancti Spiritus revelari, atque adeo illam locutionem esse Spiritus sancti locutionem. Impossibile enim est ut intellectus moveatur et trahatur ad assensum re aliqua, seu medio assentiendi, quod non cognoscit. Nam ad assensum movetur mediante cognitione rationis propter quam assentimur: et proinde necesse est ut medium, quod intellectum movet ad assensum, sit ab intellectu præcognitum. Si autem hoc verum est, hoc est si fide divina credimus illam locutionem esse sancti Spiritus locutionem, illosque articulos

esse nobis à sancto Spiritu revelatos, falsò asserit Spalatensis nos sola naturali et sensata cognitione scire *Deum hoc, vel illud proloqui, seu dicere*; Item, *Deum ista, & ista nunciavisse*, seu revelasse. Vide Cap. 1. §. 21. et Cap. 2. §. 22. Quartò, Si fide divina credimus internam illam revelationem esse Dei ipsius revelationem, cur non etiam fide divina credere possumus externam revelationem, qua per Scripturam veritates fidei nobis revelantur, esse Dei revelationem? Et si fide divina credimus id quod Spiritus sanctus nobis in corde loquitur esse Dei verbum; cur non etiam fide divina credere possumus id quod Spiritus sanctus extrinsecus loquitur in Scriptura, esse Dei verbum? Idem enim extrinsecus in Scriptura, et intrinsecus in corde nostro loquitur.

9. Quarta assertio est de authoritate illorum librorum, qui, ut Augustinus ait Epistola 19. ad Hieronymum, *jam Canonici appellatur*, et habetur cap. 1. libri citati §. 18. *Est* (inquit) *in genere fidei articulus, Scripturas omnes, veras divinas revelationes continentes, esse divinas, & iis esse credendum; sed in particulari hunc, & illum librum esse unum ex illis, in quibus divina*

vinæ ſcripta ſunt revelationes, & divina myſteria conſignata, non eſt articulus fidei, ſed humana, & ſenſata notitia. At cōtrà, Primò inanis eſt illa fides generalis de divina librorum Canonicorum authoritate, ſi non poteſt applicari his libris in particulari, qui jam exſtant, & Canonici appellantur. Quid enim prodeſt in genere credere, omnes libros, qui verè divinas revelationes continent, eſſe divinos, ſi in particulari credere non poſſumus hos libros divinas revelationes continere, atque adeo eſſe divinos. Secundò, ſi fide divina non credimus hos libros in particulari eſſe divinos, non poſſumus aliquid credere fide divina ob horum librorum authoritatem. At hoc abſurdum eſt, & communi fidelium conſenſui repugnat. Ergo & illud. Tertiò, Auguſtinus Lib.6. Confeſſ. Cap.5. ſic ſcribit, *Perſuaſiſti mihi, non qui crederent libris tuis, ſed qui non crederent eſſe culpandos, nec audiendos eſſe ſi qui mihi fortè diceret, Vnde ſcis illos libros* (ecce loquitur de libris illis in particulari qui tunc Canonici appellabātur) *unius veri & veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos. Id ipſum enim maximè credendum erat.* Hic dicit cognitionem quam habebat de authoritate illorum

lorum librorum qui tunc Canonici appellabantur fuisse *persuasionem divinam*. Item eorum divinam authoritatem esse *maximè credendam*. Similiter Gregorius Cap. 1. Præfationis in libros Moral. disserens de libro Iob in particulari, dicit *Ecclesiam* credere Spiritum sanctum esse illius libri authorem: *Sed quis* (inquit) *hæc scripserit, valde supervacuè quæritur, cum tamen author libri Spiritus sanctus fideliter credatur*. Hîc non loquitur de humana & sensata notitia. Nam sensu percipere non possumus Spiritum sanctum esse hujus aut illius libri authorem.

10. Quinta quoque assertio est de Scripturæ authoritate, & habetur ibid. §. 17. *Qui primò fide humana, propter Ecclesiæ Traditionem credit Evangelium Iohannis revera esse Iohannis, is postea, Spiritu sancto operante, credit iis quæ in Evangelio Iohannis scripta sunt, non amplius authoritate Ecclesiæ, sed authoritate propria divinæ Scripturæ, quia Spiritus sancti assistentia scripta sit, & consequenter non nisi vera in ea scripta esse assentitur*. Hæc assertio repugnat præcedenti. Non enim possumus propter propriam Scripturæ authori-

thoritatem fide verè divina credere iis quæ in Evangelio Iohannis continentur, nisi etiam fide divina credamus propriam illam Scripturæ authoritatem (quam habet, quatenus Spiritus sancti assistentia scripta est) competere Evangelio Iohannis. At hoc repugnat assertioni præcedenti, qua asserit dogma generale de authoritate divina librorum Canonicorum esse de fide: dogma vero speciale de authoritate hujus, aut illius libri in specie, non esse de fide; hoc est, non divina, sed humana tantùm fide credi. Certitudo igitur fidei quam habemus de veritate eorum, quæ in Evangelio Iohannis scripta sunt, hoc syllogismo, ex sententia Archiep. Spalatensis, colligitur: Quicquid DEUS, aut homo divinus jussu DEI revelavit, id verum est. At homo divinus, videlicet Ioannes Apostolus, DEI jussu ea revelavit, quæ in Evangelio Ioannis scripta sunt. Ergo omnia, quæ in Evangelio Ioannis sunt scripta, vera sunt. Major hujus syllogismi directè & expressè proponitur à Spalatensi loco citato, omnesq. eam esse certam certitudine fidei fatentur: nam fide verè divina creditur. Minor verò non divina, sed humana fide, ex Spalatensis sententia, creditur. Cum igitur conclusio semper sequatur debiliorem partem; necesse est certitudinem, quam habemus de veritate

istius conclusionis, atque adeo de veritate eorum, quæ in Evangelio Ioannis scripta sunt, esse certitudinem solius fidei humanæ, aut ad summum, esse certitudinem illam, quam in Scholis *Theologicam* vocamus.

11. Conabitur fortassis aliquis argumenti hujus vim effugere dicendo regulam illam Logicam, quæ asserit conclusionem syllogismi sequi debiliorē præmissam, nō esse universaliter veram in Theologia; atque adeo ex duabus præmissis, quarum una fide divina, altera fide humana creditur, posse inferri conclusionem fide divina credendam. Sed qui sententiam Archiepiscopi Spalatensis tueri vult, is hac responsione uti non potest. Nam si ex duabus præmissis, quarum una fide divina, altera fide humana creditur, inferri potest conclusio credibilis fide divina, facilè contra Spalatensem probabimus non solum dogma istud generale de divina authoritate librorum veras divinas revelationes continentium, sed etiam dogma speciale de divina authoritate hujus aut illius libri in particulari, ut verbi gratia, libri Apocalyps. fide divina credi posse. Hujus enim libri divina authoritas sic demonstrari potest: *Omnes libri, qui verè continent divinas revelationes, sunt divini & Canonici. At liber Apocal. est talis.*

talis. Ergo est divinus, & Canonicus. Hujus syllogismi utramque præmissam proponit Spalatensis libro citato, Cap. 1. §. 18. dicitque priorem fide divina, posteriorem verò fide humana credi. Si igitur ex Propositione credibili fide divina, & Assumptione credibili fide humana inferri potest conclusio credibilis fide divina, necessariò sequetur conclusionem illam quæ est de divina & Canonica authoritate Apocalypseos esse certam certitudine fidei divinæ.

Cæterùm quod ad rem ipsam attinet, si quis scire velit, utrum regula illa Logica, *Conclusio sequitur debiliorem præmissam*, sit universaliter vera, etiam in Theologia, cõsulat Smiglecii Logicam, Disp. 13. Quæst. 8. 12. & 13. ubi egregiè probat debilitatem alterius præmissæ, semper, & in omni materia, redundare in conclusionem. 12.

PVNCTVM SEXTVM.

Confutantur reliqui Theologorum errores, de ratione credendi Sacræ Scripturæ divinam & Canonicam authoritatem.

PRIMA

1. PRIMA ASSERTIO: *Non satisfaciunt quæstioni*, Cur credis Scripturam esse DEI Verbum? *qui dicunt se id credere propter increatam & æternam* DEI *perfectionem, seu propter ejus veracitatem*. Ratio manifesta est, quia tota & completa ratio formalis, propter quam credimus fidei dogmata, non est sola DEI veracitas, seu infallibilitas, seclusa videlicet ejus revelatione, seu testificatione, ut contra Turnebullum fusè probatum est Tract. 3. Cap. 1. 3. & 4.

2. SECVNDA ASSERTIO: *Illi etiam huic quæstioni non satisfaciunt, qui indefinitè & confusè dicunt se credere Scripturam esse* DEI *Verbum propter divinam revelationem; & non docent, quæ vel qualis sit illa revelatio, propter quam Scripturæ divina authoritas creditur*. Probatur hæc ASSERTIO, quia in generali illa responsione non potest Christianorum fides sistere, et acquiescere. Quando enim audimus DEVM revelasse Scripturæ divinam & Canonicam authoritatem, non

non acquiescimus, sed ancipites fluctuamus, donec sciamus quomodo, seu per quod medium externum Scripturæ authoritas à Deo revelata sit. Et confirmatur hæc ratio, quia non in communi notione, seu conceptu revelationis divinæ, sed in particulari aliqua revelatione fundatur Christianorum fides, ut omnes fatentur. Meritò igitur parte prima Disputationis meæ, Sect. 5. (quam Lector videre potest Tract. 4. hujus libri, Pag. 135) dixi Gretserum, Becanum, & alios Pontificios ambiguè ac dolosè loqui, cum dicunt se credere Scripturæ divinam & Canonicam authoritatem propter revelationē divinam. Nam ut illîc monui, non docent, immò nec docere possunt, ubinam inveniatur illa revelatio divina, propter quam Scripturæ authoritas creditur.

Tertia Assertio: *Ineptè ad quæstionem hanc respondent illi, qui dicunt formalem rationem, propter quam credimus Scripturæ authoritatem, & reliqua omnia fidei dogmata esse internum Spiritus Sancti testimonium.* Damnamus hîc primò Scotum qui in 3. Sentent. Distinct. 23. Quæst. unica, dicit intellectum assentiri omnibus fidei dogmatibus, atque adeo huic principio, *Scriptura est DEI Verbum*, non propter 3.

aliquod motivum, aut argumentum quod objectivè movet ad credendum & ostendit dogmata fidei esse infallibiliter vera, ac credenda; sed quia intellectus ad assensum inclinatur ac movetur per lumen fidei, hoc est, per habitum fidei à Spiritu Sancto infusum. Dico hanc sententiam damnandam esse, quia sicut impossibile est voluntatem appetere aliquid, quod bonum non videtur, ita etiam, ut rectè monet Durandus, Lib. 3. Sent. Dist. 24. Quæst. 3. §. 8. impossibile est intellectum assentiri alicui objecto, quod verum non videtur, hoc est, cujus veritas nobis nondum apparet: & per consequens, assensum intellectus necessariò præcedit aliqua ostensio, seu manifestatio veritatis objecti credendi, per sufficiens assentiendi motivum.

4. Secundò damnamus eos, qui concedunt quidem intellectum non posse assentiri dogmatibus fidei, nisi videat & cognoscat aliquod sufficiens motivum assentiendi, dicunt tamen formalem & principalem rationem, propter quam credimus, & in quam fides ultimò resolvitur, non esse illud assentiendi motivum (putant enim id tantùm esse conditionem ad credendum requisitam) sed esse ipsummet lumen seu habitum fidei, & gratiam auxilii specialis, quo Spiritus Sanctus

ctus cum voluntate & intellectu noſtro con-
currit ad producendum fidei actum. Hanc
ſententiam tuetur Canus, Lib. 2. de Locis,
Cap. 8. Reſp. ad argumentum 4. Concluſ. 4.
ubi ſic ſcribit: *Huic articulo, DEVS eſt
trinus, aſſentior per infuſam fidem, non
quod Ioannes dixerit, aut quivis alius
homo, ſed quod DEVS revelaverit.
Huic autem*, DEUS revelavit, *imme-
diatè credo à DEO motus per inſtinctum
ſpecialem, ſeu per interius lumen infuſum
à Spiritu Sancto, quo firmiſſimè & cer-
tiſſimè movemur ad credendum.* Idem fe-
rè docent Aragon. 2. 2. Quæſt. 1. Art. 1.
Bannez. ibid. Stapletonus in Controv. Rele-
ctione, Controv. 4. Quæſt. 3. Art. 2. Reſp.
ad argum. 1. & Malderus 2. 2. Quæſt. 1.
Art. 1. Sect. 8.

Damnanda tamen, ut dixi, eſt hæc ſen-
tentia: Primò, quia habitus fidei, qui eſt ip- 5
ſum lumen fidei, in propria ac ſpecifica ſua
natura conſtituitur, & ab omnibus aliis habi-
tibus diſtinguitur per reſpectum ad forma-
le objectum fidei. Ergo præſupponit for-
male objectum fidei, & eſt quid ab eo di-
ſtinctum. Impoſſibile enim eſt ut habitus
fidei conſtituatur in ſuo eſſe ſpecifico per re-
ſpectum ad ſe ipſum. Abſurdè igitur loquun-
tur,

tur, qui dicunt habitũ fidei, esse formale objectum fidei. Nam sic habitus fidei, erit formale objectum sui ipsius. Secundò, nos ideo assensum fidei præbemus alicui dogmati, quia id nobis verum apparet. Id igitur quod ostendit nobis veritatem dogmatis nosque de ea certos reddit, est formale objectum assensus nostri. At habitus fidei non manifestat nobis veritatem dogmatum fidei, sed hanc manifestationem præsupponit, & propter eam, aut potius propter motivum, per quod hæc veritatis manifestatio fit, intellectum movet & inclinat ad præbendum assensum. Tertiò formale objectũ fidei (ut patet vel ex ipsa ratione nominis) *objectivè* movet intellectũ ad assensum. At habitus fidei, & auxilium gratiæ, seu internus concursus Spiritus Sancti, non *objectivè*, sed *effectivè* concurrunt ad assensum fidei producendum. Ergo non sunt formale objectum fidei. Probatur assumptio, (nam propositio manifesta est) quia id quod *objectivè* movet ad præbendum assensum, est *medium cognitum*, ut loquuntur. Nam, ut supra monui, nihil potest *objectivè* movere intellectum ad assensum, nisi quod ab intellectu apprehenditur, & cognoscitur. At habitus fidei, & auxilium gratiæ à Theologis appel-

lant

lantur *media incognita assentiendi*, quia possunt cooperari ad producendum assensum fidei quamvis ea à nobis non sentiantur aut cognoscantur.

Tertiò maximopere damnamus eos, qui, cum dicunt internum Spiritus Sancti testimonium esse formale objectum fidei, per testimonium Spiritus Sancti non intelligunt habitum seu lumen fidei, neque auxilium gratiæ, sed internam revelationem propriè sic dictam. Notet hic Lector duplicem esse revelationem divinam: fit enim ea vel *ex parte potentiæ*, vel *ex parte objecti*. Revelatio *ex parte potentiæ* posita est in infusione luminis seu habitus fidei, & in collatione auxilii specialis ad credendum necessarii. Nam per geminam hanc gratiam, *habitualem* videlicet, & *actualem*, *revelatur* potentia intellectiva, hoc est velum cæcitatis spiritualis quo recta fuit aufertur, & sic ea habilis & apta redditur ad ea percipienda quæ antea non percipiebat, atque adeo ad præbendum fidei assensum, juxta illud Psal. 119. 18. *Revela oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua*; hoc est, ut explicat Musculus, *Aperi mihi oculos mentis luce intelligentiæ*, seu lumine fidei. Revelat 6.

velatio *ex parte objecti credendi*, est quando id proponitur intellectui ut verum, & à DEO dictum. Vnde Suarez Disput. 3. de Fide, Sect. 3. §. 6. dicit illuminationem seu revelationem, quæ est ex parte objecti, *fieri manifestando in objecto veritatem ejus, vel rationem assentiendi illi: Sic enim* (inquit) *præceptor illuminat auditores, & Angelus superior illuminat inferiorem.* Sola hæc posterior revelatio, est revelatio propriè, simpliciter, et juxta frequentiorem modum loquendi Scripturæ sic dicta, ut cuivis in Scripturis versato patet: & per consequens revelatio interna propriè sic dicta, est revelatio aliqua ex parte objecti credendi, hoc est, est manifestatio aliqua veritatis in objecto credendo. Hoc magis patebit ex distinctione sequenti.

Nam revelatio quæ est ex parte objecti,
7. vel est *externa*, vel *interna*. Revelatio *externa* ex parte objecti, est quando dogma credendum, extrinsecus à DEO, vel in Scriptura, vel in doctrina, & prædicatione Ecclesiæ, proponitur, & intellectui objicitur ut verum & divinitus revelatum. Revelatio *interna* ex parte objecti, est quando dogma credendum intrinsecus proponitur intellectui, ut verum & à DEO dictum, idque per

real

realem, & arcanam actionem Spiritus Sancti, immediatè & per se in intellectum agentis, eique intellectualiter loquentis. Cum priori modo revelatur dogma credendum, ejus veritas intellectui objicitur & repræsentatur per species intelligibiles *naturales*, seu naturali modo productas, hoc est, *intellectui impressas à Verbo externo* quod legimus vel audimus. Cum posteriori modo revelatur dogma credendum, ejus veritas intellectui objicitur, ac repræsentatur per species intelligibiles *supernaturales*, hoc est, *ab ipso Spiritu Sancto immediatè infusas*. Non enim excogitari potest alius modus, quo dogmatis credendi veritas per revelationem internam propriè sic dictam intellectui objici, ac repræsentari possit. Nam intellectus nihil intelligere potest sine speciebus intelligibilibus. Vnde Thomas Aquinas 2. 2. Quæst. 173. Art. 2. & cum eo omnes Theologi Scholastici dicunt illam speciem Revelationis Propheticæ, quæ posita est in pura intellectuali illustratione non posse aliter fieri, quam per infusionem specierum intelligibilium. Vide Suarezium Disput. 8. de Fide, Sect. 6. §. 1. & 2.

His positis facillimè confutatur eorum 8.
error,

error, qui dicunt formalem & principalem credendi rationem objectivam, in quam fides ultimò resolvitur, esse internam Spiritus Sancti revelationem propriè sic dictam. Primò enim hic modus cognoscendi veritatem dogmatum fidei est extraordinarius & propheticus, ut ex supra dictis patet: & per consequens doctrinæ Christianæ veritas ordinariè & communiter non sic innotescit fidelibus. Secundò qui hunc errorem amplectuntur, illi donum Prophetiæ, & donum fidei confundunt. Nam nobilissima species propheticæ revelationis est ea, quæ fit per intellectualem locutionem seu illustrationem, ut docent Thomas secunda secundæ, Quæst. 174. Art. 2. & Suarez Disp. 8. de Fide, Sect. 8. §. 2. Tertiò nimis apertè favet hæc sententia Swenckfeldianis, Anabaptistis, et aliis internos afflatus, seu enthusiasmos jactantibus. Nam illa interna revelatio quæ est *ex parte objecti*, quæq. semper fit per supernaturales et divinitus infusas species, verè et propriè enthusiasmus est. Quartò hinc sequitur totam Ecclesiam, hoc est, omnes fideles regi novis revelationibus. Quintò revelatio interna non magis potest nos certos reddere de divina sua authoritate, quam revelatio externa. Ergo si revelatio externa non propter se, sed propter revelationem

lationem internam credenda est, interna etiam revelatio credenda non est propter se, sed propter aliam aliquam revelationem: & sic aut dabitur processus in infinitum in revelationibus divinis, aut inter ipsas revelationes divinas committetur vitiosus circulus.

Quarta Assertio: *Non approbamus eorum sententiam, qui asserunt ultimam resolutionem illius fidei, qua Scripturæ authoritas creditur, necessariò fieri in traditionem Apostolicam non scriptam.* Hujus assertionis veritas abundè patet, partim ex argumento ad eam probandam allato parte 2. Disput. Quæst. 2. ad quod Turnebullus respondere non potuit, ut supra notavi Pag. 626. partim verò ex iis quæ dicta sunt Puncto 2. hujus Duplicationis, §. 6. Pag. 688. & 689. 9.

Quinta Assertio: *Graviter errant illi, qui docent Ecclesiæ testimonium, aut decretum seu definitionem, esse principale medium, per quod DEUS Scripturæ authoritatem revelat; nósque de ea certos reddit.* Primò enim non certò constat certitudine fidei decreta Ecclesiæ esse infallibilia, ut patet ex iis quæ dicta sunt 10.

TRACT. 5. hujus LIBRI. Secundò, testimonium Ecclesiæ non est simpliciter, sed tantùm suo modo divinum, ut docet BELLARM. Lib. 3. de Verbo DEI, Cap. 10, Resp. ad Arg. 15. Tertiò, idem Author loco citato, Resp. ad Arg. 13. dicit Ecclesiæ testimonium non esse primarium, sed secundarium fidei nostræ fundamentum. Absurdum autem est dicere authoritatem fundamenti primarii fidei pendere à secundario ejusdem fundamento. Quartò fides divina, qua talis est, nititur sola DEI revelatione. At ipsi Adversarii fatentur, Ecclesiæ testimonium esse quid distinctum seu diversum à revelatione divina. Vide Tract. 4. Cap. 3. §. 3. Quintò fides, qua creditur Scripturæ authoritas est verè divina. At fidem quæ nititur Ecclesiæ testimonio, non esse divinam fatetur Becanus Tract. de Fide, Cap. 1. Quæst. 2. §. 9. & Cap. 8. Quæst. 8. §. 8. Sextò, authoritas Ecclesiæ quoad nos pendet à Scriptura. Ergo non potest contrà authoritas Scripturæ quoad nos pendere ab Ecclesia. Nam sic inter regulas fidei committeretur vitiosus circulus. Septimò, nulla Principis lex authoritatem suam habet à subditorum judicio. At Scriptura Sacra respectu Ecclesiæ habet rationem legis. Ergo non habet suam authoritatem ab Ecclesiæ

siæ judicio. Denique si ad credendam Scripturæ authoritatem necessaria est regula aliqua distincta à Scriptura, tunc etiam ad credendam istius regulæ authoritatem opus erit alia regula, ab ea realiter diversa; & rursus, ad credendam hujus authoritatem, opus erit alia. Et sic aut dabitur processus in infinitum, aut inter ipsas fidei regulas committetur vitiosus circulus. At utrumque hoc consequens est absurdum. Ergo etiam & antecedens istud.

Pvnctvm Septimvm.

Proponitur vera sententia de ratione credendi Scripturæ authoritatem, & à cavillis Turnebulli vindicatur.

1 EX confutatione prædictorũ errorum patet veritas istius sententiæ, quæ asserit, medium externum & principale, per quod Sacræ Scripturæ authoritas revelatur, esse ipsam Scripturam: atque adeo fideles credere Scripturam esse DEI Verbum, non propter Ecclesiam, aut aliquam regulam à

Scriptura distinctam, sed propter ipsam Scripturam. Hanc sententiam proposui parte 2. Disp. Quæst. 6. eamque variis argumentis confirmavi ibidem Quæst. 7. Adversarius ad hæc respondens, inverso penitus controversiæ statu, impias & blasphemas assertiones mihi affingit: & in eas acerbè ac impotenter debachatur. Interim veram & genuinam nostrorum Theologorum sententiam dissimulat: & argumenta ad eam confirmandam allata turpi silentio transmittit. Nam ex iis omnibus unum tantum, videlicet id quod Quæst. 7. §. 1. & 2. propositum est attingit, & in eo solvendo se miserè ac infæliciter torquet.

2. Vt igitur Thesis, quam propugno Quæst. 6. & 7. ab Adversarii cavillationibus vindicetur, notet hic Lector, Primò objectum formale fidei nostræ, ex mea sententia, non esse Scripturam Sacram nudè & in se consideratam, sed tantùm consideratam quatenus est DEI Verbum, seu quatenus DEVM ipsum authorem habet. Hoc patet ex tota ferè mea Disputatione de formali fidei objecto: nam vix ulla est pagina istius Disputationis, in qua non dico formalem rationem, propter quam credimus ea quæ in Scriptura credenda proponuntur, esse *quia Scriptura*

tura est DEI Verbum. Vnde in ipso Disputationis titulo non dico *Scripturam*, sed *Scripturæ divinam authoritatem* esse formale fidei objectum.

Secundò notet Lector in Verbo DEI duplicem spectari posse authoritatem, quarum una est externa, & de ipso Verbo scripto prædicatur tantùm *per denominationem extrinsecam:* Hæc est suprema, & increata authoritas DEI Optimi, Maximi, qui hujus Verbi author & inspirator est. Altera est interna, ipsique Verbo scripto intrinseca; quæ nihil aliud est, quam eminentia quædam, aut dignitas ipsius Verbi, quam à suo authore habet, quaque omni alio verbo excellentius est. Vtraque hæc authoritas dici potest divina. Prior enim propriè & formaliter est divina, quia *in ipso DEO est*. Sic etiam posterior divina dici potest, quia etsi *non in DEO*, tamen *à DEO est*, & Verbo illi competit quatenus DEVM authorem habet, seu quia DEI Verbum est. Prior authoritas sic exprimitur: *Hoc Verbum, est DEI Verbum: DEVM authorem habet: DEVS per illud loquitur: omnia quæ in eo continentur, à DEO revelata sunt.* Posterior verò sic exprimitur: 3.

Hoc Verbum est certum, est infallibile, est omni alio verbo certius. Hac distinctione utuntur; sed perperam eam applicant Ecclesiæ, Suarez Disp. 3. de Fide, Sect. 10. §. 8. & ipse Turnebullus Cap. 7. §. 1.

4. Si quis igitur quærat, utra harum authoritatum sit formale fidei objectum? Resp. Prior illa; id est increata & æterna DEI authoritas, non quidem nudè & abstractè cõsiderata, sed ipsi verbo applicata per denominationē quandam extrinsecam, quæ his propositionibus exprimi solet: *Hoc verbum, est DEI Verbum: DEVS, qui prima veritas est, per illud loquitur,* &c. Hoc fateri videtur Turnebullus Cap. 10. §. 2. ubi dicit Scripturam à nobis credi *non propter seipsam, sed propter externam æternamq; inspiratoris authoritatem.* Et quid quæso hoc aliud est, quam, quod ego dico, Scripturam, & ea omnia, quæ in ipsa credenda proponuntur à nobis credi, quia Scriptura DEI Verbum est. Hoc etiam fatetur Bellarm. Lib. 3. de Iustificatione, Cap. 8. §. 1. Ratione 1. *Fides* (inquit) *non est, nisi Verbi divini auctoritate nitatur.* Et Valent. Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 4. Col. 22. ubi dicit *omnem certitudinem*

nem assensionum fidei ascribi in Sacris Scripturis auctoritati divinæ revelationis, id est, Verbi DEI. Et apertius Malderus in secundam secundæ D. Tho. Quæst. 1. Art. 1. Sect. 3. ubi ait *ex Scripturæ testimoniis apertè constare nos id, quod fide credimus, credere tanquam Verbum DEI, id est, propter authoritatem, quam apud nos habet Verbum DEI, quæ nihil est aliud, quam authoritas primæ & summæ Veritatis.* Hi authores dicunt authoritatem Verbi DEI, esse authoritatem ipsius DEI; & per consequens, esse formale fidei objectum.

Hinc patet, Iesuita Turnebulle, te impudenter calumniari, meamque sententiam 5. pessima fide proponere, cum ita contra meas positiones de formali fidei objecto disseris, quasi dixissem ipsam Scripturam simpliciter, & in se spectatam esse formale fidei nostræ objectum: item eam à nobis credi propter seipsam, & non propter aliud. Vnde collegis me esse idololatram, Cap. 10. §. 1. & 2. idque quia honorem primæ Veritati proprium tribuo creaturæ inanimatæ, id est Scripturæ.

At verò parum tibi tuæque famæ consu- 6. les, Turnebulle, si palam sic mentiri pergas.

Mendacia non diu fallunt, ut dici solet, præsertim si aperta et manifesta sunt: Tale esse hoc tuum mendacium, et ex mea Disputatione, et ex tua Replicatione facilè cuivis patere potest. Nam, quod ad Disputationem meam attinet, ubi quæso dico Scripturam nudè et in se consideratam esse formale fidei objectum? In ipso disputationis titulo, ut jam monui, dico non *ipsam Scripturam*, sed *Scripturæ divinam & canonicam authoritatem* esse formale fidei objectum. Et in toto disputationis progressu doceo formalem rationem, propter quam credimus ea, quæ credimus, non esse quia in Sacra Scriptura continentur, sed quia Scriptura in qua continentur, et nobis credenda proponuntur, non hominis, sed DEI ipsius Verbum est.

7. Similiter dic, sodes, ubinam asseram Scripturam credi *propter se ipsam*, eo sensu, quo me id asserere fingis. Assero quidem locis à te citatis nos credere Scripturam esse Divinam et Canonicam; hoc est, esse DEI Verbum, *non propter aliam revelationem à Scriptura distinctam, sed propter seipsam*; vel, ut planiùs dicam, fidem qua credimus Scripturam esse DEI Verbum, non necessariò niti revelatione ali-

quæ à Scriptura distincta, sed niti ipsa Scriptura: quod sanè verissimum est, ut infra probabo. At nullibi dico nos fidem adhibere Scripturæ, iisque quæ in Scriptura continentur, propter ipsam Scripturam: immò ubique assero nos credere ea quæ in Scriptura continentur, quia Scriptura DEI Verbum est. Vnde posteriori loco à te citato sic propono quæstionem, *An Scriptura credatur esse divina & canonica propter se?* et ad eam respondeo affirmative.

Disce igitur, Turnebulle, inter hæc duo distinguere, *Scripturam credi propter se*, et *Scripturam credi esse divinam propter se*. Prius significat Scripturæ fidem esse adhibendam propter se, et est falsum. Posterius significat hoc principium, *Scriptura est DEI Verbum*, non credi propter aliud prius principium ab hoc distinctum, sed propter se; vel, quod eodem redit, Scripturæ divinam auctoritatem non credi propter revelationem aliquam à Scriptura distinctam, sed propter ipsam Scripturam. 8.

At dicet aliquis: Non semel asseris revelationem divinam à nobis credi propter seipsam. Resp. Verba mea quibus hoc assero locis à te citatis, id est, parte 1. Sect. 5. §. 5. & parte 2. Quæst. 7. §. 6. apertè indicant 9.

mu-

me non loqui de revelatione externa *nudè & in se spectata*, sed *quatenus DEI authoritas ei applicatur*, seu quatenus DEVM authorem habet: hoc est, quatenus est divina, & quatenus hac propositione exprimitur, *hæc revelatio est divina*, vel *hoc verbum, DEI Verbum est*.

10. Hoc patet ex argumento, quod efficaciter contra vos illic urgeo, & ad quod tu nondum respondere ausus es. Illud sic se habet: Aut admittendus est processus in infinitum, in revelationibus divinis, aut tandem deveneniendum est ad aliquam revelationem, quæ propter se creditur, supple, *esse divina*, aut, ut illic me ipsum explico, *quæ nos de divina sua authoritate certos reddit*: & infra: Fides igitur qua credimus hanc revelationem *esse divinam*, nititur aliqua revelatione divina, & proinde vel nititur hac ipsa revelatione, vel aliqua alia. At non nititur aliqua alia, quia sic daretur processus in infinitum. Ergo nititur hac ipsa revelatione, id est, propter hanc ipsam revelationem, & non propter aliquam aliam ab ea distinctam, credimus hanc revelationem esse divinam. Patet igitur ex mea disputatione sententiam illam, quam mihi affingis, nequaquam à me, locis à te citatis, assertam aut defensam fuisse.

Patet etiam hoc ex tuo libello, nam 11.
cum sententiam meam, de formali fidei objecto, Cap. 2. §. 5. oppugnas, hoc in mea doctrina reprehendis, quod dixerim formale objectum fidei, respectu eorum quæ in Scriptura credenda proponuntur, esse hoc principium, *Tota Scriptura est DEI Verbum.* Non igitur censeo fidem adhibendam esse Scripturæ, iisq; quæ in Scriptura credenda proponuntur, propter ipsam Scripturam; sed *propter Scripturæ divinam authoritatem*, seu quia Scriptura DEI Verbum est.

At dices; si Scriptura creditur esse DEI 12.
Verbum propter seipsam, idem incommodum manet, videlicet Scripturam ipsam simpliciter, & in se spectatam, esse formale fidei meæ objectum. Si enim Scripturam esse veram & infallibilem credimus, quia ea DEI Verbum est; eam autem esse DEI Verbum credimus propter seipsam, manifestè sequitur a primo ad ultimum Scripturam a nobis credi propter seipsam; hoc est, nos propter ipsam Scripturam, credere Scripturam esse veram & infallibilem. Ecce, Turnebulle, nervosius & acutius pro te, tuæque objectiunculæ confirmatione dissero, quam tu, in tuo opusculo disseruisti. Sed nihil hoc tibi

profu-

profuerit: magna est veritas & prævalet, & quo acrius oppugnatur, eo amplior & commodior occasio offertur veritatis assertoribus ipsam illustrandi.

13. Breviter igitur respondeo Theologos orthodoxos, cum dicunt se credere Scripturam esse DEI *Verbum*, non propter aliquid aliud, sed propter seipsam, non excludere DEVM aut *summam DEI veracitatem* ab assensu fidei, sed tantum *revelationes à Scriptura distinctas*. Illa enim assertio, *Credo Scripturam esse DEI Verbum, non propter aliquid aliud, sed propter seipsam*: illa, inquam, assertio hunc habet sensum, Credo Scripturam esse DEI Verbum, seu, quod eodem redit, omnia quæ Scriptura continentur esse divinitus revelata, quia Prima Veritas id revelavit, non per aliquam revelationem à Scriptura distinctam, sed per ipsam Scripturam.

14. Cæterum quod attinet ad quæstionem a te propositam Quæst. 10. §. 2. qua videlicet quæris quid intelligam nomine *internæ lucis*, & *divinitatis*, quas S. Scripturæ attribuo parte 2. Disp. Quæst. 8. §. 3? breviter & apertè respondeo, Primò, me nomine *divinitatis*, intelligere *externam*, *æternamque* (ut tu loqueris) *inspiratoris autho*rit

thoritatem, quæ de Scriptura prædicatur per denominationem extrinsecam. Quod autem inde colligis Scripturam non credi propter se ipsam, id non me, sed umbram tuam, cum qua toto ferè tuo libello animosè, & fortiter decertas, ferit. Secundò, dico me nomine *internæ lucis*, intelligere eximiam illam Scripturæ qualitatem seu proprietatem, propter quam ea dicitur esse *lucida & illuminare oculos*, Psal. 19. 8. item *lumen, & lucerna lucens in caliginoso loco*, Psal. 119. v. 105. Proverb. 6. 23. & 2. Petri, Cap. 1. v. 19. Hæc autem proprietas competit Sacræ Scripturæ quatenus ea est manifestativa rerum sublimium, supernaturalium, & ad æternam salutem utilium, quas Philosophi gentiles, aliįque, qui extra Ecclesiam vixerunt, obscuro humanæ rationis lumine percipere non potuerunt.

PVNCTVM OCTAVUM.

Confutatur alterum Punctum Replicationis Turnebulliane, & ostēditur quo sensu verum sit primum fidei principium non credi propter aliud, sed propter se.



1. VOD ad primum istud argumentum à me Quæst. 7. propositum attinet, ut infirmitas replicationis, quam tu ei opposuisti, appareat, teneantur hæc fundamenta.

2. Primò, nulla credendi regula est primum principium fidei, sed potius divina authoritas primariæ seu principalis regulæ credendi, est primum fidei principium: verbi gratia, ipsa Scriptura nudè & in se considerata, non est primum fidei principium: ejus enim veritas seu infallibilitas creditur propter aliud, videlicet propter divinam ejus authoritatem. Ideo enim credimus ea quæ Scriptura nobis credenda proponit, quia Scriptura DEI Verbum est, seu quia DEVS per Scripturam ea quæ credenda sunt revelat. Fides autem, qua creditur hoc principium, non resolvitur in aliud prius principium. Nam DEVS per ipsam Scripturam revelat Scripturam esse DEI Verbum.

3. Secundò, quamvis primum fidei principium in omnibus non conveniat cum primis scientiarum principiis, in hoc tamen cum iis convenit, quod certitudo, quam de

ejus

ejus veritate habemus, in aliud principium ab eo distinctum non resolvatur. Ex his duobus fundamentis patet falsitas eorum quæ contra consequentiam argumenti nostri a te dicta sunt Cap. 10. §. 7.

Tertiò, in priori illa probatione argumenti nostri loquor de primis & indemonstrabilibus principiis scientiarum simplicium, nulli superiori subalternatarum. Nam primum fidei principium refert naturam & conditionem primorum & indemonstrabilium principiorum: in hoc tamen ab iis differt, quod assensus, quem præbemus conclusioni demonstrationis, specie differat ab assensu, quem præbemus principiis seu præmissis; contrà verò assensus, quem præbemus primo fidei principio, ejusdem naturæ sit cum assensu, quem præbemus specialibus dogmatibus quæ propter hoc principium creduntur. Hæc observatio diluit ea quæ à te dicta sunt, Cap. 10. §. 8. 4.

Quartò, hoc principium fidei, Scriptura est DEI Verbum, non est *notum ex terminis*, ut rectè observas loco citato §. 9. & proinde non est *per se notum evidenter*. At nihilominus est *per se notum inevidenter*, ut loquitur *Valent.* Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 4. §. 1. & ut loquitur Sua- 5.

rez

rez. Disp. 3. de Fide, Sect. 12. §. 11. *est per se creditum, & sibi ratio credendi.* Est igitur primum fidei principium aloquo modo per se notum, et in hoc convenit cum primis principiis Philosophicis. At non est per se notum evidenter, et in hoc ab iis discrepat.

6. Quintò, cum dico principium hoc *Scriptura est DEI Verbum*, quando creditur fide divina, non credi propter aliud, sed propter se ipsum; per illam parciculam *non propter aliud*, non excludo DEI testantis seu revelantis authoritatem, ut tu imaginaris ibidem §. 10. sed tantum externa revelationis media vel instrumenta, per quæ alii putant Scripturæ authoritatem principaliter nobis revelari, ut patet ex iis quæ dicta sunt Puncto præcedenti, sub finem. Non igitur hîc mihi contradico, sed fundamentis supra positis constanter inhæreo ac insisto.

7. Denique primum fidei Christianæ principium, non est simile principijs scientiarum subalternatarum, quæ in scientia aliqua superiori demonstrantur, ut tu supponis §. 11. Capitis citati; sed potius, ut supra dictum est, refert naturam et conditionem primorum et indemonstrabilium principiorum, quæ in scientijs subalternantibus supponuntur.

tur. Quicquid igitur non propter aliud, sed propter se creditur, id omnino indignum est nomine primi principij fidei. Nam primũ fidei Christianæ principium, nõ resolvitur in aliud principium a se distinctum, ut ex apertis ipsorum Adversariorum confessionibus patebit Puncto sequenti.



Punctum Nonum.

Fidem, qua credimus Scripturam esse DEI Verbum, ultimatè resolvi in ipsam Scripturam, tanquam in medium externum & principale, per quod DEUS Scripturæ authoritatem revelat, manifestè probatur ex doctrina Capreoli, Cajetani, Valentiani, Becani, & Suarezij.



OHANNES CAPREOLUS, (qui Thomistarum princeps in vestris Scholis appellatur) de illo fidei actu, quo primis principiis fidei assentimur, sic scribit, Lib. 3. Sentent. Dist. 24. Quæst. unica, Art. 3. *Et cum ul-* 1.

terius queritur quomodo assentio huic, DEVS revelavit hoc, &c. dicitur quod fides assentit illi propter seipsam, & non propter aliquam aliam propositionem, ex cujus assensu causetur assensus istius, DEVS revelavit hoc. Hoc est enim primum credibile, DEVS vel Veritas prima revelavit quicquid continetur in S. Script. & in doctrina Ecclesiæ. Nec assensus hujus propositionis effectivè & principaliter causatur ex alio assensu praecedente, &c.

2. CAIETANVS, in 2. 2. Quæst. 1. Art. 1. Resp. ad dubium 4. de eodem fidei actu sic scribit: *Vera tamen responsio est, quod sicut in transcendentibus vnitas est vna, & bonitas est bona: sic divina revelatio est quo, & quod creditur, ita quod sicut vnitas est vna seipsa, & ibi est status: ita divina revelatio, qua cætera creduntur, est credita seipsa, & non per aliam revelationem.*

3. VALENTIANVS, Tom. 3. Disput. 1. Quæst. 1. Punct. 1. §. 5. Difficult. 8. *Possumus* (inquit) *secundò ad argumentum respondere, concedendo quod fides*

præb

præbeat assensum revelationi ut revelatæ, non per aliam revelationem, sed per seipsam. Item Punct. 4. istius Quæst. §. 1. Col. 61. *Secundò*, (inquit) *negandum est id esse per se notum evidenter (sicut hic loquimur) quod per se creditur, seu primò seu secundò: sed est id per se notum inevidenter. Iam enim diximus, cognitionem latius patere, quam cognitionem evidentem. Itaque quamvis divinam revelationem de aliqua propositione fidei, per se ipsam cognoscimus, & credimus per fidem sine alia revelatione, ut Puncto primo explicuimus: tamen non illam per se cognoscimus evidenter.* Et Punct. 7. ejusdem Quæst. §. 43. Col. 245. ubi de authoritate Scripturæ ex professò agit: *Quibus* (inquit) *rebus ita explicatis, facilè id etiam patet, quod tertio loco declarandũ proposuimus: nempe quanta sit Scripturæ auctoritas. Est enim divina prorsus, ac proinde omninò infallibilis, ut magis Capite sequente explicabitur, & defendetur. Quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob revelationem divinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam*

propriè ipsa fides respicit: tum etiam ob Ecclesiæ propositionem, tanquam ob conditionem, quandam requisitam, vt id ipsa Christiana fide credamus, tum postremò ob communia fidei motiva, tanquam propter argumenta videlicet, quibus animum inducimus credere non modo quæ in Scripturis continentur, esse omnia verissima, sed inprimis etiam Scripturas ipsas esse divinas.

4\. BECANVS Tract. de Fide, Cap. 1. Quæst. 2. §. 9. *Assensus* (inquit) *fidei, videtur vltimò resolvi in authoritatem Ecclesiæ. Nam si quæram, quare credis articulos fidei? Respondebis, quia DEVS revelavit. Si iterum quæram, quare credis DEVM revelasse? Respondebis, quia Ecclesia Catholica hoc dicit. Ergò vltima resolutio fit in Ecclesiam. Respondeo. Tripliciter credi potest, DEVM hoc vel illud revelasse. Primò, propter se: & tunc est assensus fidei Theologicæ, de quo hic agimus. Secundò, propter authoritatem Ecclesiæ dicentis: & tunc non est assensus fidei Theologicæ, sed alterius inferioris ordinis. Tertiò, propter authoritatem hominis:*

nis: & tunc est assensus fidei humanæ. Primus assensus sic explicatur; Credo DEVM hoc revelasse, non propter aliud, sed immediatè propter se. Secundus sic; Credo DEVM hoc revelasse, quia Ecclesia dicit. Tertius sic; Credo DEVM hoc revelasse, quia homo dicit. Itaque primus assensus non resolvitur vlterius, sed sistit in ipsa revelatione divina, quæ creditur propter seipsam. Secundus resolvitur in authoritatem Ecclesiæ. Tertius in authoritatem hominis.

SVAREZ, Disp. 3. de Fide, Sect. 12. §. 11. de hac ipsa materia sic scribit: *Et in primo argumento postulatur difficultas sæpè inculcata, & in hac materia valdè obscura reputata, quomodo possit eadem propositio & esse credita, & ratio credendi ne in infinitum procedatur. Ad quod primò dicimus necessarium esse, vt authores primæ sententiæ, hunc etiam nodum solvant: quia non possunt negare primam assertionem à nobis positam, vt revera non negant, quia est fide certissima, & tamen in illa potest fieri idem argumētum. Nam* 5.

si fide credimus DEVM dixisse mysteria fidei, ex quo quæso principio, vel ratione illud credimus? Nam si ex alio distincto, de illo iterum quæram, & sic procedam in infinitum. Si autem ibi sistimus, jam eadem propositio quamvis per se nota non sit, erit per se credita, & sibiipsi ratio credendi.

6. Item §. 12, ejusdem Sect. *Dico* (inquit) *ergo principium illud non resolvi in aliud principium à se distinctum, sed seipso credi, ut rectè explicarunt Capr. & Cajet. citati in numero 7. Neq. refert quod objicitur quod illud principium non est per se notum: quia esto hoc ita sit, nihilominus potest esse, & est per se credibile.* Et infra: *Hoc ergo* (inquit) *modo divinum verbũ & rem dictam, & seipsum dicit, & hac ratione per fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud verbum, sed per se ipsum.*

7. Similiter Disp. 5. de Fide, Sect. 2. §. 4. fatetur Scripturam habere in se aliquid peculiare unde fiat evidenter credibile, atque adeo certum certitudine infallibili (nam evidentia credibilitatis, ex sententia Suarezii, sine

sine hac certitudine consistere nequit, ut patet ex ejus Disp. 5. de Fide, Sect. 2. §. 4.) eam esse DEI Verbum. *Ita etiam* (inquit) *regula fidei quatenus est speciale organum per quod DEVS loquitur, interdum potest sibi testimonium præbere, & in se habet aliquid peculiare ex divina providentia, & ordinatione, unde fiat evidenter credibile, eam esse regulam fidei, & divinam assistentiam habere, ut est in Script. verbi gratia, concordia Prophetiarum cum eventibus, & sic de aliis quæ postea explicabimus.*

Item Sect. 3. ejusdem Disput. §. 8. sic disserit, de internis Scripturæ Criteriis: 8: *Vltra hæc verò possunt addi rationes credibilitatis, quarum præcipua est, quæ sumitur ex Prophetiis rerum futurarum. Nam cum Scriptura prædixerit futura, quæ postea videntur impleta, evidens argumentum est, solo authore DEO scribi potuisse. Accedit præterea mirabilis concordia, & consonantia omnium librorum inter se. Nam inde fit valde credibile, fuisse instrumenta ipsius DEI principaliter scribentis. Expendi etiam potest*

sanctitas, & puritas doctrinæ, &c.

Denique ibidem §. 9. de authoritate il-
9. lorum librorum, quos quidam distinctionis gratia Protocanonicos vocant, sic scribit: *De primo ordine librorum nihil est quod dicamus, quia habent summam authoritatem (quam habere possunt) tam ex se, quam ex Traditione, & Ecclesiæ approbatione.* Hîc loquitur Suarez, de authoritate horum librorum *quoad nos*, dicitque eos habere summam hanc authoritatem apud nos, nō solum *ex Traditione, & approbatione Ecclesiæ*, sed etiam (quod valdè notandum est) *ex se*, hoc est, ex internis illis motivis, quæ ipsi Scripturæ insunt, & de quibus §. 8. locutus est.

Ex his Scriptorum Pontificiorum testi-
10. moniis facilè colligi possunt assertiones aliquot, quæ Evangelicorum doctrinam de ratione credendi Scripturæ authoritatem, mirificè confirmant & illustrant: videlicet 1. principium illud, *DEVS dixit seu revelavit mysteria fidei*, non resolvi in aliud ulterius principium: 2. illud esse *per creditum*, & sibi ipsi rationem credendi: 3. revelationem divinam *revelare seipsam*: 4. ex internis rationibus credibilitatis, quæ videlicet

licet ipsi Scripturæ insunt, ut verbi gratia, ex concordia Prophetiarum cum eventibus, *evidens argumentum* sumi posse, ad probandum libros illos sacros *solo authore DEO scribi potuisse*: 5. Sacræ Scripturæ divinam & Canonicam authoritatem nobis ex fide constare ob revelationem divinam in ipsa Scriptura contentam, *tanquam ob rationem, in quam propriè respicit ipsa fides*: Ecclesiæ verò propositionem solùm esse *conditionem quandam requisitam* ut Christiana fide credamus Scripturam esse DEI Verbum.

Fateor equidem quosdam ex Authoribus citatis revera id damnasse quod nos tuemur de ratione credendi Scripturæ authoritatem; Interim ex te, mi Turnebulle, scire velim, utrum dicendum sit assertiones illas cum sententia vestra de Scripturæ authoritate conciliari posse? An verò ingenuè confitendum sit ineluctabilem veritatis vim ea authoribus istis extorsisse, quæ communem Ecclesiæ Romanæ de ipso primo fidei principio doctrinam funditus evertunt? Huic quæstioni plenè, & perspicuè satisfacito, *& eris mihi magnus Apollo*. 11.

QVÆST



QUÆSTIO VIII.

An Becanus, Gretserus, *aliique Pontificii Doctores, rectè nobis objiciant Circularem progressum in stabilienda fide.*



1. GRETSERUS in Tractatu de agnoscendis Scripturis canonicis cap. 4. colum. 1887: *Et* Becanus, *tum in* Opusculo de Circulo Calvinistico, § 6. *tum in* Compendio Manualis lib. 3, cap. 10. §. 2. *objiciunt nobis Circulum: quod videlicet credamus Scripturam esse DEI Verbum propter internum sancti Spiritus testimonium; & rursus illud internum sancti Spiritus testimonium credamus propter Scripturam, in qua* (*ut loquitur* Gretserus) *sanctus Spiritus credentibus est promissus. Hic igitur duo consideranda sunt: primò, Quid hic intelligant Orthodoxi per internum S. Spiritus testimonium? Secundò, an Orthodoxi Theologi credãt Scripturæ divinam autoritatem propter internum Spiritus testimonium.*

2. *Quod ad prius attinet, Evangelici per internum illud sancti Spiritus testimonium, non intelligunt* novam

novam aliquam & extraordinariam revelationem, *immediatè à sancto Spiritu profectam: sed revelationis prius in ipsa Scriptura factæ* applicationem efficacem. *DEVS enim, qui Sacræ Scripturæ Author est, eam lucem, virtutem, & majestatem Scripturæ indidit, quæ sufficere possit ad Scripturæ authoritatem manifestandam & suadendam, præsupposita videlicet Ecclesiæ testificatione; sine qua DEVS ordinariè istam fidem non producit. Cæterum, quia nemo* intueri potest mirabilia ex Lege DOMINI, *donec ipse DEVS per Spiritum suum* ejus oculos retegat, Psal. 119. 18. *ideo illam revelationem authoritatis Sacræ Scripturæ extrinsecus in ipsa Scriptura factam necesse est intrinsecus applicari, & in cordibus nostris obsignari per gratiosam operationem sancti Spiritus intellectum nostrum illuminantis, ad percipiendam Scripturæ divinitatem in ipsa Scriptura revelatam, & voluntatem nostram efficaciter moventis, ad eam amplectendam.*

Quod ad posterius attinet, patet ex quæstione tertia hujus secundæ partis, internum illud sancti Spiritus testimonium esse quidem principalem causam effectivam *illius actus Fidei, quo creditur Script. authoritas: non vero esse ejus principalem causam* objectivam, *seu fundamentum ejus principale. Ipsa enim Scriptura interna sua luce, virtute, & majestate divinitatem suam nobis manifestans, est principale fundamentum illius Fidei, qua* 3.

Sacræ

Sacræ Scripturæ divina authoritas creditur. Hinc patet nos, in Fide nostra resolvenda neque progredi in infinitum, *neque in* Circulo agitari: *quia videlicet, nos tandem* sistimus *in quodam* ultimo credibili, *quod non propter aliud, sed propter se creditur: nimirum in ipsa Sacra Scriptura quæ creditur esse DEI Verbum, non propter aliud, sed propter se. Verbi gratia, Credo CHRISTVM habere duas voluntates, quia habet duas naturas, Divinam, & Humanam: Credo autem eum habere duas naturas, quia Scriptura, quæ DEI Verbum est, ei duas naturas tribuit. Scripturam autem esse DEI Verbum credo, non propter aliud, sed immediatè propter se: quamvis ad hoc credendum maximè necessaria sit interna illa operatio sancti Spiritus, qui intellectum efficaciter movet in genere* causæ effectivæ, *ad Sacræ Scripturæ authoritatem credendam, eum videlicet illustrando, ut poßit percipere mirabilia de Lege DOMINI, quæ in genere* causæ objectivæ *movent intellectum ad assentiendum. Sic assentimur Scientiarum principiis propter se: attamen ad illum assensum producendum necessarius est habitus ille mentis, qui habitus principiorum, & intellectus dicitur. Sicut enim ipsa principia* objectivè *movent intellectum ad assentiendum, ita hic habitus* effectivè *concurrit ad illum assensum producendum.*

4. *His positis nos facillimè perrumpimus straminenum illum Circulum, in quem Pontificii nos includere*

dere satagunt. *Falsò enim asserunt nos credere Scripturæ authoritatem propter internum sancti Spiritus testimonium: nam ut jam monui nos credimus Scripturæ divinam authoritatem,* non propter aliud, *sed* propter ipsam Scripturam: *quia nimirum actus ille fidei, quo Scripturæ authoritas creditur, ipsa Scriptura nititur, ut fundamento suo principali.* *Dicet aliquis; Quidam Orthodoxi Theologi longè aliter loquuntur. Asserunt enim sæpissimè Scripturæ authoritatem credi,* propter *internum sancti Spiritus testimonium.* Resp. *Quamvis aliter loquantur, non tamen aliter sentiunt: Illud enim* propter, *ambiguum est, & aliquando importat respectum, ad* causam effectivam *assensus: aliquando vero, immo sæpius, ad* causam objectivam, *seu ad fundamentum, quo nititur assensus mentis nostræ. Cum igitur dicunt nos credere Scripturæ authoritatem, propter internum sancti Spiritus testimonium, nihil aliud volunt quam Spiritus sancti testimonium esse principalem causam effectivam, quæ nos ad assentiendum movet.*

REPLIC



REPLICATIO TVRNEBVLLI,

Quam octava huic Quæstioni opposuit Cap. 16. sui Libri.



1. VNA mihi tecum superest quæstio, Minister Baro, Vtrum Catholici Doctores tuæ sectæ Professoribus rectè objiciant circulum, v. g. Davidi Paræo Heidelbergensi olim Professori, quando rogatus vnde sciret Scripturam esse Verbum DEI? respondit, Per internum Spiritus sancti testimonium; iterumque rogatus, Vnde sciret internum hoc testimonium, esse à Spiritu sancto? Respondit per Scripturam. Quod tu responsum vt à circulo liberes, 2. parte tuæ disputat. quæst. 8. ais Scripturam esse principalem caussam objectivam credendi, ultimumq. credibile, quod non propter aliud, sed propter seipsam creditur. Internum verò testimonium Spiritus sancti esse principalē caussam duntaxat effectivā, quę nos ad assensum movet, non autem objectivam, propter quam assentimur. Atque ita cum per diversa caussarum genera dentur ambæ responsi partes, concludis nullum à tuis ita respondentibus committi circulum.

2. Ego tamen contendo, tam hanc distinctionem, quàm omnem aliam viam esse inutilem ad vos


vos liberandos à circulo, qualem describit Esaias Propheta Cap. 19. in Ægyptiis insipienti suorum optimatum consilio ita seductis, & spiritu vertiginis ita correptis, ut *errarent in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens*; atque armati contra seinvicem in mutuam perniciem concurrerent. Et specialis quidem inutilitas hujus distinctionis à nostris alioqui mendicatæ, facile ostenditur bifariam. Primò, quia licet hæc distinctio à nostris in aliorum terminorum usu rectè adhibeatur, manifesto tamen abusu terminorum tu eam usurpas. Nam omne testimonium tam divinum, quàm humanum testantis authoritatem exhibet, & hac exhibitione objectiva gignit Fidem testanti debitam. Ergo & testimonium Spiritus sancti, quando à tuæ sectæ Patriarchis affertur pro ratione credendi Scripturam, in eumdem finem affertur.

Quomodo ergo à te fingitur denotare solam caussam effectivam? Non advertis nomine testimonii significari Verbum testantis, quod à respectu ad auctoritatem per tale signum loquentis, non potest sine contradictione præscindi. Videris, mi Baro, loqui, & non advertere ad vim propriæ vocis.

Deinde non advertis discrimen inter discere, 3.
Quid sit credendum, & ipsum credere. Quæstio nostrorum objecta vestris, Vnde constat Scripturam esse Verbum DEI? non quærit proximam rationem credendi, vel formale objectum Fidei Scripturis debitæ, quod nemo ante te negavit esse DEVM quatenus est prima veritas. Sed quærit regulam credendi tanquam principium disciplinæ Catechisticæ præcedentis Fidem, quâ Prudentia credent

credentis gubernetur, & infallibiliter discernatur ab omni temeritate communi hæreticis in ejusdem alioquiScripturæ corticem nobiscum ut plurimùm consentientibus. At sic intellectæ quæstioni nondum responsum esse à vestris nisi per circulum evidens est. Nam distinctio à te allata inter duplex caussæ genus effectivæ, & objectivæ non potest accommodari huic sensui quæstionis ex se determinato ad solam regulam per modum objecti exemplaris præsuppositum Prudentiæ, piæque affectioni credentium.

Quæ à Paragrapho hoc tertio, ad finem hujus Capitis habentur, ea pertinent ad quæstionem de Regula fidei, quam in specialem tractatum de Sacræ Scripturæ perfectione, postmodum, si DOMINVS voluerit, edendum, supra rejeci.



AUTHORIS DUPLICATIO,

In qua

Evangelicorum fides ab omni Circulo liberatur, & Adversarii impostura in pervertendo hujus controversiæ statu detegitur.

RESPONS



Esponsionem meam ad argumentum, quo Becanus, Gretserus, & alii Doctores Pontificii probare conantur nostrum progressum in stabilienda fide esse circularem, duabus rationibus impugnas Cap. 16. §. 2. & 3. Prima ratio nititur falso, aut saltem ambiguo fundamento, quod videlicet *omne testimonium divinum DEI testantis authoritatem exhibeat*, atque adeo quod sit *objectiva ratio credendi*. Id enim verum est, si testimonium divinum strictè & propriè accipiatur pro revelatione ea quæ est *ex parte objecti*, quaque DEVS ipsas res credendas nobis manifestat seu revelat. Falsum verò est, si testimoniū divinū latè et impropriè accipiatur pro revelatione ea quę est *ex parte potentiæ intellectivæ*, quæque, ut supra monui, posita est in infusione habitus fidei, & collatione auxilii specialis ad credendum necessarij. Nam habitum fidei, & gratiam auxilii specialis, non ad objectivam, sed ad solam effectivam credendi causam pertinere, abunde probatum est Duplicat. præcedenti, Puncto 6. §. 5. Pag. 731. Posteriori h oc modo in hac controversia accipitur 1.

pitur internum testimonium Spiritus Sancti non solum à Pontificiis, sed etiam ab Evangelicis Theologis, ut patet ex Whittakero, Controv. 1. Quæst. 3. Cap. 11. Argum. 18. ubi dicit, *fidem infusam nihil aliud esse, quam testimonium Spiritus Sancti.*

2. Secunda tua ratio multa falsa & absurda continet. Primò enim miserè invertis & pervertis statum hujus controversiæ, §. 3. Capitis citati; ubi dicis hîc quæstionem præcipuè moveri, non *de formali objecto fidei Scripturis debitæ*, sed *de principio disciplinæ Catechisticæ*, quæ necessaria est, ut non temerè, sed prudenter credamus librorum Canonicorum auctoritatem. Nam quod ad principium disciplinæ Catechisticæ attinet, nos ultro fatemur Ecclesiæ testimonium *esse primam januam ad cognitionem librorum Canonicorum*, ut loquitur Gretserus vester, Append. 2. ad Lib. 3. de Verbo DEI, Col. 1515. *esse conditionem necessariò requisitam ad prudenter credendam eorum autheritatem:* atque adeo neminem prudenter credere hujus aut illius libri auctoritatem, nisi prius consuluerit Ecclesiam, non quidem *ut auctoritativum & infallibilem judicem*, sed *ut testem,*

custodem, & promptuarium librorum Canonicorum. Vide ea quæ dicta sunt præcedente Duplicatione, Punct. 2. §. 4. Pag. 686. & Puncto 3. §. 1. & 2. Vide etiam Tract. 4. Cap. 6. §. 1. Pag. 185.

At de formali objecto fidei Scripturis debitæ longè à vobis dissentimus. Nam ex sententia Evangelicorum formale objectum illius fidei, qua Scripturæ authoritas creditur, *est DEVS per ipsam Scripturam revelans Scripturæ authoritatem:* atque adeo medium principale per quod DEVS objectivè revelat Scripturæ authoritatem est ipsa Scriptura. Vos contrà dicitis, Primò, ex ipsa Scriptura non posse haberi infallibilem certitudinem de divina authoritate librorum Canonicorum: Secundò, Scripturam non esse perfectam & principalem fidei Regulam, quia ejus authoritas non per eam ipsam, sed per aliam credendi Regulam nobis innotescit. 3.

Secundò, falsò asseris formale objectum fidei Scripturis debitæ esse solam DEI veracitatem, seu *DEVM quatenus est prima veritas.* Nam tota & completa ratio formalis, propter quam credimus, est *DEVS quatenus est prima veritas revelans,* seu 4.

primæ veritatis revelatio, ut patet ex Tract. 3. Cap. 3. & 4.

5. Tertiò, nimis abjectè loqueris de regula credendi, cum eam à formali fidei objecto excludis, & ad solam disciplinam Catechisticam quæ fidem præcedit, & prudentiam credentis gubernat refers. Certum enim est, & ipse fateris Cap. 7. §. 3. & 6. regulam credendi, quatenus est instrumentum externum, per quod DEVS veritates credendas revelat, vel, ut tua phrasi utar, quatenus per eam DEI loquentis authoritas rebus credendis applicatur, pertinere ad formale fidei objectum. Præterea prudentia credentis non tantùm dirigitur & gubernatur *regula credendi*, sed etiam *humanis & evidenter cognitis motivis*. Imò prudens illud judicium de credibilitate doctrinæ Christianæ, quod fidei actum præcedit, solis hujusmodi motivis dirigi videtur.

6. Vt autem hoc intelligatur tenendum est aliquem duobus modis posse prudenter judicare hanc vel illam doctrinam esse credibilem: Primò, si videat eam multis argumentis humanis & naturalibus confirmari: Secundò, si videat eam in principali credendi regula, seu per eam, esse à DEO revelatam. Prius illud judicium de credibilitate doctrinæ non est actus fidei, sed est dispositio

tio quædam fidem præcedens, ut communiter docent Theologi: & per consequens prudentia, quæ in eo cernitur, verè & propriè dici potest *prudentia prævia*, quia præcedit fidei actus. Posterius judicium est actus fidei divinæ, ut docent Cajetanus, in 2. 2. Quæst. 1. Art. 4. ad 3. Suarez, Disput. 6. de Fide, Sect. 8. §. 6. & Becanus, Tract. de Fide, Cap. 8. Quæst. 6. & per consequens hujus judicij prudentia, non est dispositio præcedens fidem, sed est proprietas, seu affectio ipsorum actuum fidei.

Ex his patet testimonium Ecclesiæ ex 7.
sententia Evangelicorum *esse principium directivum prudentiæ præviæ*, quæ videlicet credendi actus præcedit. Dicimus enim neminem prudenter credere aliquod dogma fidei, nisi prius ex communibus fidei motivis, & speciatim ex Ecclesiæ præsentis testimonio, aut Ecclesiæ antiquæ doctrina & praxi id credendum esse aliquo modo percipiat. Vnde supra §. 2. dixi neminem prudenter credere librorum Canonicorum authoritatem, nisi prius consuluerit Ecclesiam, ut testem, custodem, & promptuarium librorum Canonicorum.

Si igitur Quæstio moveatur non de 8.
principali medio per quod DEVS Scripturæ authoritatem revelat, sed de via & ratio-

ne, qua discimus, qui libri pro Canonicis habendi sunt, deque principio directivo prævia prudentiæ, quæ videlicet præcedere debet illum fidei actum, quo Scripturæ authoritas creditur; si, inquam, sic concipiatur hæc quęstio de Scripturæ authoritate, libenter concedimus ad eam respondendum esse non per ipsam Scripturam, sed per Ecclesiæ testimonium.

9. Si verò Quæstio proponatur de principali medio, per quod DEVS Scripturæ authoritatem revelat, longę aliter respondendum est. Nam, ut ex præcedenti Duplicatione patet, neque internum Sancti Spiritus testimonium, neque Traditio aliqua non scripta, neque præsentis Ecclesiæ judicium, sed ipsa Scriptura, quatenus est internis suis criteriis vestita, est principale medium per quod DEVS Scripturæ authoritatem revelat: Et per consequens fides qua Scripturæ authoritas creditur, non resolvitur in aliquod medium divinæ revelationis à Scriptura distinctum; sed in ipsa Scriptura sistit & acquiescit. Hinc patet nos in fide nostra resolvenda, neque progredi in infinitum, neque in Circulo agitari; quia videlicet nos tandem sistimus in quodam ultimo credibili: nimirum in DEO quatenus per

per Scripturam revelat, non solum dogmatum credendorum veritatem; sed etiam ipsius Scripturæ authoritatem.



APPENDIX,

De propositione Ecclesiæ, qua sacræ Scripturæ authoritatem nobis credendam proponit, quæque, ut loquuntur Pontificii, est conditio annexa formali objecto fidei.

QVÆSTIO I.

An infallibilitas judicii requiratur in Ecclesia, quæ Verbi DEI authoritatem nobis credendam proponit?



Respondetur negativè, Primò, quia Ecclesiæ testimonium non est formale objectum fidei nostræ, aut principale ejus fundamentum, sed tantum conditio requisita ad assensum fidei, ut fatentur ipsi Adversarii. Ergo certitudo fidei nostræ ab eo intrinsecè & essentialiter non pendet: & proinde 1.

sublata infallibilitate hujus testimonii, plenè & sufficienter sua fidei certitudo constabit. Illustratur hoc à simili. Nam quemadmodum infallibilitas judicii in Philosophiæ Professoribus non requiritur; quia nimirum non eorum asseveratio, sed principiorum evidens veritas est principale fundamentum scientiæ discipulorum. Ita etiam infallibilitas judicii non requiritur in Ecclesiæ Pastoribus; quia, videlicet, non eorum testificatio, sed Primæ Veritatis revelatio est principale fundamentum fidei Christianorum, ut ipsi Pontificii profitentur.

2. *Secundò, Ecclesiæ propositio, qua proponit Verbi* DEI *authoritatem, vel est instituta ad instruendum & docendum tantum, vel etiam ad certificandum, & firmam fidem faciendam de veritate rei propositæ. Si Ecclesiæ propositio est* informativa *tantum, & non* certificativa, *infallibilitas judicii in ea non requiritur, ut cuivis manifestum est. Si verò etiam est* certificativa, *& firmam rei propositæ fidem facit, jam non* conditio *tantum, sed &* causa credendi *est: quod falsum & absurdum est, fatentibus ipsis Adversariis, qui palam asserunt Ecclesiæ testimonium non esse causam assensus fidei, sed esse conditionem necessariò requisitam ad assensum fidei eliciendum.*

QVÆST

QVÆSTIO II.

An ob Ecclesiæ propositionem infallibilem, tanquam ob conditionem necessariò prærequisitam, Verbi DEI authoritas credenda sit?



Espondetur negativè. Idque quia, si ob Ecclesiæ infallibilem propositionem, tanquam ob conditionem prærequisitam, Verbi DEI authoritas credenda sit, necessariò sequetur Ecclesiæ infallibilitatem credendam esse, antequam credamus Verbi DEI authoritatem. At hoc est absurdum. Ergo, & illud. Probatur propositio, quia testimonium Ecclesiæ, ex Pontificiorum sententia, nihil roboris, aut efficaciæ ad suadendam Scripturæ divinam authoritatem habere potest, nisi & in se infallibile sit, & nobis tale videatur, hoc est, nisi firmam persuasionem de ejus authoritate prius habeamus. Ergo si ob illud testimonium, tanquam ob conditionem prærequisitam, Verbi DEI authoritas credenda sit, illius testimonii infallibilitatem prius à nobis credi oportet. 1

Probatur assumptum, quia si Ecclesiæ infallibi-
2. *litas credatur ante ipsum formale fidei objectum, hoc est, ante totius Verbi DEI authoritatem, sequetur Ecclesiæ infallibilitatem credi, ante omnia materialia fidei objecta, & proinde etiam ante seipsam. Hoc autem sic colligitur: Ecclesiæ infallibilitas, ex Pontificiorum sententia, credenda est ante totius Verbi DEI authoritatem: & Verbi DEI authoritas credenda est antequam credamus aliquid quod in Verbo revelatum est. Ergo, à primo ad ultimum, Ecclesiæ infallibilitas credenda est, antequam credamus aliquid quod in Verbo DEI revelatum est. At ipsa Ecclesiæ infallibilitas in Verbo DEI revelata est. Ergo Ecclesiæ infallibilitas credenda est, antequam credamus Ecclesiæ infallibilitatem: & sic idem credetur ante seipsum, eritque notius seipso: quod absurdum est, & contradictionem implicat. Hoc argumentum aliter proponi potest ad hunc modum; Priusquam credamus Ecclesiæ infallibilitatem quæ in Verbo DEI revelata est, oportet ut credamus Verbi Dei authoritatem: & priusquam credamus Verbi DEI authoritatem, oportet ut credamus infallibilitatem Ecclesiæ, quæ Verbi DEI authoritatem nobis commendat. Ergo, à primo ad ultimum, priusquam credamus Ecclesiæ infallibilitatem, oportet ut credamus Ecclesiæ infallibilitatem.*

Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10.
3. Respons. ad Argum. 15. *dicit propositionem fidei*

dei hoc syllogismo concludi: Quicquid DEVS in Verbo suo revelavit, est verum. At DEVS hoc in Verbo suo revelavit. Ergo hoc est verum. Ex propositionibus hujus syllogismi (*inquit* Bellarm.) prima certa est apud omnes: secunda etiam apud Catholicos firmissima est: nititur enim testimonio Ecclesiæ, Concilii, aut Pontificis, de quibus habemus in Scripturis apertas promissiones quod, videlicet errare non possint. *Propositio igitur fidei Pontificiæ, qua Ecclesiæ infallibilitas creditur, hoc syllogismo concluditur: Quicquid DEVS in Verbo suo revelavit, illud est verum. At DEVS in Verbo suo revelavit Ecclesiæ infallibilitatem. Ergo verum est Ecclesiam esse infallibilem. Major certa est apud omnes. Minor etiam firmissima est apud Pontificios. Quare? Quia nititur testimonio Ecclesiæ. At testimonium Ecclesiæ non potest firmam istius assumptionis fidem facere, nisi ejus infallibilitatem cognitam & perspectam habeamus. Eam autem cognitam habere non possumus, nisi prius pleno & firmo fidei assensu assentiamur conclusioni syllogismi jam adducti, quæ videlicet asserit Ecclesiæ testimonium esse infallibile. Ergo, non possumus firmiter assentiri assumptioni istius syllogismi, nisi prius assentiamur ejus conclusioni: & sic assensus conclusionis præcedet assensum præmissarum; quod planè ridiculum est.*

REPLIC



REPLICATIO TVRNEBVLLI,

Qui occurrere conatur duobus argumentis ab Authore propositis Quæst. 1. Appendicis: Nam posteriori Quæstioni, quæ causæ Pontificiæ jugulum petit, nihil speciatim opponere voluit.



Cap .8.§. 13. D prius argumentum sic respondet, Cap. 8. § 13. & 14.

Respondeo, & dico duo: Primum, in Fide Catholica distinguendas esse duas rationes, unam naturæ physicæ præcisæ à toto genere moris, & à prudentia eam dirigente, alteram boni, prudentis, & Catholici moris positam in conformitate cum universali regula credendi omnibus CHRISTI membris præfixa. Si prior tantùm ejus ratio spectetur, fateor essentiam Fidei divinæ stare totam potuisse, quamvis DEVS non nisi unicum hominem, vel unicum tantùm Angelum condidisset, cui sua mysteria revelasset credenda. Quo in casu non fuisset opus Catholicâ regulâ, ubi sola personalis fuisset in usu. Sicut etiam modò contingit in privatis revelationibus, quibus DEVS extraordinariè dignatur aliquando suos servos nobiscum viventes, qui ex eadem Fide secundum

Physic

physicam speciem infusi habitus credunt, tum ejusmodi privatas revelationes, tum communem Ecclesiæ doctrinam sub diversis tantùm regulis credendi.

Si autem consideretur posterior ejus ratio in genere boni, & prudentis moris ex divina ordinatione jam debiti, nego eam vel stare, vel concipi posse sine conformatione cum judicio Ecclesię, tanquam cum exemplari caussa Fidei Catholicæ, quatenus Catholica est, omnibus, qui Catholici volunt esse, vel dici, divinitùs præscripta, ut totus discursus quinti nostri capitis satis ostendit, presertim in secunda ejus demonstratione.

Dico deinde, similitudinem Professoris Philosophi, quâ tuam objectionem illustrasti, posse in te 14.
optimè retorqueri, si distinguamus viam disciplinæ à tota via propriæ inventionis. Nam per solam viam disciplinæ non potest ullus auditor, v. g. elementorum Euclidis pervenire ad evidentiam alicujus theorematis, nisi præeunte infallibili judicio Magistri, tanquam exemplari principio, quod imitetur discipulus.

Alioqui si non obstante lapsu Magistri imperitè utentis radio, perveniat ad evidentiam quæsitam, perventio debebitur viæ propriæ inventionis, non solius disciplinæ à præeunte Magistro acceptæ, ut per se patet.

At doctrinam Fidei nullatenus habemus per viam humanæ inventionis, sed duntaxat cœlestis disciplinæ, cùm tota *sit ex auditu*, Rom. 10. Igitur sine infallibili judicio Magistrorum divinitus edoctorum eam non habemus. Contra verò hæretici omnes, ideò sunt hæretici, quia relictâ via disciplinæ

ciplinæ, quæ judicium sequitur Magistrorum, viam ingrediuntur propriæ inventionis, quando aliam sibi fingunt regulam, quàm à DEO constitutam.

Posteriori argumento occurrit his verbis:
15. Respondeo, nihil esse in hac objectione novum, vel difficile advertentibus discrimen, jam sæpius traditum inter discere quid sit credendum, & ipsum credere. Nam declaratio Ecclesiæ non tantùm informat, sed etiam nos certos facit, quid credi debeat.

Immò inseparabilis hîc est informatio à certificatione, quia est informatio authentica. Unde uno eodemque Ecclesiæ magisterio certi reddimur, tum divinæ revelationis, tum nostræ obligationis ad credendum quod revelatur. Quamvis ipse postea credendi actus non nitatur Ecclesiæ magisterio, nisi tanquam principio exemplari nobis ad imitandum divinitus ordinato. Ergo magisterium Ecclesiæ non est, ut tu sæpè fingis, nuda conditio accidentaria Fidei Catholicæ, qua Catholica est, sed principium essentialiter præsuppositum toti laudi, & significationi hujus epitheti.



AUTHORIS DUPLICATIO.

PUNCTUM PRIMUM.

Diluuntur Adversarii cavillationes contra Quæstionem primam Appendicis.

DUABUS



Duabus distinctionibus eludere conaris vim prioris argumenti à me propositi Quæst. 1. Appendicis. Prima distinctio, qua distinguis inter fidem consideratam *in genere naturæ*, & fidem consideratam *in genere boni, prudentis, & Catholici moris*, vel, ut aliter dicam, inter *naturam fidei* præcisè ac in se consideratam, & *moralem illam bonitatem*, quæ in actu fidei requiritur ad hoc, ut pius, prudens, & verè Catholicus assensus dici possit; hæc, inquam, distinctio in se quidem bona est, sed malè eam applicas, cum dicis conformitatem cum infallibili Ecclesiæ judicio esse de ratione fidei posteriori modo consideratæ, non verò esse de ejus ratione, nec necessariò ei competere, si priori modo ea consideretur. 1.

Dico distinctionem hanc in se bonam ac utilem esse; quia conformitas cum externa & communi credendi regula non est de ratione fidei præcisè & in se consideratæ, ut patet ex ijs qui fide verè divina olim crediderunt res sibi immediatè à DEO revelatas, non propter publicam aliquam revelationem in Scriptura factam, sed propter priva- 2.

tas

tas & arcanas revelationes; est tamen de ratione fidei Catholicæ quatenus est Catholica seu universalis: Nam qua talis est, ad communem seu Catholicam credendi regulam est alligata.

3. Dico eam malè à te applicari; quia Ecclesiæ judicium seu definitio non est catholica credendi regula; et, ut ex Puncto sequenti patebit, possibile est alicujus fidem esse prudentem & verè Catholicam, quamvis non nitatur infallibili Ecclesiæ judicio.

4. Quod ad secundam distinctionem attinet; rectè distinguis *viam disciplinæ à via propriæ inventionis*: rectè etiam observas doctrinam fidei nullatenus haberi per viam humanæ inventionis. Ineptè tamen hinc colligis eam non haberi sine infallibili judicio Pastorum Ecclesiæ, quos tu hîc per *Magistros divinitus edoctos intelligis.* Hoc consequens non infertur necessariò ex isto antecedente. Nam *Magistri divinitus edocti* & infallibiles, à quibus doctrinam Evangelii *per viam cœlestis disciplinæ habemus*, non sunt ordinarij Pastores Ecclesiæ, sed Apostoli & Evangelistæ, qui, ut scribit Irenæus, Lib. 3. Cap. 1. *Evangelium quod primum præconiaverunt, per DEI voluntatem in Scripturis tradiderunt,*

tum, *fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*. Hinc patet similitudinem illam Professorum Philosophiæ rectè à me adhiberi ad illustrandum primum illud argumentum. Nam quemadmodum asseveratio Professorum Philosophiæ non est principale fundamentum scientiæ discipulorum, ita etiam testificatio Pastorum Ecclesiæ non est principale fundamentum fidei Christianorum: Et per consequens infallibilitas judicii non magis in his, quam in illis requiritur.

Ad solvendum posterius argumentum frustra affers distinctionem illam inter *discere quid sit credendum*, & *ipsum credere*. Nam, ex vestra sententia, fideles non solùm per Ecclesiæ testimonium discunt quid sit credendum, sed etiam propter illud credunt ea quæ credunt. Vnde ipse hîc asseris Ecclesiæ propositionem esse institutam non tantùm ad instruendum, sed etiam ad certificandum, & firmam fidem faciendum. At hinc, ut in confirmatione argumenti monui, manifestè sequitur Ecclesiæ testimonium non tantùm esse *conditionem*, sed etiam esse *causam objectivam credendi*; & pertinere ad formalem rationem propter quam credimus. Nam id per quod DEUS

principaliter res credendas revelat, nosque de earum veritate certos reddit, id, inquam, nos objectivè ad credendum movet: & per consequens verè & propriè ad formale fidei objectum refertur.



Punctum Secundum.

Variis exemplis ostenditur fidem Catholicam, qua talis est, stare & concipi posse sine conformatione cum infallibili aliquo judicio Ecclesiæ.

1. T Fides alicujus nitatur Ecclesiæ judicio aut definitione, tanquam infallibili fidei regula, quinque necessaria sunt. Primò enim requiritur necessariò ut Ecclesia illa, cujus vocem is audit, revera sit infallibilis. Secundò, requiritur ut Ecclesia illa judicialiter et authoritativè sententiam suam de rebus credendis pronunciet. Tertiò, ut is qui Ecclesiæ istius vocem audit, firmiter credat eam esse infallibilem. Nam qui Ecclesiæ infallibilitatem negat, aut de ea dubitat, is non potest dici Ecclesiam tanquam

quam exemplarem credendi causam, et infallibilem fidei regulam sequi. Quartò, ut certò sciat doctrinam, quam explicitè et distinctè credit, esse ab Ecclesia traditam, et definitam. Nam qui hoc ignorat, is non potest dici credere ea, quæ credit, ob infallibilem Ecclesiæ authoritatem. Quintò, ut nihil credat vel tempore vel natura prius quam Ecclesiæ infallibilitatem. Nam quicunque aliquod dogma credit, antequam fidem adhibeat Ecclesiæ testimonio, is non potest dici illud dogma credere ob Ecclesiæ testimonium. Ex his facilè percipiet prudens Lector, multos olim habuisse, & nunc etiam habere fidem verè Catholicam sine conformatione cum infallibili aliquo judicio Ecclesiæ. Tales fuerunt,

Primò, illi qui in DEVM crediderunt 2.
ante Legem scriptam: Illis enim temporibus Ecclesia non fuit infallibilis, ut patet, Primò, quia nihil tale ex Scripturis colligi potest: Secundò, quia ea sæpius defecit à verò DEI cultu ad colenda idola, ut ex Genes. 4. 26. Iosuæ 24. 2. Ezechielis 20. vers. 7. colligi potest. Vnde Augustinus, Lib. 16. de Civitate DEI, Cap. 12. *Apud Chaldæos* (inquit) *jam tunc etiam superstitiones impiæ prævalebant, quemadmo-*

dum per cæteras Gentes. Vna igitur Tharæ domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius veri DEI cultus, & quantum credibile est, in qua jam sola etiam Hæbrea lingua remanserat, quamvis & ipse, sicut jam manifestior DEI populus in Ægypto, ita in Mesopotamia servìisse diis alienis Iesu Nave narrante refertur, &c. Proinde sicut per aquarum diluvium una domus Noæ remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum remanserat domus Tharæ, in qua custodita est plantatio civitatis DEI. Idem in Psal. 128. *Aliquando in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain, aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis, aliquando in sola domo Noæ Ecclesia erat, & sola arca natavit in fluctibus, aliquando in solo Abraham.*

3. Secundò, illi qui post promulgationem legis, & constitutionem politiæ Iudaicæ, in DEVM crediderunt: Nam Ecclesia Iudaica non fuit infallibilis fidei & morum regula,

gula, ut patet, Primò, quia ea etiam à vera fide & religionis puritate subinde defecit: Imò ita defecit, ut nuspiam in ea inveniri potuerit purum verbi ministerium, ab idololatria penitus immune, Patet hoc ex statu istius Ecclesiæ post mortem Ioschuæ. *Nam cũ mortuus esset Ioschua, & tota illa ætas aggregati essent ad majores suos, & surrexisset ætas altera post eos, qui non agnoscebant IEHOVAM, nec etiam opus illud quod fecerat Israeli, tunc fecerunt filii Israelis id quod malum videtur in conspectu DOMINI, & relinquentes IEHOVAM DEVM majorum suorum secuti sunt Deos alios.* Iudic. Cap. 2. vers. 7. 10. & sequentibus.

Similiter ex statu istius Ecclesiæ tempore Regum: Nam Ieroboamus, Rex Israelis, *non solum ipse dereliquit DOMINVM, verum etiam universum Israelem ad idola colenda perduxit*, ut loquitur Torniellus, Annalium sacrorum scriptor Pontificius, Tomo 2. Anno mundi 3060. §. 4. & duravit publicum illud idololatrici cultus exercitium in regno Israelis, seu Samariæ usque ad Babylonicam captivitatem, ut patet ex libris Regum, à Cap. 12. primi libri, ad 4.

Cap. 17. secundi libri.

5. Quod Adversarii hîc excipiunt etiam illis temporibus fuisse *Ecclesiam* puram, & ab idololatria immunem in Iudæa, omnino nugatorium est. Nam regnante Ieroboamo *qui ad peccandum induxit populum Israelem.* 1. Reg. 14. 16. Rehoboam *cum populo suo dereliquit legem DOMINI*, (verba sunt Tornielli, loco citato, anno 3063.) *feceruntque Rex pariter & populus malum coram DOMINO super omnia quæ fecerunt patres eorum.* Nam ut habetur vers. 23. Cap. citati, *extruxerunt etiam sibi excelsa, & statuas ac lucos*, &c. Rehoboamo successit filius ejus Abiiam, *& is etiam ambulavit in omnibus peccatis patris sui*, ut patet ex Cap. 15. illius libri, vers. 3. Post eum regnarunt Asa & Iehosophat, pii Reges, de iis tamen dicitur quod non *abstulerint excelsa*, & quod iis regnantibus populus contra expressam DEI legem *sacrificarit, & incensum adoleverit in excelsis*, 1. Regum, Cap. 15. vers. 14. & Cap. 22. vers. 44. His successit Ioram, Rex impius, et idololatra, qui accusatur 2. Paralip. 21. 13. quod ambulaverit in via Regum Israelis, & effecerit ut

rit ut scortarentur Iehuda, & habitatores Hierusalem, imitatus scortationem domus Achab. Idem fecerunt non pauci ex successoribus ejus, videlicet Achazia, 2. Paralip. 22. 3. Athalia ibidem Cap. 24. 7. Ioasch, ibid. vers. 18. 19. Achaz, quo regnante, *etiam Iehuda non observabat præcepta IEHOVÆ, sed ambulabat in statutis Israelitarum quæ fecerant*. 2. Regum 17. vers. 19.

Præterea ipsi Pontificii, quamvis in disputationibus suis, de Iudice Controversiarum, & de infallibilitate Ecclesiæ, audacter negent Synagogam aliquando errasse, aut à fide defecisse, tamen nonnunquam disertè asserunt contrarium. Sic Becanus opusculorum Tomo 5. Opusc. 5. de Ecclesia, Quæst. 1. Conclus. 4. §. 81. dicit *Ecclesiam Christianam habere promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit*. Et ante eum Stapletonus, Princip. Doctrinal. Lib. 2. Cap. 13. dicit *Synagogam non habuisse stabiles repromissiones: Imò* (inquit) *aperte prædictum est fore ut ad idola subinde converteretur, pariterq. ut à DEO subinde deferretur*. Et in Controvers. Relectione, Con- 6.

trov. I. Quæst. 3. Art. 2. Notab. 1. dicit Ecclesiam habere *firmißimas promißiones de Spiritu veritatis in æternum permanente in ea, quales Synagoga non habuit.*

7. Hinc manifestè sequitur eos qui sub vetere Testamento verè in DEVM crediderunt non habuisse plenam, et perfectam fidei certitudidem de infallibilitate Ecclesiæ Iudaicæ, et per consequens habuisse veram et Catholicam fidem, sine conformitate cum infallibili judicio Ecclesiæ. Quomodo enim potuerunt illi sequi eam Ecclesiam, tanquam infallibilem fidei, et religionis normam, *quæ non habebat stabiles promißiones de Spiritu Veritatis in ea permanente, quamque sciebant subinde à DEO deseri propter Apostasiam suam à puritate religionis à DEO præscripta.*

8. Tertiò, Sancti Patres, qui tribus primis seculis Ecclesiæ Christianæ vixerunt, veram & Catholicam fidem habuerunt, etiam de iis dogmatibus quæ tunc non erant ab Ecclesia judicialiter definita. At hanc fidem habuerunt absque conformatione cum infallibili Ecclesiæ judicio. Tunc enim nulla extabat Ecclesiæ definitio nisi de duabus, aut tribus controversiis, videlicet, de Paschate, de

de lapsis post Baptismum, & de rebaptizatione eorum qui ab Hæreticis baptizati erant, ut patet ex Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 6.

Dices fortassis eorum fidem tunc fundatam fuisse in Ecclesiæ testimonio, quia nitebatur traditione majorum, seu eorum qui ipsos præcesserant. At contrà vestri Theologi, cum dicunt Ecclesiæ infallibile judicium esse supremam & principalem fidei regulam, cui fides Catholica qua talis est, conformari debet; per *Ecclesiæ* judicium non intelligunt præteritam aliquam traditionem, sed *Ecclesiæ*, pro tempore, præsentis judicialem sententiam et definitionem, ut patet ex testimoniis Bellarm. Gretseri, et Valentiani, à me citatis, Tract. 5. hujus Libri, Cap. 8. Pag. 252. et 253: Quibus tu etiam manifestè astipularis, Cap. 5. tui libelli, §. 1. Præterea Traditio Patrum præcedentium seu consensus Doctorum qui antea vixerunt est quid distinctum à judiciaria authoritate Ecclesiæ, quam vos dicitis esse supremam fidei regulam, ut patet ex Staplet. Lib. 7. Princip. Doctrin. Cap. 1. Valent. Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 1. Punct. 7. §. 42. Nam hi authores dicunt consensum Patrum non esse judicium *Ecclesiæ* de rebus fidei, sed esse medium quoddam judicii 9.

dicii Ecclesiastici.

Dices etiam fortassis eorum fidem fun-
10. datam fuisse in communi et recepta doctrina Ecclesiæ in qua vixerunt. Sed neque hæc responsio satisfacit. Nam consensus fidelium non est authoritativum judicium Ecclesiæ. Vnde Valent. Puncto citato, §. 16. Col. 145. dicit *infallibilem authoritatem Ecclesiæ ad definiendum non esse in omnibus omninò fidelibus:* & Suarez, Disput. 5. de Fide, Sect. 6. §. 9. dicit *Ecclesiam acceptam secundùm se totam non esse sufficientem vivam regulam fidei in docendo*. Præterea Patres fide divina credebant varia dogmata quæ non solum non erant ab Ecclesia definita, sed etiam eo tempore non erant communi fidelium consensu recepta, ut cuivis in eorum scriptis versato patet. Denique consensus fidelium præcipuè æstimandus est ex consensu Pastorum qui eis præsunt. At *quidam Catholici affirmant omnes Episcopos Ecclesiæ posse convenire in aliquo errore*, teste Suarezio, Sect. proxime citata, §. 10. ubi etiam profitetur neque eorum sententiam qui hoc affirmant, neque eorum sententiam qui hoc negant sibi satis exploratam videri. Ergo et mult

multorum Pontificiorum sententia consensus Episcoporum non est certa & indubitata fidei regula.

Quartò: Illi etiam non nitebantur infallilbili judicio Ecclesiæ, qui judiciariam infallibilitatem Papæ & Conciliorum aut ignorarunt, aut apertè negarunt. Tales erant plurimi Patres, & Scholastici Doctores à me citati, Tract. 5. Cap. 12. 13. 18. 19. 20. 21. & Tract. 7. Cap. 12. §. 2. et 3. 11

Quintò, non est probabile fidẽ eorum qui olim vixerunt in insulis ab Italia ac urbe Roma procul dissitis, et nullum ferè cõmercium habentibus, cum aliis Europæ regionibus, fundatam fuisse in authoritate Ecclesiæ Romanæ, aut Pontificis Romani. Tales erant prisci Christiani qui hîc in Britannia, Hibernia, et circumjacentibus Insulis, 1300, aut 14000. ab hinc annis vixerunt. Nam ante adventum Palladii, et post eum, Augustini Monachi in hanc Insulam, perraro iis innotuit judicium Ecclesiæ Romanæ de rebus ad religionem pertinentibus. Imò, quando iis per Augustinũ et ejus socios innotuit ut ei obtemperarent induci non potuerunt. Patet hoc ex Epistola quam Laurentius Augustini successor, cum Coepiscopis suis misit ad Scotos, cujus Principium apud 12.

apud Bedam, Lib. 2. Histor. Eccles, Cap. 4. sic extat:

Dominis Charissimis, Fratribus, Episcopis vel Abbatibus, per universam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iustus, Episcopi servi servorum DEI.

Dum nos sedes Apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc Insulam, quæ Britannia *nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus credentes, quòd juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam* Britones *quàm* Scotos *venerati sumus. Sed cognoscentes* Britones, Scotos *meliores putavimus.* Scotos *verò per Dagamum Episcopum in hanc quam superius memoravimus insulam, & Columbanum Abbatem in Gallias venientem, nihil discrepare à* Britonibus *in eorum conversatione didicimus. Nam Dagamus Episcopus ad nos veniens non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem*

eodem hospitio, quo vescebamur, sumere volnit.

Sextò, etiam Laici illiterati fidem Catholicam habent sine conformatione cum judicio aut definitione Ecclesiæ: nam hi non possunt certò et infallibiliter scire quid ab Ecclesia definitum sit, ut patet ex Tract. 1. Cap. 3. et 4. 13.

Septimò, etiam Hæretici, qui piis et legitimis Ecclesiæ decretis obtemperare nolunt. Hi enim fide verè divina et Catholica credunt articulos illos in quibus non errant, quamvis Ecclesiam non sequantur tanquam certam et infallibilem fidei regulam, ut, post Durandum, efficaciter probavit Estius, in Comment. 1. Epist. Ioannis, Cap. 4. et in 3. Sent. Dist. 23. §. 13. 14.

Octavò, etiam Pastores in Concilio definientes controversiam nunquam antea definitam. Hi enim fide verè divina et Catholica credunt id verum esse quod definiunt: et tamen eorum fides non nititur ullo priori decreto aut definitione Ecclesiæ, ut patet ex Tract. 5. Cap. 22. à §. 12. ad finem. 15.

Nonò, Pontificii fide Catholica, ut ipsi opinantur, credunt Ecclesiæ suæ judiciariam 16.

infallib

infallibilitatem, propter authoritatem Verbi divini olim Ecclesiæ traditi, quo eam revelatam esse putant. Ergo ipsius Verbi divini authoritatem eadem fide Catholica credere debent ante Ecclesiæ infallibilitatem. Non enim possunt fide Catholica credere id verum esse, quod de Ecclesiæ infallibilitate Verbo DEI revelatum est, nisi prius credant illud Verbum revera esse *DEI* ipsius Verbum. Si autem fide Catholica credere debent Verbi divini authoitatem ante *Ecclesiæ* in testificando infallibilitatem, non debent eam credere propter infallibilitatem alicujus testimonii, aut judicii *Ecclesiastici*; ut per se patet. *Et* per consequens ipsi *Pontificii* habere debent fidem verè Catholicam de primo religionis Christianæ principio sine conformatione cum infallibili aliquo judicio aut testimonio *Ecclesiæ*.

EPILOG



EPILOGUS,

In quo efficaciter demonstratur Pontificios neque credere Ecclesiæ infallibilitatem, neque Scripturæ authoritatem fide verè divina, hoc est, certa & infallibili.



Ontificii dicunt se fide firmißima credere & Verbi DEI authoritatem, & Ecclesiæ infallibilitatem: nos verò nihil omninò firma & certa fide credere audacter affirmant. Ita docet Bellarm. Lib. 3. de Verbo, Cap. 10. Responsione ad Argumentum 15. & Lib. 6. de libero arbitrio, Cap. 3. §. At Catholici. *At facilè est ostendere, Pontificiorum fidem, qua credunt, vel Verbi DEI authoritatem, vel Ecclesiæ infallibilitatem, non esse divinam, hoc est certam & infallibilem; sed conjecturalem, & incertam; immò absurdam, ridiculam, & incomprehensibilem.* 1.

2. *Si enim Pontificii credunt ista* duo credibilia, *videlicet, Verbi DEI authoritatem, & Ecclesiæ infallibilitatem fide verè divina; vel credunt hæc simul*

simul & semel; *vel credunt* eorum unum ante alterum. *At neutrum dici potest. Ergo non credunt hæc fide divina. Major manifestissima est: probatur Minor per partes. Primò enim non credunt hæc simul & semel, tum quia intellectus humanus non potest simul plura intelligere, ut docet* Aristoteles, Lib. 2. Topic. Cap. 4. Loco 32. *tum quia horum unum creditur propter alterum. Ergo eorum unum creditur ante alterum.* Nam propter quod aliquid scimus, aut credimus, illud prius à nobis sciri, & credi oportet; prius (*inquam*) *vel* prioritate temporis, *vel saltem,* prioritate naturæ. *Hanc limitationem addo, quia non solum antiquiores Scholastici, ut* Scotus, in 2. Sent. Dist. 7. Quæst. 1. Gregorius Ariminensis, in 2. Sent. Dist. 7. Quæst. 5. Art. 2. Ockam, in 2. Sent. Quæst. 16. Gabriel Biel, in 2. Sent. Dist. 3. Quæst. 2. Art. 3. *&c. Sed etiam recentiores quidam Pontificii, ut* Gabriel Vasquez. in 1. Part. Thomæ, Tom. 2. Disput. 222. Cap. 2. *&* 3. Ruvius in Logica Mexicana, Part. 2. Quæst. 7. in 2. Cap. 1. Poster. *&* Philippus Faber Faventinus, in 2. Sent. Dist. 9. Disput. 41. Cap. 1. *dicunt nos posse simul & in eodem instanti duo diversa objecta credere quorum tamen unum propter alterum credimus.*

3. *Secundò, non credunt eorum unum ante alterum: quia neque credere possunt Verbi DEI authorit*

thoritatem ante Ecclesiæ infallibilitatem: neque Ecclesiæ infallibilitatem ante Verbi DEI authoritatem. Non possunt credere Verbi DEI authoritatem ante Ecclesiæ infallibilitatem: quia authoritas Sacræ Scripturæ creditur à Pontificiis propter Ecclesiæ infallibile testimonium. Ergo ipsius Ecclesiæ infallibilitas in testificando prius credenda est: prius, inquam, prioritate naturæ; quia videlicet, est fundamentum principale, propter quod Pontificii credunt Sacram Scripturam esse DEI Verbum.

At neque credunt, neque credere possunt Ecclesiæ infallibilitatem ante Verbi DEI authoritatem: quia videlicet, Ecclesiæ infallibilitas, quæ in Verbo revelata est (ut illi somniant) propter Verbi authoritatem creditur. Ergo ipsius Verbi authoritatem prius, saltem prioritate naturæ, à nobis cognitam & creditam esse oportet. 4.

Ecce quam mirabiles, & sibi invicem repugnantes sunt hæ conclusiones, Verbi DEI authoritas necessariò creditur ante Ecclesiæ infallibilitatem: & rursus, Ecclesiæ infallibilitas necessariò creditur ante Verbi DEI authoritatem. Item fides infallibilitatis Ecclesiæ natura prior est fide Verbi Divini: & rursus, fides Verbi Divini natura prior est fide infallibilitatis Ecclesiæ. Item fides infallibilitatis Ecclesiæ natura prior est fide Verbi Divini: Fides verò Verbi Divini natura est prior fide infallibilitatis Ecclesiæ. Ergo à primo ad ultimum, fides infallibilitatis Ecclesiæ est, natura prior seipsa. 5.

Denique firmum, validum, & inconcussum stat 6.

nostrum hoc argumentum: Pontificii neque credere possunt Verbi DEI authoritatem ante Ecclesiæ infallibilitatem, neque Ecclesiæ infallibilitatem ante Verbi authoritatem: neque possunt hæc duo credibilia simul credere. Ergo non omninò credunt fide Divina, aut Verbi DEI authoritatem, aut Ecclesiæ infallibilitatem.

Obstupescite Cœli de hac re, & horrescite, desolemini valdè, dicit IEHOVAH.
Nam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt scaturignem aquarum viventium, ut effoderent sibi cisternas, cisternas fractas, quæ non capiunt aquas. IEREM. II. 12. 13.



REPLICATIO TVRNEBVLLI.

Qua ad argumentum in Epilogo Disputationis propositum respondere conatur Cap. 15. sui libri, à §. 2. ad finem.



2. AD hoc argumentum, quod à 1. & 5. objectione cap. nostro 8. satis solutis vix distinguitur. Respondeo primò, nisi esset frivolum, plus contra te probaturum, quàm tu audeas concedere, nempe Calvinistas nulla omnino Fide, sive certa, sive incerta; sive divina, sive humana credere vetus, & novum Testamentum. Item teipsum non posse vera Fide credere Scripturæ, ut tu loqueris, divinitatem; & Ecclesiæ, ut idem tu opinaris, fallibilitatem. Si enim Calvinistæ priora

illa duo credibilia, nempe vetus & novum Testamentum ullatenus credunt, vel ea credunt simul, & semel, vel eorum unum ante alterum. At neutrum dici potest. Ergo nulla omnino Fide alterutrum credunt. Major patet. Minor tuo argumento probatur per partes. Primò enim, ea non credunt simul, & semel, tum quia intellectus humanus non potest simul plura intelligere, ut docet Aristoteles, tum quia horum unum creditur propter alterum.

Nam & novum ex veteri, & vetus ex novo habet testimonium suæ veritatis. Secundò, non credunt eorum unum ante alterum, quia neque credere possunt veteris Testamenti auctoritatem ante novi testimonium de veteri, neque vicissim, &c. Simile argumentum formari, & in te retorqueri potest de aliis duobus tuis credibilibus, Divinitate nempe Scripturæ, & Ecclesiæ fallibilitate, Vel enim vtrumque simul tu credis, vel alterum altero prius? At neutrum dici potest, &c.

Quod tu responsum his argumentis adversus te, sectamque tuam objectis dares, finge jam datum tuæ adversus nos objectioni, & videbis ridendam ejus vanitatem.

Secundò, & directè respondeo assumi à te Minorem apertè falsam, & jam à me satis refutatam. Nam utrumque, quod tu per partes negas, debet in diversis circumstantiis præsertim personarum affirmari tanquam verum. Nam à primò accedentibus ad Fidem utrumque credibile tum Scripturæ veritas, tum Ecclesiæ infallibilitas simul, & semel creditur, quatenus ambæ simul uniuntur in uno generali principio, ad quod tanquam ad primum creditum quis ab infidelitate convertitur. Ab aliis verò jam habitu, & generatim omnia re- 3.

velata credentibus, nihil novi prius in seipso, & expressè non crediti potest expressè credi Fide divina, nisi ex regula discernente revelatum divinitus, à non revelato. Et hoc sensu verum est prius à talibus credi auctoritatem Ecclesiæ, quàm novi quidpiam illis ante non propositum, nunc autem propositum in seipso credatur. Quod adversus priorem partem hujus responsi de simultate vtriusque credibilis opponis ex Aristotele, frivolum est. Nam licet in plura quatenus plura, & nullatenus unita ferri simul nequeat intellectus, in plura tamen aliquatenus unita, nisi fatearis ferri posse simul, uti fatetur S. Thomas 1. part. quæst. 58. art. 2. & quæst. 85. art. 4. negabit jure quispiam te habere intellectum.

4\. Quod adversus alteram partem ejusdem responsi de ordine credibilium opponis, totum vel in æquivoca tua definitione formalis objecti Fidei fundatur, & satis à nobis jam refutatum est capit. nostro 3. & sequentibus. Vel sane supponit nullo alio DEI verbo revelatam nobis esse infallibilitatem Ecclesiæ, quàm scripto. At hanc etiam suppositionem refutavimus, ostensa necessitate alterius Verbi Scriptura prioris, antiquioris, clarioris. Testatur quidem Scriptura Ecclesiam esse columnam, & regulam infallibilem veritatis. Hoc tamen Scripturæ testimonium applicatum iis, qui jam supponuntur habitu, & generatim omnia revelata credere, non est principium primò gignens, sed tantùm augens, vel confirmans eorumdem Fidem de infallibili Ecclesiæ auctoritate prius ex generaliori principio credita, ut vel patet ex terminis,

AUTHORIS DUPLICATIO.



VOBUS modis respondes, Iesuita Turnebulle, ad argumentum in Disputationis Epilogo propositum, videlicet, primò, retortione argumenti nostri; deinde directa, ut vocas, responsione. 1

In retortione tua nihil judicii, nihil acuminis est. Nam ex meris & nudis asseverationibus constat, quibus quivis tyrunculus obviam ire potest dicendo; Primò, & vetus Testamentum credi posse ante Novum, & Novum ante Vetus, idque quia, quamvis sibi mutuò testimonium perhibeant, seque invicem confirment & illustrent, non tamen sibi mutuò perhibent *testimonium necessarium*. Quid autem sit perhibere testimonium necessarium, patet ex Tract. 6. Cap. 5. §. 2. Secundò, Scripturæ authoritatem credi ante Ecclesiæ fallibilitatem, quia videlicet ex apertis Sacræ Scripturæ testimoniis demonstratur Eccl. fallibilitas. 2.

Specialis & directa tua responsio bimembris est. Primò enim differis de simultate credendi Verbi divini authoritatem, & Ecclesiæ infallibilitatem. Secundò, agis de ordine seu ratione credendi earum unam ante alteram. Priori membro reperis tuum errorem, (quem supra confutavi Tract. 5. Cap. 22. §. 7. & 8. Item Tract. 6. per to- 3.

tum & speciatim Cap. 3. 5. & 6,) *de primò accedentibus ad fidem*, asserisque eos simul & semel credere Verbi divini authoritatem, *E*cclesiæ infallibilitatem, & omnia alia quæ à DEO revelata sunt. Interim non respondes ad gravem illam & efficacem rationem, *qua probo istorum duorum credibilium vnum necessariò credi prius natura quam alterum, quia eorum vnum creditur propter alterum.* Ad illā alterā rationē, quæ priore loco à me est proposita, aliquid respōdere videris: non tamē mihi plenè satisfacit tua respōsio; idq. quia nō doces quomodo in cōmuni illo principio, id est, in DEI veracitate, hęc duo credibilia, Script. authoritas, & *E*ccl. infallibilitas ita uniantur, ut simul & semel credi possint.

4. Posteriore membro turpissimè tergiversaris, & Lectorem mendacibus effugiis fallere studes. Primò enim vis argumenti istius, quo probo Pontificios non posse credere unum horum credibilium ante alterum, non pendet, ut tu asseris, à definitione formalis objecti fidei. Quamvis enim abstinerem vocabulo *formalis objecti*, solumque uterer nomine *Regulæ fidei*, nihil omninò de vi & efficacia argumenti nostri decederet. Vos enim, qui inter ipsas credendi regulas circulum committitis, credentes hanc regulam propter illam, & illam rursus ...

ter hanc, ut patet ex Tract.8. Cap. 1. §.8. & Cap.6.§.3.6.7.& 8. Neq. potestis hanc regulam credere ante illā, neq. illam ante hanc; quia viz. hæc regula apud vos præsupponit illam, ut prius natura creditam, & illa rursus præsupponit hāc, etiā ut prius natura creditā.

Secundò, argumentum meum non supponit (ut tu fingis) *Ecclesiæ* infallibilitatem nobis esse revelatam solo Verbo scripto, sed generaliter supponit eam esse revelatam aliqua parte verbi antiquitus *Ecclesiæ* traditi, hoc est vel verbo scripto, vel traditione. Patet hoc, quia in *Epilogo* non confero *Ecclesiam* speciatim cum solo verbo scripto, sed in genere cum Verbo *DEI* antiquitus *Ecclesiæ* tradito, quod, ex vestra sententia, constat ex Scriptura & Traditione. Potui equidem *Ecclesiam* conferre cum solo *DEI* Verbo scripto, idque quia Verbum scriptum, seu Scriptura Sacra est totalis et perfecta fidei nostræ regula, sed nolui sic comparationem instituere, ne vobis cavillandi, & in quæstiones à Proposito alienas degrediendi ansam præberem. 5.

Dic igitur, mi Turnebulle, qua parte Verbi divini, Ecclesiæ infallibilitas revelata sit, et utrum illius partis Verbi divini authoritas, an verò Ecclesiæ infallibilitas prius vel naturæ vel temporis ordine credatur? Non dices authoritatem illius partis credi ante Ecclesiæ infallibilitatem. Nam ex tua 6.

sententia, fides totius Verbi divini fundatur in authoritate Ecclesiæ tanquam in universali credendi regulâ, ut patet ex Cap. 8. tui Libri, §. 11. Non autem potest ea fides fundari in authoritate Ecclesiæ, nisi Ecclesiæ infallibilitas præcognoscatur, certoque et infallibiliter prius credatur. Non enim possumus sequi Ecclesiam ut infallibilem credendi regulam, quandiu de ejus infallibilitate certam et firmā persuasionem non habemus. At neque dicere potes Ecclesiæ infallibilitatem credi ante authoritatem illius partis Verbi DEI qua Ecclesiæ infallibilitas revelata est: idque quia Ecclesiæ infallibilitas ideo à vobis creditur, quod putetis eam aliqua parte Verbi divini, hoc est, vel verbo scripto, vel traditione aliqua non scripta revelatā esse. Ergo non potestis credere Eccl. infallibilitatē, nisi prius credatis divinam authoritatem illius partis Verbi divini, qua Ecclesiæ infallibilitas revelata est. Nam enim possumus credere id verum esse, quod illa pars Verbi divini de Ecclesiæ infallibilitate dicit, nisi prius credamus illam partem Verbi divini revera esse divinæ & infallibilis authoritatis. Vide testimonia Bellarm. & Gretseri à me ad hanc veritatem confirmandam citata initio hujus Tractatus noni, Quæst. 1. Pag. 562.

FINIS.

